






Digitized by Google



ANNALES

ACADEMIAE LOVANIENSIS

MDCCCXXV—MDCCCXXVI.

VOL. IX.

ANNALES
ACADEMIAE LOVANIENSIS

ANNI NONI

A DIE XVIII OCTOBRIS MDCCCXXV AD DIEM II OCTOBRIS MDCCCXXVI


RECTORE MAGNIFICO

FRANCISCO JOSEPHO DUMBECK

ATQUE

ACADEMIAE GRAPHIARIO

GERARDO JOANNE MEYER.



LOVANII,

APUD VANLINTHOUT ET VANDENZANDE, ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.

MDCCCXXVII.

INDEX

EORUM QUAE HOC ANNALIUM VOLUMINE CONTINENTUR.

I.

NOMINA

PROFESSORUM ET LECTORUM

QUI

ANNO ACADEMICO MDCCCXXV—MDCCCXXVI

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

NOMINA

PROFESSORUM ET LECTORUM

QUI

ANNO ACADEMICO MDCCCXXV — MDCCCXXVI

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.



I. *In Ordine Philosophorum et Literatorum.*

F. J. Dumbeck.
G. J. Bekker. } Prof. Ordinarii.
G. J. Meyer.

Fr. Chr. De Greuve.
Fr. Jos. Seber. } Prof. Ordinarii in Collegio Philosophico.

F. A. F. T. B. ab Reiffenberg, Prof. Extraordinarius.

J. Jacotot, Lector.

II. *In Ordine Medicorum.*

G. J. Van Gobbelschroy.
C. F. Jacmart.
J. M. Baud. } Prof. Ordinarii.
A. Van Solingen.

III. *In Ordine Mathematicorum et Physicorum.*

F. J. GOEBEL.
J. F. SENTELET.
F. J. ADELMANN.
J. B. VAN MONS.
} Prof. Ordinarii.

M. GLOESENER, Prof. Extraordinarius.

M. PAGANI, Prof. Extraordinarius.

IV. *In Ordine Jureconsultorum.*

A. C. HOLTIUS.
J. P. DEBRUYN.
H. F. DECOSTER.
J. M. F. BIRNBAUM.
} Prof. Ordinarii.

R. WINSSINGER, Prof. Ord. in Collegio Philosophico.

A. M. J. MOLITOR, Lector.

II.

SERIES LECTIONUM

IN ACADEMIA LOVANIENSI

PER ANNUM ACADEMICUM MDCCCXXV—MDCCCXXVI

HABITARUM.

SERIES LECTIONUM

PRO SEMESTRI HIBERNO

PROPOSITAE.

I. IN ORDINE PHILOSOPHIAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

F. J. Dumbeck, Prof. Ord., praemissa *Introductione longiori*, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X, *Historiam Universalem Antiquam*, ducibus suis T*abulis Ethnographico-Synchronisticis*, enarrabit. Quinis prioribus septimanae diebus, hora X, *Encyclopaediam Philosopham* sive unius scientiae disciplinarum quarumvis nexum absolutum, juxta *S. Erhardti Compendium a se Latine versum*, cujuslibet Ordinis studiosorum usui gratificabitur, eaque terminata, diebus Jovis, Veneris et Saturni, hora X, *Antiquitates Romanas* explicabit. Diebus Lunae, Mercurii et Jovis, hora XII, *Historiam Europae Politicam* cum *Statistica* (per integrum annum) tradet, et cum ea *Exercitationes Disputandi* conjunget.

G. J. BEKKER, Prof. Ord., breviter exposita *Literarum Latinarum Historia*, explicabit *Ciceronis libros de Officiis* et *Latine Scribendi exercitationes* instituet, diebus Martis, Mercurii et Jovis, hora III. Diebus Jovis ac Veneris, hora IV et Saturni, hora IX, interpretabitur *Isocratis Panegyricum.* Literarum Antiquarum studiosi, eo moderatore, exercitabuntur in Graece scribendo et in locis difficilioribus *Odysseae* interpretandis, diebus Martis et Mercurii, hora IV.

G. J. MEIJER, Prof. Ord., diebus Mercurii et Jovis, hora X, *Linguae Belgicae Grammaticam* explicabit, simulque *Exercitationes Belgice Scribendi* instituet : iisdem diebus *Praecepta Stili Belgici*, hora II, tractabit. Diebus Martis et Veneris, hora II, *Historiam Patriam* exponet. Tempore opportuno *Literarum Belgicarum Historiam* tradet.

F. A. AB REIFFENBERG, Prof. Extraord., post *Encylopaediam Philosophiae*, praemisso quoque *Antropologiae* conspectu, diebus Martis, Mercurii et Jovis, hora IX, *Logicam et Metaphysicam* exponet ; diebus Veneris et Saturni, eadem hora, lectiones super *Criticismo*, *Ethica* et *Historia Philosophiae* habebit, cum iis de *Cartesio* et *Leibnitio* disputationes conjunget, nec non *C. L. Reinholdi Facultatis Repraesentativae Theoriam* explanabit.

J. JACOTOT, Lector, *Literas Gallicas* tradet, diebus Martis, Jovis, Veneris et Saturni, hora V.

II. IN ORDINE MEDICORUM.

G. J. VAN GOBBELSCHROY, Prof. Ord., diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XI, *Physiologiam*, diebus Jovis et Veneris, eadem hora, *Pathologiam Generalem* explicabit.

C. F. JACMART, Prof. Ord., omni die, hora IX, *Clinicis Exercitationibus* in Nosocomio Civili praeerit, et tirones ad *Praxim Clinicam* instituet. Diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora X, *Therapiam Generalem* et *Specialem*; diebus Martis, Jovis et Saturni, eadem hora, *Materiam Medicam* tradet.

J. M. BAUD, Prof. Ord., omni die, hora VIII, lectiones *Chirurgiae Practicae* in Nosocomio Civili habebit; diebus quinis septimanae posterioribus, hora III, *Anatomiam*; diebus Martis et Veneris, hora XI, *Chirurgicas Operationes* demonstrabit.

A. VAN SOLINGEN, Prof. Ord., diebus Lunae, Martis, Jovis et Saturni, hora II, *Artem Obstetriciam* explanabit. Die autem Lunae auditores suos Encheiresibus Obstetriciis instituet. Die Martis Theoriam et die Jovis Praxim docebit, quibus die Saturni *Doctrinam Pathologiae Generalis* subjunget, cui explicatio *Morborum Puellarum*, *Mulierum gravidarum* et *puerperarum* superstruatur. Horis deinceps opportunis, *Praxi Clinicae* praeerit, quoties puerperae in Nosocomio Civili decumbent. Medicinae denique candidatis, Theoriae peritis, aditus quoque ad Institutiones Clinicas in Nosocomio Obstetricio concedetur.

Alternatim Professores *Exercitationibus Disputandi*, semel per septimanam instituendis, praeerunt

III. IN ORDINE MATHEMATICORUM ET PHYSICORUM.

F. J. GOEBEL, Prof. Ord., *Mathesin Elementarem*, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora VIII; scilicet die-

bus Lunae et Jovis *Geometriam* (secundum sua *Elementa Geometriae*); disciplina hac explicata, quaedam de *Sectionibus Conicis* adjiciet, diebus vero Martis et Veneris *Arithmeticam Universalem* demonstrabit. In commodum autem studiosorum qui in Mathesis elementis satis erunt versati, die Lunae, hora XI et diebus Mercurii ac Saturni, hora VIII, *Calculum Differentialem* et *Integralem* ejusque applicationes docebit. Tempore opportuno resolutionem Aequationum quantivis gradus tradet.

J F. Sentelet, Prof. Ord., *Physicam experimentis illustratam*, diebus Martis, Jovis et Saturni, hora XI, diebus autem Mercurii et Veneris, eadem hora, *Astronomiam* et (tempore aestivo) *Oeconomiam Ruralem* tradet.

F. J. Adelmann, Prof. Ord., *Historiam Naturalem Animalium cum Anatomia comparata conjunctam*, diebus Martis, Mercurii et Jovis, hora IX, die Veneris eadem hora *Mineralogiam*, diebus vero Lunae, Veneris et Saturni, hora XII, *Botanices Elementa* et *Physiologiam Plantarum* exponet.

J. B. Van Mons, Prof. Ord., *Chimiam Generalem et Specialem*, diebus Martis, Jovis et Saturni, hora X; diebus Mercurii et Veneris, eadem hora, *Pharmaciam Practicam*, duce *Pharmacopaea Belgica*; insuper diebus Martis et Veneris, hora III pomeridiana, lingua Belgica, *Horticulturam Theoreticam et Practicam* docebit.

M. Gloesener, Lector, *Dynamicam* et *Hydrodynamicam* exponet diebus Lunae, Mercurii et Martis, hora IX. Scholas de *Astronomia Mathematica*, semestri aestivo inceptas, habere perget, eamque ad *Artem Navigandi* applicabit,

diebus Martis, Jovis et Saturni, hora IX. *Geodaesiam* et *Mathesin Adplicatam* docebit diebus et horis deinceps indicandis.

IV. IN ORDINE JURECONSULTORUM.

A. C. HOLTIUS, Prof. Ord., *Institutiones* interpretabitur diebus Martis, Veneris et Saturni, hora XI; item diebus Mercurii et Jovis, hora IX. *Juris Romani Historiam* exponet diebus Martis, Veneris et Saturni, hora IX. *Juris Cambialis* elementa tradet die Jovis, hora XII.

J. P. DEBRUYN, Prof. Ord., sexies per septimanam, hora X, *Pandectas*; diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni, hora III, *Jus Naturae* et *Gentium* explicabit.

H. F. DECOSTER, Prof. Ord., sexies per septimanam, hora IX, *Jus Civile Hodiernum*; diebus Martis et Veneris, hora III, *Jus Publicum* docebit.

J. M. F. BIRNBAUM, Prof. Ord., diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII, *Jus Criminale Hodiernum*; diebus Mercurii et Jovis, hora XI, *Juris Encyclopaediam* et *Methodologiam* docebit.

A. M. J. MOLITOR, Lector, bis per septimanam (diebus et horis postea indicandis) *Methodum procedendi in causis civilibus* docebit, atque studiosos in disputando de variis Juris argumentis exercitabit.

SERIES LECTIONUM

PRO SEMESTRI HIBERNO

ANNI ACADEMICI MDCCCXXV—MDCCCXXVI

IN COLLEGIO PHILOSOPHICO

PROPOSITA.

I. IN ORDINE PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM

G. J. Bekker, Prof. Ord., breviter exposita *Literarum Latinarum Historia*, explicabit *Ciceronis Libros de officiis* et *Latine Scribendi Exercitationes* instituet, diebus Martis, Mercurii et Jovis, hora III. Diebus Jovis et Veneris, hora IV et Saturni, hora IX., *Isocratis Panegyricum* interpretabitur: diebus Lunae et Saturni, hora III, *Linguae Hebraicae Grammaticam* docebit.

G. J. Meijer, Prof. Ord., diebus Lunae et Saturni, hora II, *Linguae Belgicae Grammaticam* explicabit, simulque *Exercitationes Belgice Scribendi* instituet.

FR. JOS. SEBER, Prof. Ord., sexies per septimanam, hora X, *Psychologiam et Logicam* docebit.

FR. CHR. DE GREUVE, Prof. Ord., omni die, hora VII matutina, *Historiam Universalem Veterem* enarrabit.

Literas Gallicas et *Germanicas* docebunt earum rerum studiosos Lectores et Magistri Academici, tempore postea indicando.

II. IN ORDINE MATHEMATICORUM ET PHYSICORUM.

FR. JAC. GOEBEL, Prof. Ord., diebus Lunae, Martis et Jovis, hora VIII, *Arithmeticam Universalem* exponet; qua terminata *Geometriam* docebit.

M. GLOESENER, Prof. Extraord., diebus Lunae, Veneris et Saturni, hora III, *Physicae et Chymiae Doctrinas* cum *Historia naturali*, in universum, tradet.

III. IN ORDINE JURECONSULTORUM.

R. WINSSINGER, Prof. Ord., sexies per septimanam, hora XI, *Historiam Ecclesiasticam* explicabit.

Singuli Professores atque Lectores, iteratis per septimanam vicibus, *Examinibus* vacabunt et *Repetitionibus*, cum commilitonibus instituendis.

Res Collegii interiores moderabitur TH. MICHAELIS, Collegii Regens; quem auxiliabuntur Subrectores, viri humanissimi, AD. LAMESCH, J. B. KINTZELÉ et R. TIRON, cui simul *Oeconomiae domesticae* cura demandata est.

SERIES LECTIONUM

PRO SEMESTRI AESTIVO

ANNI ACADEMICI MDCCCXXV—MDCCCXXVI

PROPOSITA.

I. IN ORDINE PHILOSOPHIAE ET LITERARUM HUMANIORUM

G. J. Dumbeck, Prof. Ord., diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X, *Historiam Universalem Antiquam* continuabit. Diebus Jovis, Veneris et Saturni, hora X, *Antiquitates Romanas* explicare perget. Diebus Lunae, Mercurii et Jovis, hora XII, *Historiam Europae Politicam* cum *Statistica* tradet, et cum ea *Exercitationes Disputandi* conjunget.

G. J. Bekker, Prof. Ord., Scholas hibernis his mensibus a se habitas omnes continuabit, *Latinas* diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora VII matutina; *Graecas* diebus Jovis, Veneris ac Saturni, hora eadem : *Philologorum Exercitationes* moderabitur diebus Lunae et Mercurii, hora XII.

G. J. Meijer, Prof. Ord., diebus Martis et Veneris, hora II,

Linguae Belgicae Grammaticam explicabit, simulque *Exercitationes Belgice Scribendi* instituet : diebus Mercurii et Jovis, *Praecepta Stili Belgici*, hora IX, tractabit. Diebus Martis et Veneris, hora IX, *Historiam Patriam* exponere perget

F. A. AB REIFFENBERG, Prof. Extraord., diebus Martis, Mercurii et Jovis, hora IX, *Logicam et Metaphysicam*, continuabit; diebus Veneris et Saturni, eadem hora, lectiones super *Criticismo*, *Ethica* et *Historia Philosophiae* perget et cum iis de *Schellingio*, de *Ad. Smithii* atque *J. B. Sayii doctrina publica* disputationes conjunget.

J. JACOTOT, Lector, *Literas Gallicas* tradet, diebus Martis, Jovis, Veneris et Saturni, hora V.

II. IN ORDINE MEDICORUM

G. J. VANGOBBELSCHROY, Prof. Ord., diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XI, *Physiologiam*; diebus Jovis et Veneris, eadem hora, *Pathologiam Generalem* explicabit.

C. F. JACMART, Prof. Ord., omni die, hora VIII, *Clinicis Exercitationibus* in Nosocomio Civili praeerit, et tirones ad *Praxim Clinicam* instituet. Diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora X, *Therapiam Generalem* et *Specialem*; diebus Martis, Jovis et Saturni, eadem hora, *Materiam Medicam* tradere perget. Diebus Lunae et Mercurii, hora XII, *Medicinam Legalem* exponet.

J. M. BAUD, Prof. Ord., omni die, hora VII, lectiones *Chirurgiae Practicae* in Nosocomio Civili habebit; diebus quinis septimanae posterioribus, hora III, *Theoriam Chirurgiae* docebit.

A. VAN SOLINGEN, Prof. Ord., diebus Lunae, Martis, Jovis et Saturni, hora II, *Artem Obstetriciam* explanabit. Die autem Lunae auditores suos Encheiresibus Obstetriciis instituet. Die Martis Theoriam et die Jovis Praxim docebit, quibus die Saturni *Doctrinam Pathologiae Generalis* subjunget, cui explicatio *Morborum Puellarum, Mulierum gravidarum* et *puerperarum* superstruatur. Horis deinceps opportunis, *Praxi Clinicae* praeerit, quoties puerperae in Nosocomio Civili decumbent. Medicinae denique candidatis, Theoriae peritis, aditus quoque ad Institutiones Clinicas in Nosocomio Obstetricio concedetur.

Alternatim Professores *Exercitationibus disputandi*, semel per septimanam instituendis, praeerunt.

III. IN ORDINE MATHEMATICORUM ET PHYSICORUM.

F. J. GOEBEL, Prof. Ord., *Mathesin Elementarem*, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora VIII demonstrare; in commodum autem studiosorum qui inMathesis elementis satis erunt versati, die Lunae, hora XI et diebus Mercurii ac Saturni, hora VIII, *Diversas Analyseos et Geometriae Sublimioris* doctrinas; diebus Mercurii Venerisque, hora X, *Calculum Differentialem et Integralem* ejusque applicationes docere perget.

J. F. SENTELET, Prof. Ord., *Physicam experimentis illustratam*, diebus Martis, Jovis et Saturni, hora XI; diebus autem Mercurii et Veneris, eadem hora, *Astronomiam* et *Oeconomiam Ruralem* tradet.

F. J. ADELMANN, Prof. Ord., *Historiam Naturalem Anima-*

lium cum Anatomia comparata conjunctam, diebus Martis, Mercurii et Jovis, hora XI, die Veneris eadem hora *Mineralogiam*, diebus vero Jovis Veneris et Saturni, hora XII, *Botanicam* exponet; et diebus opportunis *Excursionibus Botanicis* praeerit.

J. B. VAN MONS, Prof. Ord., *Chymiam Generalem et Specialem*, diebus Martis, Jovis et Saturni, hora X; diebus Mercurii et Veneris, eadem hora, *Materiem Pharmaceuticam* et *Pharmaciam Practicam*, duce *Pharmacopaea Belgica*; insuper diebus Martis et Veneris, hora III pomeridiana, lingua Belgica, *Horticulturam Theoreticam et Practicam* docere perget.

M. GLOESENER, Prof. Extraord., *Dynamicam et Hydrodynamicam* exponere perget diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora XI. *Leges Motuum Lunae et Planetarum*, *Theoriam Eclypsium et Artem Nauticam* docebit diebus Martis, Jovis et Saturni, hora XI.

M. PAGANI, Prof. Extraord., *Disciplinas Mathematicas ad Artes Adplicatas* tradet, diebus et horis postea indicandis.

IV. IN ORDINE JURECONSULTORUM.

A. C. HOLTIUS, Prof. Ord., *Institutiones* interpretabitur diebus Martis, Veneris et Saturni, hora XI; item diebus Mercurii et Jovis, hora X. *Juris Romani Historiam* exponet diebus Martis, Veneris et Saturni, hora X. *Jus Cambiale*, ut fecit die Jovis, hora XII.

J. P. DEBRUYN, Prof. Ord., sexies per septimanam, hora X,

Pandectas; diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni, hora III, *Jus Naturae* et *Gentium* explicabit.

H. F. DECOSTER, Prof. Ord., sexies per septimanam, hora IX, *Jus Civile Hodiernum*; diebus Martis et Veneris, hora III, *Jus Publicum* docebit.

J. M. F. BIRNBAUM, Prof. Ord., diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII, *Jus Criminale Hodiernum*; diebus Mercurii et Jovis, hora XI, *Juris Encyclopaediam* et *Methodologiam* continuabit.

A. M. J. MOLITOR, Lector, diebus Lunae et Saturni, hora XI, *Methodum procedendi in causis civilibus* docere perget, atque studiosos in disputando de variis Juris argumentis exercitabit.

SERIES LECTIONUM

PRO SEMESTRI AESTIVO

ANNI ACADEMICI MDCCCXXV—MDCCCXXVI

IN COLLEGIO PHILOSOPHICO

PROPOSITA.

I. IN ORDINE PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM:

G. J. Bekker, Prof., Scholas hibernis his mensibus a se habitas omnes continuabit, *Latinas* diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora VII matutina, *Graecas* diebus Jovis, Veneris et Saturni, hora eadem, et *Hebraicas* tandem diebus Mercurii ac Saturni, hora VIII.

G. J. Meijer, Prof., diebus Martis et Veneris, hora II, *Linguae Belgicae Grammaticam* explicabit, simulque *Exercitationes Belgice Scribendi* instituet.

FR. CHR. DE GREUVE, Prof., omni die, hora IX, *Historiam Philosophiae antiquam*, *inprimis Graecorum et Romanorum* enarrabit.

FR. JOS SEBER., Prof., sexies per septimanam, hora XI, *Metaphysicam* docebit; hora vespertina IV—V, *Criticam Fritii atque Jacobii Systematum Philosophiae Historiam* exponet, ter per hebdomadam.

Literas Gallicas et *Germanicas* docebunt harum rerum studiosos Lectores et Magistri Academici, tempore postea indicando.

II. IN ORDINE MATHEMATICORUM ET PHYSICORUM.

FR. JAC. GOEBEL, Prof., diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora VIII, *Arithmeticam Universalem et Geometriam* docebit.

M. GLOESENER, Prof., *Theorias Electricitatis*, *Galvanismi*, *Magnetismi*, *Electro-Magnetismi*, *Soni et Opticae in universum* exponet, nec non, tempore haud defecturo, *Primas et Praecipuas Astronomiae notitias* docebit, diebus Lunae, Veneris et Saturni, hora III.

III. IN ORDINE JURECONSULTORUM.

R. WINSSINGER, Prof., sexies per septimanam, hora X, *Historiam Ecclesiasticam* explicabit.

Singuli Professores atque Lectores, iteratis per septimanam vicibus, *Examinibus* vacabunt, et *Repetitionibus*, cum commilitonibus instituendis.

III.

SERIES

DISSERTATIONUM OMNIUM

A DIE TERTIO OCTOBRIS ANNI MDCCCXXV

AD DIEM UNDECIMUM AUGUSTI ANNI MDCCCXXVI

DEFENSARUM.

4*

SERIES DISSERTATIONUM

ANNO ACADEMICO MDCCCXXV—MDCCCXXVI

PRO OBTINENDO DOCTORIS GRADU

PUBLICE DEFENSARUM.

IN ORDINE PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM.

ANNO MDCCCXXV, DIE XXIV DECEMBRIS.

FRANCISCI MOESMAN, Rheno-trajectini, Dissertatio *De Philosophia Socratica, in Cyropaedia quoque obvia.*

IN ORDINE MEDICORUM.

ANNO MDCCCXXV, DIE IX DECEMBRIS.

JOANNIS ADRIANI DE RAM, ex Wouw, Dissertatio *De Metritide acuta.*

XXIV DECEMBRIS.

PETRI JOSEPHI VERELST, ex Boom, Dissertatio *De Bronchitide.*

ANNO MDCCCXXVI, DIE XVII JANUARII.

HENRICI JOSEPHI DECORDES, Wavriensis, Dissertatio *De Gastrorrhagia.*

XIV MARTII.

JOANNIS DEVYVER, ex Bierbeek, Dissertatio *De Hyoscyamo Nigro.*

XVII MARTII.

EDUARDI NÈVE, Athensis, Dissertatio *De Rachitide.*

XVIII MARTIII

HENRICI CERF, Jamaicensis, Dissertatio *de Pertussi.*

(*Post Decretum Regium* 14 *Martii*).

XXVIII APRILIS.

ANTONII MAES, ex Oudenbosch, Dissertatio *De Pleuritide. Cum laude* Doctor creatus est.

XII JULII.

JOANNIS GEORGII LINDT, ex Altengronau, (in Hassia Electorali) Dissertatio *De Imaginatione. Cum laude.*

XIX JULII

JOSEPHI EMILII LEQUIME, Bruxellensis, Dissertatio *De Physiologia foetus. Cum laude.*

XXI JULII.

PETRI JOSEPHI HENDRICKX, Mechliniensis, Dissertatio *De Evolutione foetus in utero gravido. Cum laude.*

III AUGUSTI

JOSEPHI SHEA, ex insula Terrae Novae, Dissertatio *De Hydrocele tunicae vaginalis.*

IN ORDINE JURECONSULTORUM.

ANNO MDCCCXXV, DIE V NOVEMBRIS.

JOSEPHI JACOBI ANTONII FREDERICHS, Mechliniensis, Dissertatio *De Executoribus Testamentorum.*

XI NOVEMBRIS.

JOANNIS BAPTISTAE CARLEER, Lovaniensis, Dissertatio, *De Regimine dotali.*

XIII DECEMBRIS.

CAMILLI B. J. WINS, Hannomontani, Dissertatio *De Supplicio capitis tollendo.*

XXIII DECEMBRJS.

CAROLI JOANNIS WILHELMI STEDMAN, Hagae Comitani, Dissertatio *Quaedam de collatione* sistens.

ANNO MDCCCXXVI, DIE XX JANUARII.

NESTORIS LABRIQUE, ex Bauffe, Dissertatio *De Executoribus testamentariis.*

XXI JANUARII

IGNATII ANTONII JOSEPHI QUIRINI, Lovaniensis, Dissertatio *De Bonorum separatione.*

X FEBRUARII

FRANCISCI DERAEDT, Antwerpiensis, Dissertatio *De Usufructu parentum in bonis liberorum propriis.*

XVII FEBRUARII.

LUDOVICI JOSEPHI BRAAS, ex Floreffe, Dissertatio *De Fideicommissariis haereditatibus.*

XIV MARTII.

PETRI FRANCISCI DELVAUX, Luxemburgensis, Dissertatio *De Representatione.*

XVIII MARTII.

ARNOLDI VAN MEENSEL, Lovaniensis, Dissertatio *De Causa in obligationibus.*

(*Post Decretum Regium* 14 *Martii*).

IX MAJI.

JOANNIS JACOBI DU BOIS, Coloniensis, Dissertatio *De Solutione.*

VI JUNII.

PETRI HENRICI HERNALSTEEN, Bruxellensis, Dissertatio *De Obligationibus, quae cum clausula poenali contrahuntur.*

XXVII JUNII.

CAROLI JOSEPHI T'SERSTEVENS, Bruxellensis, Dissertatio *De Lege Rhodia de jactu. Cum laude* Doctor creatus est.

XXV JULII

FLORENTII JOSEPHI AGAPITI DEHARVENG, Hannomontani, Dissertatio *De Deposito. Cum laude.*

XXVIII JULII.

CORNELII JOSEPHI POULLET, Lovaniensis, Dissertatio *De Clausula Poenali. Cum laude.*

XXIX JULII.

IVO CORNELII JOSEPHI POULLET, Lovaniensis, Dissertatio *De Reversione Legali. Cum laude.*

XXXI JULII.

ADOLPHI PH. HUB. JOS. DE MARBAIX, Hannomontani, Dissertatio *Varias quaestiones ad legem* 21 *Aprilis* 1810, *De Metallis, Lapidibus, etc. fodiendis* exhibens. *Cum laude.*

I AUGUSTI.

JOANNIS BAPTISTAE PETRI ÆGIDII VAN DEN EYNDE, ex Langdorp, Dissertatio *De Remissione debiti. Cum laude.*

II AUGUSTI.

XAVERII CAROLI EUGENII LELIÈVRE, Namurcensis, Dissertatio *De Poenarum Delictis adaequandarum ratione. Magna cum laude.*

III AUGUSTI.

C[illegible] DU ROY, Athensis, Dissertatio *Quaestiones varii argumenti* exhibens.

IV AUGUSTI.

JOANNIS DESWERTE, Bruxellensis, Dissertatio *Quaestiones varii argumenti* exhibens.

V AUGUSTI.

JULIANI VAN DER PLAS, Bruxellensis, Dissertatio *De Novatione.*

VII AUGUSTI.

MELCHIORIS JOSEPHI THOMAS, ex Buzet, in HANNONIA, Dissertatio *De infantium expositione. Cum laude.*

VIII AUGUSTI.

JOANNIS ESTHER JOSEPHI KRAMP, Antwerpiensis, Dissertatio *De Impedimentis Matrimonii. Cum laude.*

IX AUGUSTI.

HIERONYMI JOSEPHI T'KINT, Bruxellensis, Dissertatio *De Pacto retrovendendi.*

X AUGUSTI.

CAROLI MEYS, Mechliniensis, Dissertatio *De Obligatione alimentorum praestandorum.*

XI AUGUSTI.

HYPPOLITI JOSEPHI TREMOUROUX, ex Perwez, Dissertatio *Varias quaestiones* exhibens.

IX. 5

EODEM DIE.

NICOLAI FERDINANDI PIÉRET, Nivellensis, Dissertatio *De Effectu retroactivo*.

Ornatissimus ANTONIUS MAES, ex Oudenbosch, Medicinae Doctor, die V Maji, dignitatem Doctoris Artis Obstetriciae, peractis examinibus solitis, *Cum laude*, obtinuit.

IV.

ACTA

IN SENATU ACADEMICO

A DIE TERTIO OCTOBRIS ANNI MDCCCXXV

AD DIEM DECIMUM SEXTUM OCTOBRIS ANNI MDCCCXXVI.

ACTA IN SENATU

ANNO ACADEMICO

MDCCCXXV—MDCCCXXVI.



ANNO MDCCCXXV, DIE XXIV OCTOBRIS.

Praelectum est Decretum Regium, quo Vir Doctissimus M. GLOESENER, antea in Ordine Physic. et Mathem. Lector, in eodem Ordine Professor Extraordinarius designatus est.

Alterum Decretum Regium, quo Viri Clarissimi et Doctissimi F. C. DE GREUVE, F. J. SEBER et R. WINSSINGER in Collegio Philosophico Professores Ordinarii nominati sunt.

(Vide ad calcem Decretum Regium quo Collegium Philosophicum instituitur).

VII DECEMBRIS.

Recitatae sunt literae Amplissimorum Academiae Curatorum quibus Senatui significatum est Augustissimum Regem pretiosissimam picturam a celebri artifice VAN BREE, Antwerpiensi, confectam emisse et statuisse, eam in magno Collegii Philosophici Auditorio esse collocandam. Censuit Senatus literis ad Curatores mittendis Augustissimo Regi pro insigni hac benevolentiae significatione gratias esse agendas.

ANNO MDCCCXXVI, DIE XXVI APRILIS.

Lectum est Decretum Regium ea explicans, quae in nostris Academiis Professoribus Extraordinariis cum Senatu Academico communia esse debeant.

Alterum Decretum Regium, quo Vir Clarissimus et Doctissimus M. PAGANI, in Ordine Mathematicorum et Physicorum, Professor Extraordinarius nominatus est.

Tertium Decretum Regium, quo Vir Ornatissimus C. C. S. BERNHARDI Bibliothecae Academicae Praefectus, et C. J. STAES Bibliothecae Custos nominati sunt.

Quartum Decretum Regium, XIV Martii, quo praescribitur quibus verbis in Diplomatibus Doctorum et Candidatorum laudes in posterum sint significandae, quas Senatus et Ordines Doctorandis et Examinandis tribuendas judicassent; simulque statuitur, ut harum laudum in Academiae Annalibus mentio fiat.

Recitatae sunt literae Summi institutionis publicae Administratoris, quibus ex Rectore Magnifico, singulis Ordinibus et Professoribus petitur, ut declarent quid de abuso sentirent, quo nonnulli studiosi, tertium studiorum annum non in urbe academica sed domi transigerent, et quibus modis abusum illum tollendum esse censerent.

Lectae denique sunt literae Prorectoris et Senatus Academici Academiae Goettingensis, quibus ad Senatum nostrum mittitur exemplar nummi argentei cusi in honorem

quinquagesimi muneris professorii anni expleti Clarissimorum et Doctissimorum Virorum *Blumenbach*, *Strohmeijer* et *Eichhorn*.

VI MAJI.

Tristis Senatui nuntius allatus est de morte Viri Clarissimi J. P. De Bruyn, in Ordine Jureconsultorum Professor Ordinarius, cujus memoriam sacris funerariis et solemni more celebrari placuit.

XV JUNII

Recitatae sunt literae Summi institutionis publicae Administratoris, quibus statuitur, diplomata quae Ordo Medicorum factis in exteris Academiis Medicinae Doctoribus post institutum a se legitimum examen exhibere solet, etiam a Rectore Magnifico et Senatus Graphiario signanda esse.

Nominati sunt a Senatu ex legis praescripto sex Professores, ex quibus unum Rex Augustissimus ad Rectoris Magnifici munus anno proximo gerendum eligeret.

IV AUGUSTI.

Perlato ad Senatum nuntio Virum Clariss. J. M. Baud, in Ordine Medicorum Professorem Ordinarium, a Rege Augustissimo Rectorem Magnificum in annum insequentem designatum esse, facta est Viro Spectatissimo gratulatio, et sex deinceps nominati sunt Professores, ex quibus unus anno proximo Senatui Academico ab actis esset futurus.

XVI OCTOBRIS.

In Senatu amplissimo ex Ordine Mathematicorum et Physicorum Vir. Clar. Adelmann, ex Ordine JCtorum Vir. Clar.

DECOSTER, et ex Ordine Philosophorum Vir. Clar. MEYER electi sunt, qui anno proximo in Consilium Rectoris Magnifici adsiderent, et Senatus Actuarius in eundem annum renuntiatus est Vir. Clar. A. C. HOLTIUS. Quibus peractis in Auditorio Collegii Philosophici Vir. Clar. F. J. DUMBECK Oratione habita munus Rectoris Academiae Magnifici deposuit, praemia victoribus in certamine Literario hujus anni distributa, et cum programmate certaminis Literarii in annum proximum indicti, Judicia Ordinum de responsionibus ad quaestiones anno superiori propositas praelecta sunt a Viro Clar. G. J. BEKKER, qui hoc die vice Senatus Actuarii functus est. Designatus denique Rector Magnificus J. M. BAUD juramento ex lege praestito, Academiae regundae munus suscepit.

DECRETUM REGIUM

QUO COLLEGIUM PHILOSOPHICUM INSTITUITUR.

WIJ WILLEM, *bij de gratie Gods, Koning der Nederlanden, Prins van Oranje-Nassau, Groot Hertog van Luxemburg, enz. enz. enz.*

In aanmerking nemende, dat in vroeger tijd, volgens onderscheiden kerkelijke en wereldlijke verordeningen geene Roomsch-Katholyke jongelingen in de bisschoppelijke semi-

narien mogten worden opgenomen, alvorens de zoogenaamde *humaniora* en wijsbegeerte behoorlijk te hebben volbragt;

Overwegende dat deze verordeningen bij de tegenwoordige inrigting van het onderwijs voor gemelde jongelingen in vele deelen niet worden opgevolgd, en mitsdien het heilzaam oogmerk niet kan worden bereikt, hetwelk daarbij is bedoeld;

Gelet op de vertoogen van sommige Roomsch-Katholieke kerkvoogden, over de ongenoegzaamheid van het voorbereidend onderwijs voor jongelingen, die voor den geestelijken stand worden bestemd;

Gezien het reglement op de inrigting voor het hooger onderwijs in de zuidelijke provincien van het Rijk, bij Ons Besluit van den 25 September 1816, n°. 65, goedgekeurd;

En willende het opleiden van bovengedachte jonge lieden tot bekwame geestelijken voor de Roomsch-Katholieke Kerk begunstigen en gemakkelijk maken;

Op het rapport van onzen Minister voor het publieke Onderwijs, de Nationale Nijverheid en de Kolonien, en van den Directeur Generaal voor de Zaken van den Roomsch-Katholieken Eeredienst, van den 29 November 1823, n°. 963;

Gelet op het advies van Onzen Minister van Binnenlandsche Zaken, van den 19 Mei laatstleden, n°. 58;

Den Raad van State gehoord;

Hebben besloten en besluiten :

ART. I.

Er zal voorloopig op eene der hooge scholen in de zuidelijke provincien van het Rijk een gesticht van voorbereidend onderwijs, onder de benaming van *Collegium Philosophicum*, in een geschikt gebouw (hetwelk de stad bij gebreke van een voorhanden lands gebouw verstrekken zal), worden gevestigd, ten behoeve der Roomsch Katholieke jongelingen, welke voor den geestelijken stand bestemd zijn. Zij zullen in hetzelve worden opgenomen en het geestelijk gewaad mogen dragen, na alvorens als studenten in de letterkundige faculteit, volgens de bestaande verordeningen, te zijn ingeschreven. Zij zullen in gezegd gebouw kost en inwoning genieten, waarvoor zij s'jaars hoogstens *twee honderd guldens* (*f* 200) zullen betalen, het natemelden onderwijs hieronder gerekend.

II.

De kweekelingen van het *Collegium Philosophicum* zullen in de navolgende vakken worden onderwezen :

Nederduitsche letterkunde,

Latijnsche letterkunde,

Grieksche letterkunde,

Hebreeuwsche letterkunde,

Welsprekendheid,

Redeneerkunde,

Nederlandsche Geschiedenis,

Algemeene geschiedenis,

Geschiedenis der wijsbegeerte,

Kerkelijke geschiedenis,

Zedekunde,

Bovennatuurkunde,

Kanoniek regt.

Daarenboven zal hun gelegenheid worden gegeven om onderrigt te mogen ontvangen in de hoogduitsche en fransche letterkunde, in de nederduitsche en fransche welsprekendheid, en in de wiskunde.

Eindelijk zal aan hen in eene afzonderlijke voorlezing, een algemeen overzigt gegeven worden van de natuur-, schei- en landhuishoudkunde, en van de natuurlijke historie; welk overzigt beknopt, doch zoo volledig zal zijn, dat zij van alle vakken een goed denkbeeld krijgen.

Al de kweekelingen zullen dit overzigt bijwonen.

III.

Ten dienste der kweekelingen zullen er door het Depar-

tement van Binnenlandsche Zaken, na den Aartsbisschop van *Mechelen* daarop te hebben gehoord, aan Ons ter benoeming worden voorgedragen drie hoogleeraren.

Bij voorkeur zullen daartoe priesters van den Roomsch-Katholieken Godsdienst, en in alle gevallen, leden dier geloofsbelijdenis worden voorgesteld.

Aan een hunner zal worden opgedragen, de redeneer-, bovennatuur- en zedekunde.

Aan een anderen, de geschiedenis der wijsbegeerte en de algemeene geschiedenis, en

Aan een derden het kanonieke regt en de kerkelijke geschiedenis.

De lessen dezer hoogleeraren zullen met opene deuren gegeven, en door de overige studenten der hooge school kunnen bijgewoond worden.

IV.

De hoogleeraren, welke ingevolge het voorgaand artikel, ten behoeve der kweekelingen van het *Collegium Philosophicum* benoemd, doch daarin niet gehuisvest zullen worden, zullen ieder eene jaarwedde van *twee duizend vijf honderd guldens* (*f* 2500) uit 's lands kasse, doch geene kollegie-gelden van de leerlingen, ontvangen.

Twee hunner zullen tot de faculteit der letteren, en hij, die het kanonieke regt zal onderwijzen, tot de faculteit der regten behooren.

V.

Zij zullen hunne voorlezingen in de latijnsche taal houden.

Elk leeraar zal in dezelfde taal zoogenaamde respondeer en dispuut kollegien houden.

VI.

Het Departement van Binnenlandsche Zaken zal bepalen de orde van studie, de dagen en uren der lessen, alsmede den tijd waarin elke wetenschap, het onderwerp eener afzonderlijke les uitmakende, zal moeten afgehandeld worden, mitsgaders de examens aan welke de kweekelingen zullen onderworpen zijn.

VII.

De hoogleeraren der hooge school zullen aan de kweekelingen van het *Collegium Philosophicum* onderwijs geven in al de vakken, die niet aan afzonderlijke hoogleeraren, volgens art. 3 zijn voorbehouden; zij zullen daarvoor geene kollegie-gelden ontvangen, doch is het Departement voornoemd gemagtigd, aan Ons jaarlijks eene voordragt te doen, om aan hen eene billijke toelage te verleenen.

VIII.

In vervolg van tijd, nader te bepalen, kan niemand tot hoogleeraar van het *Collegium Philosophicum* worden voorgedragen, zonder den graad van doctor te bezitten.

IX.

Zoodra de stad zal zijn bepaald, waar het *Collegium Philosophicum* zal worden gevestigd, zal door Ons, de Aartsbisschop van *Mechelen*, tot vasten curator benoemd, en aan hem in die hoedanigheid, het toezigt over dat collegium meer bepaaldelijk worden opgedragen.

X.

Er zal een regent, en een of meer onder-regenten, allen Roomsch-Katholieke priesters, door Ons aan gemeld *Collegium Philosophicum* worden benoemd, op de voordragt van het Departement van Binnenlandsche Zaken, dat deswege den Aartsbisschop van *Mechelen* zal hebben geraadpleegd.

De regent zal belast zijn met het huishoudelijk bestuur van het gesticht, met het toeverzigt over tucht, orde, en de vlijtige beoefening der lessen, alsmede met het onderwijs der Christelijke leer en goede zeden.

Hij zal in een en ander, door de aan hem ondergeschikte onder-regenten, ondersteund worden.

XI.

De regent en de onder-regenten zullen in het gesticht vrije inwoning, kost, vuur en licht genieten.

De jaarwedde van den regent zal tot zoodanig bedrag worden gebragt, dat zijn inkomen kan worden gerekend gelijk te staan met dat der hoogleeraren die voor het kol-

legie zullen worden benoemd. Van de onder-regenten zal de eerste in rang een derde minder aan jaarwedde dan de regent genieten, en de overigen zoo veel als nader zal worden bepaald.

XII.

Door het Departement voornoemd, zullen er huishoudelijke verordeningen voor gezegd kollegie daargesteld en tevens de noodige voorschriften gemaakt worden over de wijze waarop, en de persoonen waarvoor de regent jaarlijks rekening en verantwoordig van zijn bestuur zal afleggen.

XIII.

De Kweekelingen van het *Collegium Philosophicum* worden beschouwd als studenten in de Godgeleerdheid. Mitsdien zullen op hen, voor zoo verre zij zullen verklaren in deze kweekschool met het oogmerk te gaan, om zich aan de Godgeleerdheid toetewijden, worden toegepast, de bepalingen van ons besluit van den 8 Julij 1818, n°. 129, rakende de nationale militie.

Zij kunnen in de faculteit der letteren den graad van candidaat en van doctor bekomen, volgens de bepalingen van het reglement op het hooger onderwijs.

XIV.

Twee jaren na het openen van het *Collegium Philosophicum* zullen in de bisschoppelijke Seminarien, geene lessen meer worden gegeven in de wijsbegeerte, en zullen van dien

tijd af de jaarwedden der hoogleeraren vervallen, welke met die lessen in Seminarien waren belast.

Gelijker wijze zullen na dat tijdvak in de bisschoppelijke Seminarien geene kweekelingen meer worden aangenomen, ten zij dezelven hunnen studie-tijd in het *Collegium Philosophicum* behoorlijk hebben volbragt.

Al de leerlingen van laastgemeld gesticht zullen daarin ten minste twee jaren moeten blijven.

XV.

De beurzen, welke door Ons gegeven zijn aan de kweekelingen op de Seminarien voor de studie van wijsbegeerte en Godgeleerdheid, zullen worden verdeeld in diervoege, dat een zeker getal derzelve, welke kunnen verondersteld worden bestemd te zijn geweest voor het vak der wijsbegeerte, zal worden toegevoegd aan het *Collegium Philosophicum*.

Deze beurzen zullen niet meer worden uitbetaald van het tijdstip af, dat de lessen in het *Collegium Philosophicum* aanvangen.

Ook zullen de kweekelingen aan laatstgenoemd gesticht, bij voorkeur, en zoo veel de instelling gedoogt, geregtigd wezen tot het bekomen der beurzen, die krachtens Ons besluit van 26 December 1818 (*Staatsblad*, n°. 48) ten behoeve van studenten in de wijsbegeerte hersteld zijn.

XVI.

De beurzen zullen door Ons worden begeven aan gemelde

kweekelingen op de voordragt van het hoofd van het Departement van Binnenlandsche Zaken, uit wiens begrooting de kosten, uit de oprigting van gemeld gesticht voortvloeijende, zullen worden voldaan.

Onze Minister van Binnenlandsche zaken en de Directeur Generaal voor de Zaken van den Roomsch Katholieken Eeredienst, ieder voor zoo veel hem aangaat, zijn belast met de uitvoering van het tegenwoordig Besluit, hetwelk in het *Staatsblad* zal worden geplaatst.

Gegeven te Brussel, den 14 Junij des jaars 1825, het twaalfde van Onze regering.

WILLEM.

Van wege den Koning,

J. G. de Meij van Streefkerk.

Uitgegeven den twintigsten Junij 1825.

De Secretaris van Staat.

J. G. de Meij van Streefkerk.

V.

JUDICIA ORDINUM

DE

RESPONSIONIBUS AD QUAESTIONES

PRO

CERTAMINE LITERARIO ANNI MDCCCXXVI

PROPOSITAS.

JUDICIA ORDINUM

DE

RESPONSIONIBUS AD QUAESTIONES

PRO

CERTAMINE LITERARIO

ANNI 1825—1826

PROPOSITAS.

I. JUDICIUM ORDINIS PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM.

Ad primam quaestionem anno superiori ab Ordine propositam :

« Dijudicetur nobilis illa Romanorum traditio, leges XII tabularum ab Atheniensibus esse petitas; ita quidem, ut et veterum ea de re testimoniis examinatis et indole potissimum ipsarum legum explorata, statuatur utrum quae illarum cum Atticis ac Doricis maxime legibus similitudo re-

periatur, ex Romanorum illius aetatis ingenio ac moribus queat explicari, an peregrinae earum origini sit tribuenda. »

duae exhibitae sunt Commentationes diligenter accurateque conscriptae, altera inscriptionem habens :

Historia data est neque pendet ab Historico.

altera hoc lemmate distincta :

Moribus antiquis stat res Romana.

Quarum auctores utrique, suspectae veterum traditionum fidei recte diffidentes, gravissimum hunc Romanae Antiquitatis locum e vera totius Historiae natura illustrare studuerunt. In neutra enim ullum deprehenditur dogmaticae istius rationis vestigium, qua in disquisitonibus historicis et antiquariis nihil esse potest perniciosius : in utraque reperitur scribendi simplicitas et perspicuitas cum judicandi acumine conjuncta; et in utraque eadem fere conspicitur materias explorandi ac disceptandi via et ratio : ut Ordo dubius propemodum esset, utri earum praemium decerneret. Cum vero prioris Dissertationis auctor altius penetraverit in rerum Romanarum primordia, eorumque populorum instituta, quae aliquam cum Romanis similitudinem habeant, diligentius exploraverit, singulaque momenta accuratius perpenderit ac leges denique omnes huc pertinentes caute examinaverit, praemium ei adjudicandum esse censuit Ordo. Aperta autem schedula Dissertationi adnexa patuit nomen

XAVERII LELIÈVRE, NAMURCENSIS,

in Acad. Lovaniensi Juris Candidati.

Ne vero posterioris Commentationis auctor merita laude defraudaretur, ei secundas deferre et honorificum impertiri laudis testimonium Ordo decrevit. Data schedulam aperiendi venia apparuit nomen

A. C. COSMAN

in Illustri Athenaeo Amstelod. Juris Candidati.

Ad alteram quaestionem his verbis conceptam :

« Quaeritur quibus de caussis factum sit, ut factiones Hoeksiorum et Kabeljaviorum, quae Hollandiam et Zeelandiam miserrime dilacerarunt, in Hannonia non exstiterint. »

una solummodo missa est ad Ordinem Commentatio hoc lemmate insignita :

Un état divisé fut toujours malheureux.
VOLTAIRE.

Cujus auctor licet caussas has diligenter exploraverit easque optime perspexisse videatur, minori tamen industria usus est in iisdem ad aliorum intelligentiam explicandis; ut nec doctrinae copia nec orationis elegantia se magnopere haec scriptio commendaret. Quo igitur et ipse illius auctor et alii Historiae Patriae studiosi ad idem argumentum denuo tractandum incitarentur, hanc quaestionem in annum insequentem rursus proponendam censuit Ordo.

Ad tertiam denique quaestionem :

« Exponatur, quaenam fuerint in tractanda Philosophia Francisci Hemsterhusii merita. »

tres exhibitae sunt Disputationes, quarum tertia hisce Platonis verbis inscripta:

Οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω!

cum quinto demum die mensis Junii sit ad Ordinem transmissa, in aestimationem venire non potuit. Ad duas reliquas quod attinet, auctor alterius hoc symbolum habentis:

Hanc enim perfectam philosophiam semper judicavi quae de maximis quaestionibus copiose posset ornateque dicere.
CIC. TUSC. I. 4.

consilium quaestionis rite videtur perspexisse, quin in ea pertractanda sibi ubique constiterit. Insignis enim plurimis in locis deprehenditur non modo judicandi levitas verum etiam scribendi negligentia tanta, ut qui eam legerit vix intelligere queat quaenam revera fuerit Hemsterhusianae rationis vis ac praestantia. Quamobrem indigna haec scriptio est judicata cui praemium decerneretur.

In altera autem Disputatione Ovidianis his versibus insigni:

Si qua meo fuerint, ut erunt, vitiosa libello,
Excusata suo tempore, lector, habe!

tum ingenium Hemsterhusii vere depingitur tum placita viri commode ac dilucide exponuntur et singulorum, quae ab eo conscripta exstant, operum argumenta perspicue explanantur. Quamvis vero philosophandi acumen hinc inde desideratur et in iis maxime locis, ubi cum ceteris philo-

sophis Hemsterhusius comparatur, minus feliciter versatus est auctor, ea tamen praestare haec Commentatio videbatur et scribendi elegantia et doctrinae subtilis ac reconditae ubertate, ut praemium propositum unanimi omnium consensu ei adjudicaretur. Reclusa autem schedula adparuit nomen

JOANNIS GERARDI OTTEMA, DEUTICHEMO-FRISI, *Philosophiae et Liter. in Acad. Rheno-Trajectina Candidati.*

G. J. MEYER,

Ord. ab Actis.

JUDICIUM ORDINIS MEDICORUM.

Ad quaestionem anni superioris, quae hujuscemodi erat argumenti:

« Praemissa membranae Peritonaeï anatomico-physiologica delineatione, recenseantur ejus morbi tam acuti quam chronici. Dentur horum morborum Diagnosis, Prognosis atque Therapia. »

tres Ordo Dissertationes accepit de iisque praemio Regio dignam judicavit illam cui adscripti sunt hi versus Horatiani:

Scriptoribus atque Poëtis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.
Scio, et hanc veniam peto.

Schedula reserata ostendit nomen

THEODORI CORNELII SEEGERS, HARLEMENSIS,
Medicinae studiosi in Acad. Rheno-Trajectina.

qui ut huc se conferret per epistolam rogatus nondum advenit.

A. VAN SOLINGEN,
Ord. ab Actis.

JUDICIUM ORDINIS MATHEMATICOR. ET PHYSICOR.

Ad primam quaestionem :

« Exponatur cerevisias generalim et speciatim Belgicas elaborandi methodus. Quaenam est hujus operationis theoria profecto chemica? »

una ad Ordinem delata est responsio hoc lemmate insignis :

Pocula laeti
Fermento et variis imitantur vitea granis.

In hac tantam rerum copiam doctrinaeque technico-chemicae praestantiam Ordo reperit, ut scriptori numum aureum tribuere nequaquam dubitaverit. Aperta Schedula apparuit Commentationis scriptorem esse

JOANNEM BAPTISTAM VRANCKEN, LOVANIENSEM,
Medicinae in Acad. Lovaniensi studiosum.

Ad Mathematicam quaestionem :

« Axes coordinatarum orthogonalium sibi sunt perpendiculum in puncto A, ubi ponitur earum origo, etc. »

Ordo tres accepit Commentationes. In prima earum, cui symbolum est adscriptum :

Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.

nihil omnino inesse, quod Ordini probaretur, repertum est.

Alteri, quae in fronte habet sententiam :

Nulla dies sine linea.

ob concinnitatem et ordinem plures tribuendae sunt laudes; sed maxime est dolendum, quod auctor hujus scriptionis quadraturam curvae atque cubatorem voluminis, quod revolutione ipsius curvae generatur, leviter tantum tetigerit.

Tertia denique Commentatio his verbis insignita :

Quae mediate prosunt, haud quanquam rejicienda.

Ordini in primis placuit, quoniam se et simplicitate elegantiaque commendat et subacto judicio, justa concinnitate ac lucido ordine. Uno igitur omnium consensu illius auctor dignus est judicatus qui praemio Regio ornaretur. Resignata autem Schedula adparuit nomen

Christiani TIELEMANS, Bruxellensis,
Disciplin. Mathemat. et Phys. in Acad. Lov. Candidati.

Ceterum suis item laudibus esse celebrandum secundae responsionis scriptorem censuit Ordo eumque honorifico donandum documento. Ordini autem publice petenti auctorem sese declaravit

Josephus Joannes d'AUBRESSE, Caroloregiensis,
Discipl. Mathem. et Phys. in hac Acad. studiosus.

Ad quaestionem denique anno superiori repetitam :

« Detur accurata descriptio plantarum officinalium et venenatarum, tum phanerogamarum tum cryptogamarum, in agro Lovaniensi sponte crescentium, addita earum Historia, etc. »

una tantum exhibita est Dissertatio, in fronte habens haec verba Linnae :

Quinam labores, quaenam scientia taediosior et durior esset botanica, nisi singularis aliquis et incantatus, nescio ipse qualis, amor nos saepe in hoc studium raperet.

in qua omnes fere in hac regione crescentes plantae enumerantur breviterque et perspicue describuntur; ut undique compareat, illius auctorem excursiones, quas dicunt, ipsum instituisse ac diligentissimum omnino esse herbarum scrutatorem. Reclusa Schedula Dissertationi adnexa lectum est nomen

JOANNIS KICKX, BRUXELLENSIS,
Disciplin. Math. et Phys. in Acad. Lov. studiosi.

F. J. ADELMANN,
Ord. ab Actis.

JUDICIUM ORDINIS JURECONSULTORUM.

De quaestione ab Ordine proposita :

« Quid est obligatio naturalis ex sententia Romanorum? »

una tantum scriptio allata est lemmate designata :

Rem tentasse tamen pars mihi laudis erit :

quae quidem plurimis dotibus se commendare videbatur. Magna enim fuit auctoris industria cum in *obligationis* vi et potestate e sermone et sententia Romanorum definienda, tum in variis speciebus, quae *naturalis obligationis* nomine in jure Romano usu veniunt, recensendis. Pari industria rem quam spectabat testimoniis tam jureconsultorum quam aliorum scriptorum confirmavit. Interpretum quidem diversas rationes quas ad examen vocavit, non omni qua par erat ἀκριβείᾳ prosecutus est; quin et ipse nonnulla loca minus diligenter est interpretatus : ceterum in opere ejus universo eam comperimus doctrinae copiam, ut rem non modo tentasse laudabili proposito, sed etiam feliciter auxisse judicaretur. Quocirca qui certaminis victor proclamari non potuit, eum sine certamine, victoriae palma dignum esse decrevimus. Schedula resignata apparuit nomen

ALEXANDRI LELIÈVRE, NAMURCENSIS,
Juris Candidati in Acad. Lovaniensi.

J. M. F. BIRNBAUM,
Ord. ab Actis.

VI.

PROGRAMMA

CERTAMINIS LITERARII

EX DECRETO REGIO XXV SEPTEMBRIS MDCCCXVI

ART. CXL AD CIL

PRID. IDUS QUINTIL. MDCCCXXVI

INDICTI.

QUAESTIONES

SINGULARUM DISCIPLINARUM STUDIOSIS

IN ACADEMIIS ET ATHENAEIS BELGICIS

PRO CERTAMINE LITERARIO ANNI MDCCCXXVII

PROPOSITAE.



I. AB ORDINE PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM.

I.

Quaeritur : Quibus causis factum sit, ut factiones *Hoeksiorum* et *Kabeljaviorum*, quae Hollandiam et Zeelandiam miserrime dilacerarunt, in Hannonia non exstiterint.

II.

Exhibeatur ex ipsis fontibus ducta Disputatio de Vita, Ingenio et Rebus gestis Iphicratis, nobilissimi Atheniensium Ducis.

III.

Quaeritur, quodnam fuerit commercium quod cum Belgicis Philosophis habuit CARTESIUS, quamdiu in Batavia agebat; simulque instituatur judicium de Philosophiae illius temporis in his regionibus ratione.

II. AB ORDINE MEDICORUM.

Quaeritur brevis et distincta expositio fabricae et functionis nervi sympathici majoris; fabrica vero, quantum fieri potest, iconibus illustretur.

III. AB ORDINE MATHEMATICORUM ET PHYSICORUM.

I.

Disquiratur accurate, quid pendulorum observationes circa terrae figuram proficere valeant: seu pendulorum observationum circa determinandam terrae figuram usus dilucide ostendatur; observandi rationes atque omnes observationum consequentiae physicae dijudicentur.

II.

Doceatur, quinam sit corporum organicorum calor proprius et necessarius; quatenus ea, ut sustineantur et perpetuentur, lumine indigeant; quomodo diversis temperaturae gradibus ea afficiantur, et qua denique ratione contra caloris effectus sibi ipsis noxios sese tueantur.

III.

Describantur plantae et animalia, e quorum partibus vel productis spiritus ardentes extrahi soleant, et indicentur modi quibus extractio haec perficiatur, spiritus dicti depurentur et concentrentur atque in aetheres varios convertantur; adnexa singuli processus interpretatione chemico-theoretica.

IV. AB ORDINE JURECONSULTORUM

Exponatur locus Juris Civilis Gallici de his quae per mentis imbecillitatem, vel dementiam vel furorem acta gestave sunt. Pariter disputetur de his quae per iram et ebrietatem geruntur.



Responsa, Sermone Latino, manu aliena et literis nitidis conscripta, una cum schedula nomen auctoris occultante et cui eadem sit quae responso inscriptio, omni expenso immunia, ad Virum Clarissimum qui tunc temporis Senatui erit a secretis, mittantur ante primam Junii MDCCCXXVII, ut Victores, ex decreto Regio, justo tempore, praemiis ornari possint.

LOVANII PRID. IDUS QUINTIL. MDCCCXXVI.

VII.

F. J. DUMBECKII

ORATIO

COMMENTARIIS ILLUSTRATA.

FRANCISCI JOSEPHI DUMBECK

ORATIO

COMMENTARIIS ILLUSTRATA

DE RE PUBLICA LITERATA ETC.

HABITA PUBLICE POSTRIDIE IDUS OCTOBRES A. MDCCCXXVI CUM MUNUS RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICI DEPONERET.

Ὑμεῖς ἐστε τὸ Φῶς τοῦ κόσμου. οὐ δύναται πόλις κρυβῆναι ἐπάνω ὄρους κειμένη.

Οὐδὲ καίουσι λύχνον, καὶ τιθέασιν αὐτὸν ὑπὸ τὸν μόδιον, ἀλλ' ἐπὶ τὴν λυχνίαν, καὶ λάμπει πᾶσι τοῖς ἐν τῇ οἰκίᾳ.

Οὕτω λαμψάτω τὸ Φῶς ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ὅπως ἴδωσιν ὑμῶν τὰ καλὰ ἔργα, καὶ δοξάσωσι τὸν πατέρα ὑμῶν τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

MATTH. V. 14. 15. 16.

LECTORI BENEVOLO SALUTEM ET OFFICIA.

Multum praefari huic scriptioni, quam malebam praefationem esse ad nostri temporis rationes, inutile duxi. Qua opportunitate, quo consilio habita sit Oratio, ex ejus inscriptione cognoscitur. Commentarios adjeci; non certe, quoniam Orationem citra eorum subsidia intelligi non posse crederem; verum propterea, quod ipse in Oratione delineationem tantum et rationem indicare volui eorum, quae in Commentariis uberius proferenda esse censebam. In qua tamen re (aliter enim fieri res nequibat), id mihi accidit, quod huic scriptionis generi est quasi cognatum, ut scilicet, quae, si Dissertationem *scripsissem, continuo et meliori ordine dici potuissent, nonnunquam essent repetenda.*

Quod ad numeros adtinet, qui in contextu Orationis occurrunt; Romanos, *scito, ad* Commentarios, *seu hos potius ad illos, referri;* Arabicos *vero ad* Notas *pertinere, quas in paginis ultimis invenies.*

Superest, ut verbulo moneam de duobus et iis quidem aureis libris, quibus in hac scriptione uti non licuit. Alter enim nuper admodum prodiit, ubi ea pars nostri, quam ille illustrare debuisset, jam typis excusa erat (usi eo sumus eatenus, in pp. 65 *et* 67, *quatenus hoc sub ipsa typothetae manu fieri posset). Alterum propter* celatum *et tamen* laudatum *auctoris nomen his tantum ultimis diebus accepi. Prior inscribitur :* Ideen zur Kunstmythologie, Erster Cursus; *von* C. A. Böttiger (*Dresd. u. Leipz.* 8 *Dec.* 1826. 8), *opus ingenii acumine, doctrinae copia et varietate atque expositionis claritate praestantissimum. Alterum cursum se editurum esse auctor edixit; si prior doctorum judicio fuerit probatus. Meum desiderium si pro doctorum sententia esset, ille ederet quantocyus. — Posterior hic est :* Der Untergang der Naturstaaten, *von* Feodor Eggo

(*Berl.* 1812. 8.). *Editum fuisse librum*, Hegelius *me docuit* (Naturrecht *cet. Berl.* 1821. 8. *p.* 531. *n.*)*; sed* Stuhrio *auctore*, *idem professus est. Mando bibliopolae*, *ut mittat librum; non expiscatur. Elapso lustro mittit librum* (Die Staaten des Alterth. *cet. Heidelb.* 1811. 8)*, non idem est. Tandem aliquando : serius! Habeo, teneo utrumque; avide lego; quae dixeram, probata video a tantis viris. Nunquam tam puro gaudii sensu incalui, quam cum oculis viderem, illos, in rebus longe plurimis, mecum consentire.*

Utinam jam donum meum Principes Augusti et viri Sapientes et reliqui tam bono animo velint accipere, quo ego illud ipsis trado! Utinam hi Illis persuadeant, ut non accipiant modo, sed, quae proposui, in vitam traducant, auctoritate instituant, opibus tueantur et adjuvent!

Cuncta elocutus, quod Romani, Cicerone teste, omnibus rebus agendis praefari *solebant; id in* epilogo *summo cum desiderio effero:*

QUOD BONUM FAUSTUM FELIX FORTUNATUMQUE SIT.

Tu vero, Lector, vale et mihi fave! Scribeb. Lovanii, mense Januario MDCCCXXVII.

Cum Academia Lugduno-Batava, anno superiori, saeculare festum celebrabat; ad quod ut solenni ritu obirent, a nobili illa humanitatis magistra rogati, non solum ultro aderant iique frequentissimi spectatores, bonarum Literarum amici; sed etiam, humanissime vocati reliquarum Academiarum legati et Doctores convenerant : sperabant multi, sperabant adeo gravissimi illustrissimique Senatus Ordinum Belgicorum oratores fore, ut hoc ipso anno idem Lovaniensi quoque Academiae contingat. Verum potior existimabatur illâ nonnullorum opinione justa aliorum cogitatio : hac nimirum tempestate non agi de *vetusta* Academia Lovaniensi, quae per dimidium fere saeculum eversa jaceat; sed de ea, quam ante hos decem annos, sua Regis auctoritate, recens constituerit Princeps Augustissimus. Quamquam igitur non ad illa solennia celebranda convenimus; tametsi spes ista illorum frustrata est : tamen fieri potest, ut antiquarum rerum cum rebus novis conjunctarum memoriam hoc tempore, hoc, inquam, ipso tempore recolamus, huncque diem cum hilaritate transigamus. Haec igitur recordatio magni diei,

CURATORES,

DOCTORES, CIVES ACADEMICI ET QUI ADESTIS,

atque hic ipse locus (1) voluntate principis constitutus et munificentia magistratuum hujus civitatis opportunissime et

splendidissime adornatus — quorum altera in animum revocat institutam ante quatuor saecula Academiam, longum per tempus in his terris unicam aliarumque parentem; alter vero monumentum novum, quod veteri illi diuturnitatem impertietur, nobis et tempori largitur — haec duplex, inquam, institutio a nobis quoque vehementer postulat, ut cum publice perorandum est, paullulum digrediamur a communi argumento orationis, atque dicamus de ejusmodi rebus, quibus, recenti tempore creatis, nostra aetas summopere differt cum a veteris Academiae aetate, tum ab aliis omnibus. Est enim haec universorum vox atque sententia, Academicorum Doctorum eam esse inprimis provinciam, non fere, ut suam quisque Scientiae partem doceat discipulos; sed cum universa Scientia pro sui aevi ratione et ipse progrediatur, eique in praesentia rite cognitae, perspectae et aestimatae, continuo prospiciens, meliorem etiam feliciioremque sortem praeparet futuram. Quod attinet ad memetipsum, utar hac, quae mihi data est, opportunitate, ad professionem fidei meae—historicae patefaciendam. Hoc enim jure quasi suo quisque potest usurpare, ut arctiorem quandam cum oratoris ingenio familiaritatem contrahere sibi liceat. Quod fieri nequit, nisi ille, quae sentit et cogitat, citra ullam dissimulationem auditoribus suis ob oculos ponat.

Quae cum ita se habeant, Auditores, dicam DE HODIERNO SCIENTIAE STATU, pro mea virili parte indicaturus, *Quid haec aetas ad illam Scientiam penitius percolendam expetat*; simulque ita laudabo hoc *Collegium Philosophum*, ut hae laudes non fere ab oratore me effici; verum ex temporum necessitate et rationibus sponte promanare videantur. Quod

cum fieri nequeat, quin primum, quanta potuerim brevitate, de *Indole Aetatis Nostrae* moneam; ad eam vero intelligendam, aut equidem fallar, aut ea via maxime idonea sit, qua instituatur adcuratior quaedam delineatio et vero etiam comparatio inter diversa praeteritarum aetatum ingenia : nullus vereor, ne vos taedium capiat eorum, quae paullo altius repetenda sunt. Qui enim non certis artibus perculti, sed, ut nunc fieri lugemus, de superficie tantum politi, suique solum temporis rebus moribusque adsueti, non toti et velut praesentes habitant in variarum aetatum spatiis; eorum mens et cogitatio neque in antiquum aevum traduci, neque hodiernas rerum rationes, quantumvis hoc plurimis videatur facillimum, perspicere potest.

Universarum rerum vis et natura, ut hinc ordiamur, ita est comparata, ut solis *Infiniti Temporis Immensique Spatii* formis, velut aethereo corpore induta, adparere queat. Atque ea ratione primum quidem hoc certum est : *Unum* modo tempus esse, in se non diversum; sed si quis illud unum cogitando assequi velit, magnis quibusdam intervallis distinctum et in iis maxime *varium*. Non enim magis tellus a sole et a luce tenebrae differunt ; non longius materia distat a spiritu et ab anima corpus; minus etiam rudiores sensus superantur ingenii claritate; nec denique latius abest caeca quaedam credulitas ab acutissima intelligentiae vi, quam differt ab antiquo aevo recens tempus. Nam utrumque tantum a se est alienum, quantum a se abhorrent illae antitheses; sine quarum tamen communione res ipsae invicem comparatae ne *esse* quidem possunt (2). Quidquid igitur hoc tempore est et exsistit, non minus *Unum* est, sed

eodem modo *varium* (I). Sistunt hoc *Natura* et *Genus hominum*; quod duplex unum se manifestat in *Historia*, cui reliqua omnia sunt subjecta. *Naturam* non cerni, nisi in *Spatio* : hoc spatium aeque *Unum* esse; per magnas partes cogitatum aeque *varium*, ne dicamus, in illis partibus sibi *diversum*, nemo vestrum ignorat : modo Asiam ille cum Europa, veterem cum novo orbe, meridiem cum septentrionibus atque cum ortu occasum experientia maxime communi contulerit. In Genere humano Materiam *et* Spiritum unitis viribus agere, ut sine uno cogitari alterum nequeat; non magis est, cur moneam. Atqui quod vires unitae efficiunt, eam *Actionem* vocamus; quae naturae *eventus* et *facta* hominum ante mentem ponit in SCIENTIA. Est igitur maxime consequens, Scientiam quoque esse *Unam*. Verum ut Tempus temporibus, Spatium locis, Natura elementis, Materia rebus, Genus humanum gentibus, nationibus, totis populis et singulis hominibus constat : eodem modo una Scientia dispescitur per varias easque fere innumeras doctrinas, disciplinas et artes, quas unâ omnes PHILOSOPHIAM dixeris. Singula enim solum in Universo et Uno, neque sigillatim cognoscuntur : absque hoc uno oriri *notiones* quaedam possunt; *intelligentia*, *idea Toti* exsistere non potest (II).

Ex hoc capite et principio, Auditores, inquiremus in ipsum Genus humanum, adcuratius explicaturi : quo modo illud se manifestaverit per saeculorum deinceps seriem in cultus progessu, vi et auxilio Temporis pariter et Spatii semper magis magisque promoto. Utile profecto negotium! Quo rite peracto clarum erit, quid haec nostra, quam vivimus,

aetas circa illas res, optimo cuique sanctissimas efflagitare videatur.

Temporis ingenium nostri, ad Perfectum, ad Absolutum, ad Unitatem et Concentum omnium unius Scientiae partium tendens, abunde probat: Genus humanum non solum in ampliorem provinciam esse traductum et infinitos in melioris frugi rebus fecisse progressus; verum etiam bonos ferre fructus, antiquis non gustatos. Ut autem bonum progessusque illos rite aestimemus; illud ipsummet temporis ingenium cogit nos ad aliorum temporum comparationem instituendam. Atque ea tantum conditione, ut intelligamus, quo modo nostrum aevum cum aetatibus praeteritis contineatur et quibus rationibus ab iis discrepet, illud perspiciemus: cujus tandem intelligentiae auxilio perducemur ad cognitionem rationum, quibus futuris adeo tempestatibus bene prospiciatur (III). Sunt autem majorum aeterni Temporis partium, in quibus mutabile aetatum ingenium, tanquam emanatio Spiritus mundani, in diversis Spatii locis habitantis, se diversimode ostendit, *Quatuor* maxime. Et primum quidem Imperium jure vocatur ORIENTALE; GRAECUM alterum; tertio nomen est ROMANO; quartum denique nobile censetur imperium GERMANICUM. Quatuor hae Periodi totidem sistunt cultus humani *Gradus*, quorum duo priores magis vergunt in realem partem Materiae; posteriores in idealem partem Spiritus. In illis hic adparet tanquam subjectus materiae; in alteris spiritus tanquam victor materiae. In illis Scire humanum *Fide;* in his exprimitur *Intelligentia:* illic principium *Telluris*, hic principium *Solis* praevalet ita, ut *instinctus quidam naturalis* opponatur *clarae luci Philosophiae* (IV).

Quae cum ita sint, *Orientale* imperium *Spiritum cum Materia confusum* perhibet ita, ut ille adpareat huic obnoxius inque ea quasi consepultus; ut vita solo aliquo externo et involuntario *motu* cernatur; homo, libertatis et sui conscientiae nondum compos, in materiam quasi et lapidem conversus, contineatur communi voluntate patris-familiâs; religio et publica et privata res invicem involuta sit; pro legibus denique caeremoniae multiplices hominem ad materiam adstrictum teneant (V). Hoc Chaos, vegetans haec et somnians exsistentia simulac ex orientali *terra transplantatur* in temperatius illud coelum occidentale, sensim paullatimque somno excitur in hilarem mobilemque *vitam*, quin repente relictâ materiâ, eâ prorsus exuatur; sed ut huic materiae adhaereat velut testae ovi coturnix, recens exclusa; quae licet alacriter currens, per aliquot tempus, inscia, testam dorso gerit, testem quasi materiae, unde nuper admodum incubantis calore matris proliciebatur.

Differt autem ab hoc priori alterum Imperium historicum quammaxime. Nunc enim hoc genus hominum, haec, ut ita dicam, totalitas, in partes majores discedit; disjungitur totum per ingentia membra; ut fere animalia quoque primi mundi ingentia fuere corpora, et plantae etiam, quo tempore solae nascentem terram constituerunt, in altitudinem paene incredibilem expansae et elatae, quaquaversus ultra hominum opinionem latissime explicatae, totum orbem umbra sua impleverunt. Non secus vita familiaris, in oriente concepta, inque toto Universo implicita, extra illam *generis* totalitatem et dominatum exiit atque continuo latius proserpens per *gentes* singulas dilabebatur. Hae gen-

tes sibi oppositae, et innimico studio adversus se invicem compulsae armis confecere, quidquid a singulis fuerat propositum et *vadebant omnia solidâ vi* (ut ait ENNIUS). Est enim bellum individuitatis gentium exemplar. Quaecunque inter se naturaliter congruebant, ea coibant arctiusque conjungebantur et aliena elementa, mutuam in gratiam invicem conflata, fanatico furore propulsabant. Hoc modo oriebantur ex GENERE *universo* GENTES *diversae*, Ἀριστοκρατίαι totidem; quas *liberas civitates* ad antiquorum exemplum nominare consuevimus: quae sola continebantur mutua *civium* h. e. *Optimatium* conjunctione et libertate; reliquas omnes implacabili odio persecutae, quam longissime potuerunt, a se suisque rebus arcebant. Atque haec quidem fuit natura et indoles GRAECARUM gentium, bono nimirum et vere Graeco tempore. Fregerant namque Graeci testam infinitae materiae, in qua fuerant inclusi, statimque manu tractaverunt fragmenta subactae nuper materiae; quam, ipsis inimicam, perdomare nitebantur. Haec fuit origo *Artis* illius quam πλαστικὴν et Graecis privam adpellamus. Hoc modo exstitit *vita* illa, in certis et singulis partibus *integra*. Hoc modo illud *pulcrum* in materia expressum, simul cum acutissimo elegantissimoque pulcri sensu oboriebatur atque indolem *efformabat* Graecorum, in publica, in privataque vita, in religione, civitate, arte et philosophia versatorum. Quo intuitu verum illud est: Orientales perpetuo fuisse et futuros esse *infantes*, Graecos esse et manere *adolescentes* generis humani; cumque iis *aetatem materiae praevalentis* clausam esse et finitam penitus (VI). Hanc Graecorum vitam, Auditores, vix unquam aliquis fuit, nisi ille omni humanitatis sensu plane esset destitutus, quin summis laudi-

bus celebraret. Atque nostra quoque sententia merito laudantur qui, omnium primi, *homines* fieri e brutis coepti, omnis humanitatis auctores satoresque et haberi solent et dici. Attamen qui in solis unice Graecis omnem humanitatem collocatam ex eorumque operibus esse hauriendam existimant, nihilque egregrie factum excogitatumve ab aliis populis rentur: cum iis tantum abest ut consentiamus, ut adeo incassum eos illorum laudes decantasse manifesto simus probaturi. Nam ipsa quoque Romanorum historia nos dubitare non sinit, Graecorum tempore spiritum mundanum parum profecisse. Illi enim *conatus* hominis, a materiae vi se *tuendi* eamque menti suae *subigendi;* illud studium, ex rudi materia *pulcras* rerum imagines efformandi, formisque vitae speciem imprimendi, illasque ad ipsius ideae claritatem et subtilitatem conficiendi, ac rursus coelestem hanc speciem in corpore pulcro et quasi spirante intuendi — genus humanum in *alterum elatioremque* orbem, *idealem* nimirum, traduxerunt. Spiritus enim nunc, sua vice, materiae regno potitus, magistrae nuper suae imperare coepit. Quum vero ea sit mentis natura, ut res velit *cognoscere;* rerum autem cognitio non e partibus singulis, sed ex toto eruatur; et iterum totum ipsummet plane non intelligatur, nisi singulis ejus partibus adcuratius judicatis et perspectis; quae nondum est *juvenis* spiritus provincia: factum est, ut ille ne Romanorum quidem tempore ad veram rerum intelligentiam perveniret; sed rem perficiendam relinqueret adultae penitus et vegetae aetati; dum ipse praesentibus modo rerum rationibus inhaereret.

Deprehendit igitur spiritus dilaceratum per illas majores partes Universum. Vult eas *cognoscere*, non sensibus et animo concipere *integras*. Quapropter partes dispescit in particulas innumeras, easque computat et aestimat minutissimas; solvit denuo singulas et ponderat inque eas inquirit sedulo. Crescit cognoscendo studium cognoscendi, uti bibendo sitis hydropicorum. Hoc modo spiritus adparet tanquam Intellectus, omnia sejungens; qui singulis rebus *nomen* impertitur, saepe cassum; qui de singulis *notionem* quandam acquirit, haud raro inanem, *rationarium* sibi e meris et omni sensu vacuis verbis effingens. Sic ille *capit* omnia eaque in unum *cogit* et *cogitat* et hoc sensu sibi *subigit*. Quis igitur non videt, Auditores, hunc *Intellectum* non absimilem esse ferae immanique belluae, cuncta dentibus laceranti, nihil quod integrum sit toleranti? Quasi ille anatomico utatur cultro, ita humanioris sensus expers dissecat omnia et persecat. Verum quomodo dissecta membra disjectaque componat ignarus, quia Toti speciem non habet, demtam vitam reddere nequit. Unde facile intelligitur, quo pacto populus, illo solo intellectu animatus, se tantum ipse solum agnoscat, ad se cuncta referens; nihil omnino ad alios.

Quid quaeritis? Romanum populum imperiumque historicum designavimus; in quo omnis aliorum *populorum* significatio interiit et dignitas; cujus sub manibus dissoluta sunt omnia, venenoso velut deserti vento diluta. Quidquid impia manu Romanus tetigit, id frigefactatum torpebat tanquam saxificae adspectu Medusae perculsum. Sic dirimens haec illius natura non Graecas tantum ἀριστοκρατίας; sed

Optimatium praerogativis sublatis, demtoque sic vitae civitatum principio, suam ipse Rempublicam distraxit per *individuos* homines, alio juxta alterum, tanquam *Cives* disposito, nullo vinculo libero ligatos, nulla mentis animique necessitudine, sed ferrea quadam voluntate immanis suique studiosi intellectûs coarctatos. Eapropter *Leges* quoque Romanae vitam nec excitavere, neque mansuetiorem fecerunt, utpote circulis ferreis similes, quibus homines, instar rei, perpetuo studio hostili sibi oppositi et invicem sejuncti, vi exteriori continerentur et compedibus ad ligandum magis, quam ad uniendum comparatis coërcerentur. *Religio* non viva illa fides, intrinsecus concepta atque e sacris penetralibus pii animi procreata; non intuitio aeternarum rerum pleno pectore sensa; sed vis quaedam a magistratibus ad contumaciam reprimendam, quam ad hominum beatitatem parandam *consulto* adhibita. Quod nemo infitias ibit, qui *Deos* pariter ac homines non benevolos harum rerum moderatores, sed *dominos* atroces habitos fuisse non ignorat. Hinc difficile non est ad intelligendum, qua arte *Lingua* etiam Romana eam severitatem sortita sit, quam omnes in ea admirantur et praedicant. Libertas igitur nemini concessa erat; minime vero *civibus*. Simplex orientalium et naturale jugum patriarchale in *Potestatem* patriam depressum. *Civitas* ingens quoddam aedificium publicum, in quo cives, sicut lapides ad amussim caesi, a magistratibus ex arbitrio et rationarii cujusdam regulis conferruminati condebantur; quin vitalis aliqua sanguinis cognatione coalescerent. Huic civitati substructa *Servitus :* servi pro re habiti, figura vultuque humano insigni; ut *ingenui*, quos adpellarunt, in hac artificiosa dignitatis catasta collocati, gravitatis propriae quodam modo

fierent conscii (VII). Mirabimini fortasse, Auditores, me historiae laudatorem, acerbius animadvertere in Romanos; quos altera doctorum pars, Jureconsultorum inprimis, majoribus etiam laudibus prosequitur, miratur et veneratur, quam quibus Graecos ornare solent Philosophi et elegantiorum artium fautores. Verum habeatis vobis persuasum, me non *populi* alicujus accusatorem esse; sed universi aetatis, quam ille vixit, ingenii. Neque profecto hoc ipsum accusarem propterea, quod aeternis naturae legibus obtemperaverit (res enim quaevis sua se veritate tuetur); si adcurata historiarum posterioris aevi notitia laudando potius, quam gravius percensendo exsistere posset atque citra praeteritarum rerum intelligentiam de rebus futuris vere augurari liceret. Quaerimus verum, quod, quo magis in re quavis natura utamur duce, ut facimus, eo adparet luculentius.

Tenebat tamen diu celebrata Respublica, quae *res populi* nullo tempore fuerat. Posteaquam vero vetus densaque, tenax et constans Aristocratia Patriciorum in latam quandam, variam deviamque Democratiam diffusa et extenuata interierat — quasi Tiberis amnis tranquillo et virili cursu descendens, in mare fluctuans, undis ejus absorptus, se exoneraverat — quum antiqui mores, quibus stabat solis Romana res, titillante audacis Catulli licentia et periculosa Lucretii inquisitione in *Rerum Naturam* e liberiori sententia Epicuraeorum instituta, essent labefactati: quum ipse adeo Tullius ille De *Natura Deorum* philosophatus, deorum cultui et religionum sanctitatibus, hoc est, Auditores, Religioni *Civili*, quae intacta tantum rempublicam sustinere potuit, velum nolens detraxisset: tum vehementer quassata contremuit ci-

vitas. Quum sic naturali rerum ordine reipublicae villici in fures conversi, necatis canibus (oratores volo, patriae defensores (3), certatim ruerent in dilaceratam civitatem, atque horrendis proscriptionibus optima pars sanguinis detracta et sal quasi reipublicae fervore civilium bellorum cum libertatis anima exhalatum esset : pessumdata civitas protinus labebatur. Ex quo denique tempore caede M. T. Ciceronis, sanctissimi hominis, navis reipublicae, ad cujus clavum ille sedebat, procellis vehementer agitata, gubernatore esset destituta; igitur propria culpa subactum uni imperium, sub ferreo sceptro ingemiscens, vitales vires, letali languore sensim sensimque exhaustas penitus amiserit : verbo, cum illud mare turbidum, sanguine civium stagnatum, pigrare et putrefieri coeperit; ex illo, inquam, tempore Imperium Intellectûs fini erat proximum atque ex oriente, e Palaestina, Auditores, fulgebat in occasum felix astrum Salutis universorum, *Jesus Christus*. Nova religione orta evanescere coepit illud incastum sui studium prae universalitate praecepti *caritatis*. Evanuit Romana servitus prae sanctiori libertate et aequalitate justae declarataeque dignitatis omnium hominum. Conversa est in placidam aequitatem rudior justitia. Cessit prudentia sibi soli prospiciens ethico praecepto nobilique : « Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias » ! Jam casta morum simplicitas vitae ostentationem et petulantiam atque sudore omnium gentium nutritam lascivitatem de solio deturbavit. Deus unus et verus Christianorum numinum veterum idola in pulverem dejecit. Caeremoniae superstitionis plenae compensabantur benivolentia et beneficentia mutua. Cruentae victimae commutabantur in sanctam oblationem cordis puri, liberi et divina flamma animati, cujus efficientiae palaestra non in

ignotis quibusdam orbibus et stellis; sed apud vicinum proximumque hominem erat quaerenda: cujus denique beneficentiae remuneratio per aeternam duratura vitam eo consilio promittebatur piis animis; ut hujus virtutis amantes eâ ipsimet fruerentur, ad propriam perfectionem efficiendam, ad similitudinem aliquam cum Summo Numine obtinendam.

Sic igitur nunc colebatur genus humanum bonarum rerum intuitione, non rituum frequentia. Sic nova vita infundi potuit in illos, qui incorrupto corpore et animo fuere. Sic vero etiam cadaver Romanum, multiplici insanabilique morbo correptum fractumque, quinque saecula emoriens, celerius in ruinam praecipitabatur. Atque a gente nova, sana et intacta, robusta, simplici, integra et, inculta licet, tamen ipsamet natura ad praeceptum salutis recipiendum conformata, penitus sepeliebatur. In qua re hoc unum maxime dolendum est, quod illa gens orbam veteris domini domum habitare coeperit ante, quam pestiferum mortui corpus esset elatum (VIII).

Quo facto auditores antiquus rerum ordo clausus adparet, finita simul ethnica religio; in cujus locum suffectam videbamus religionem sapientum, qui cum ipsi secum, tum cum rebus universaque natura concinunt, religionem a J. Christo homini datam divinitus; quae solum in Imperio Historico Germanico efflorescere potuit (IX). Quum vero tanta praedicemus de una quadam gente orbis universi; non paucos esse vestrum suspicor ex me quaesituros: Quodnam tandem fuerit sanctissimum illud principium, proprium illimitatum-

que sui studium debellans, quod in aetate Intellectus insitum fuisse diximus : quae sit illa Germanicarum gentium indoles et proprietas ? Atque recte quidem hoc quaeritis. Ipse vero, licet, quae vultis, ex ipsa disquisitione nostra effici haud difficulter possint, in hac gravissima re malo uti *Goethei* illius, divinioris facundiae vatis et vere sapientis effato, qui hoc principium esse statuit (4) REVERENTIAM. Quae, opinor, complectitur *Verecundiam*, *Modestiam* atque *Pudorem*; quas virtutes illius aetatis illiusque gentis perpetuas vitae actionumque omnium socias comitesque dixerim. Quod cum ita sit, *Reverentia* in Germano primum conspicitur *erga Supremum Numen versa*, adoratione et amore (non timore) sincero castoque expressa : unde repetendus est nativus ille in colendo deo candor et pura liquidaque *fides* et penitior totius animi in omnipotentem effusio. Deinde spectatur eadem tanquam *rebus* habita, extra humanam potestatem positis vicibusque subjectis : quae se patefacit constanti et imperturbata *confidentia* in propriis viribus collocata ; ad ferendum parata eorum, quae accidant; ad vincenda pariter si quae humanis viribus superari queant. Unde enascitur justa Historiae aestimatio incorruptumque rerum bene maleve gestarum judicium; in quo adversus quemcunque ferendum ne latum quidem unguem illa declinat a vero. Tum ea cernitur tanquam Reverentia *adversus homines* singulos universos, summos infimos, indigenas peregrinos : quae proprie elucet intima necessitudine *inter populares* libere atque de industria inita. Haec necessitudo non solum *nexum illum revera civilem*, veteribus plane ignoratum, procreavit; verum etiam hominum civiumque optimas virtutes excoluit : illam videlicet in sentiendo et judicando sobrietatem, matrem tempe-

rantiae, prudentiae, comitatis; illam amicitiam et patriae amorem, propriaeque et aliorum libertatis studium, a proterva licentia pariter quam a negligentia et putida segnitie alienum. Atque haec Reverentia *triplex una* Germanorum naturae adeo propria est atque cognata, adeo penitus Germanica; ut eam in hac dumtaxat gente *germanam* esse et fuisse certo adfirmemus. Quum igitur circa principem illam virtutem omnis totius ingenii popularis cardo vertatur; eaque cum optimis ingenii dotibus summisque virtutibus conjuncta esse soleat: id ea in hoc populo effecit, ut ipse esset in sacris rebus pius fidusque; in adversis patiens; in secundis aequabilis; in sentiendo insigni tolerantia, in investigando mira ingenii profunditate; in agendo fortis; in fide danda cautus, data fide summae probitatis; per fraudem nihil agens, expers omnis fallaciae: in pangendis foederibus prudens, pactis firmissimus; ut verbo absolvam, id ea effecit in Germano, ut ipse secum cumque coelo terraque uno eodemque vinculo concordiae et fiduciae ligaretur: ut ipsi liceret e praesenti tempore bona auguria capere rerum futurarum, easque reconditas sibi aperire.

Hunc hominem tam ingenue natum, tamque nobili humanitatis sensu praeditum, quis est, qui dubitet, Christi religionem ambabus arripuisse manibus arreptamque firma tenuisse fide; eum, dico, cujus in gratiam illa religio exstitit, etiamsi eum sanctissimus illius auctor non vidit, ignotus vel ipse illi, quem tanta benivolentia cumulavit. Neque minus constat, hanc religionem hunc talem ejus cultorem perduxisse ad unitatem concordiamque vitae morumque, ad concentum illum ethicum, ad universalitatis rerum hominumque ideam;

igitur ad civilem pariter et humanam, ad publicam aeque ac privatam harmoniam : sive ut hanc rem verbo comprehendamus, ad *Modestiam*, hoc est, ad *Reverentiam suimet*, quae praeclarum illud Delphici Dei : *Nosce te ipsum!* aeternam sibi vitae legem proposuit; qua reperta, probeque intellecta intelligenti oritur *Sapientia*; quae est ipsummet Germanicae aetatis exemplum; quam omnibus viribus expetunt hominum praestantissimi quique; ad quam vero sola ducit Germanica *Dubitatio*, *Investigatio*, *Audentia*.

Ast longa via erat, quae duxit ad illam sapientiam : tempus, quo cursum suum exantlavit peregrinator, novem saeculorum : impedimenta ipsi objecta plura, quam numerari, majora, quam quae vinci posse videbantur. Attamen sapientiae lux e tot densissimisque tenebris orta penetravit reportavitque victoriam de novo quodam, hoc etiam Romano, nec minus adrogante et stulto suarum rerum studio : reportavit septimo et decimo post partam Salutem saeculo; paratâ in Germanico solo et ab ipsismet propriis Germanis effectâ *Ecclesiae Reformatione!* (X). Hanc, Auditores, originem coepit per longas tortuosasque et plenas barbarie, motibus conversionibusque *Medii Aevi* ambages *Recens* seu *Germanicum Tempus :* cujus nunc vestra gratia propriam indolem ostendemus; postquam primum paucis recoluerimus praeteritorum, antiqui et medii aevi, ingenium; ut comparatione inter omnia factâ clarius eluceat id, quod exponemus postea.

Et antiqua quidem aetas, ut ab ea ordiamur, rationis intelligentia et universali ideae conceptione privata, in *orientali*

Periodo exhibuit totalitatem quidem spiritus et materiae; sed *dormientem* in ea vitam: cujus summa vis animi in *memoria* rerum, omne Scire in *credulitate caeca*; vitae denique finis in *indefinita quadam spe* rerum nunquam futurarum positus erat. In *Graecorum* autem Epocha spiritus *expergefactus Imaginationi* quaevis, intellectui tribuit nihil; vitam igitur suam manifestavit clara praeprimis acerrimorum sensuum intuitione elegantissimoque gustu, cui nihil, nisi idem *pulcrum* esset, placere potuit adeo, ut universa illius aevi scientia sive inesset in hoc pulcri studio, sive ad idem conformaretur. Verum in *Romana* Periodo *Intellectus* deprehendebamus dominatum superbum et impium, qui a bonis artibus abhorrens, in reliquis disciplinis effecit imperium *dogmaticum* et *dictatorium*, omnia redigens in suam potestatem adeo, ut ipsi esset soli obtemperandum, quod obtemperavit nemini: quod certos sibi fines proposuit, eosque angustissimis cancellis circumscriptos. Omnino Romanus rerum hominumque *quantitatem*, pondus, numerum, quam *quales* internae eorum virtutes essent, respexit; facultatibus humanis et vitae libertati ita nihil indulgens, ut vita ipsa converteretur in permanens quoddam, rigidum, iners, legibus, jussu et vi sola motum. Inter hanc veterem et recentiorem aetatem interjectum scimus Medium Aevum, nec illi, neque huic simile; nec denique proprium ingenium historicum sistens; velut transitus ab antiqua in recentiorem aetatem et utriusque simul constans elementis. Motus gentium et mutua arma; barbaries et densissima caligo; imperium feudale et confusio, vis incertaque vita; quae neque naturam sequebatur ducem, nec intellectu rem suam rexit, neque ratione moderabatur; verum *Phantasiae* cujusdam effrenatae

vi parens et instinctui, tantum superstitione ad rem quamvis adacta ignotâque potestate *extrinseca* compulsa est, quantum phantasia ipsa in quovis alio, quam in rerum orbe vagari solet. Sic illud hominum genus, exornans cuncta, rerum mirabilium et incredibilium sectator, inauditum quovis modo et novum quaerens, suaque duce deceptum, deinceps cecidit in *dominatum sacerdotalem*, naturae divinae humanaeque et toti historiae contrarium; non vi extera, qua Romani eumdem sibi adrogaverant, sed interno quodam religionis metu aeque sibi cuncta subjicientem; diuturnum eatenus, quatenus ipse mentis aciem obtundere, auxilioque et subsidio stultitiae humanae impedire posset, quominus aequales illi viderent, lucere meridie.

Ast vero revinctâ petulante illâ Phantasiâ placidum incoepit regnum RATIONIS, regnare *universalis ingenii Intelligentia*; quae Phantasiae viribus usa triplex illud imperium, invicem sibi *alienum*, moderamini suo subdidit, inque *conjuncto* sola habitare instituit; *qualia* essent singula, probe intelligens. Hinc illa, dilatato efficientiae orbe, qui est omnium rerum *recuperata totalitas*, res omnes omnesque homines, hoc est, materiam spiritumque unitum seseque invicem perfundentem, in eum recepit. Liberam ea, mobilem, semper progredientem, plenam infinitamque *vitam* sistebat: quae est sapientiae, non prudentiae; universalitatis, non inimicae cujusdam disjectaeque individualitatis; intelligentiae, non intellectûs provincia. In eâ conscientia rerum, non ponderata aliqua et computata enumeratio; verbo, *involuntaria mentis intelligentis potestas*, quae e materiae et spiritus concentu et aequilibrio nascitur; quae illam sibi subjiciens,

simul in ea tota inest ita, ut se in individualitate velut in speculo intueatur; haec vero individualitas mutuam in gratiam ex illa suae vitae repetat principium. Unde praeclarum illud efficitur, ut utravis in hac singularum partium unione, in qua insunt omnes notae pulcritudinis et veritatis, suam quoque inesse veritatem certo conspiciat (XI). Nascitur sic ex utriusque legitimo matrimonio filia, incertum, utrumne a severitate an a suavitate magis commendata, CONSCIENTIA SUI; qua coram libertas cum necessitate eadem est; quae pacem internam altamque rerum *cognitionem* e singularum rerum *notione*, placidamque quietem creat ex ipsis motibus contrariisque conatibus. Atque sic recte dici potest: Quemadmodum in totalitate praevalentis materiae (in regno orientali) Phantasia fuerit *summa* spiritus manifestatio; eodem modo in recuperata totalitate spiritus illam ejus esse gradum *infimum*. Propterea vel *imperantis personam* initio historiae vetustae fere fuisse eandem cum ea, quae initio historiae recentioris summam rem tenuit: illic nimirum *castam*, hic *ordinem sacerdotalem*; eo tamen inter utrumque discrimine, ut altera, *in oriente*, NATURALIS esset; altera, in *occidente*, NATURAE IPSIMET ADVERSARETUR.

Intelligitis, Auditores, quam late pateat per rerum universitatem haec Rationis provincia. Non enim tantum unam ea *religionem*, non *civitatem* solam, non solas *artes* seu aliam quandam vitae partem complectitur; sed *omnem vitam*, omnes religionis, civitatis, reipublicae, artium disciplinarumque partes amplexatur; in omnes pariter vim suam exercet; in omnibus aeque inest. Adparet igitur hoc recentioris historiae ingenium IN VITA PRIVATA tanquam manifestum

studium singulorum ad concordiam omnium directum, modestia, caritate, humanitate, formis elegantioribus vitae socialis et necessitudinis; in qua mentes et sententiae singulorum, ut ille ait, cum voluntatibus et suffragiis aliorum consentiunt et conspirant. Adparet IN REPUBLICA tanquam vera libertas, multis laboribus occupata, a singulo in singulis agnita mutuaeque conscientiae subjecta. E qua re prodiit illa legibus habita observantia; illa magistratibus culta aequitas; illa judiciorum probitas. Inprimis tamen cernitur *ideali* unitate et concentu *potestatum publicarum* : cum *legum ferendarum*, qua quod sit omnibus commune sanctumque, constituitur : cum *potestatis civitatem regundi*, quae res singulas ad Legem Summam exigit, secundumque eam moderatur : tum vero etiam *potestatis Principis*, qua priores illae, ne inimico studio et adverso se tangant, ad unitatem *personae singulae* et *individuae* collatae et compositae, vitâ donantur. Hinc MONARCHIA oritur (justa nimirum et legibus constituta; alia enim cogitari hodie nequit); cujus *caput* et *possessor* suprematum tenet utrumque, in exteros inque cives ita, ut Monarcha in summis rebus IPSE judex supremus et ultimus, SUA *principis voluntate* rem decidat; IPSE, inquam, cujus *nomen* est MAJESTAS : in quam regiam majestatem (ut Tullii sententia utamur)omnis dei immortalis potestas translata est, seu certe cum ea communicata (5). Quae res tantam habet in se vim et religionem, quantam nulla unquam gens, nullo unquam tempore est experta : qua Germanicum tempus unica est totius historiae adparitio. Ea enim illud reapse effectum est, quod veteres cum populi, tum philosophi temere quaesiverunt : « ut *princeps* beneficium *populi* cum *omnium civium* salute tueri queat ».

: Quod vero maxime est in hac aetate memorabile, neque tamen mirabile, hoc in *Cultu Divino* (religionem alii vocant) luculentissime cernitur. Esse videlicet in tot diversisque Cultus generibus tantam tamque perfectam cultoribus aequalitatem voluntatemque concessam; ut quae religiones summae civitatis legi (intra cujus tantum terminos illae esse aliquid possunt) non adversentur, sed ejus pareant imperio; eae non *tolerentur* (ut perperam nonnulli sibi persuadent); sed aequo omnes jure fruantur. Quod denique ad civilem prudentiam, nisi melius dixerim, *ad Publicam Civitatum Sapientiam* adtinet; eam rem paullo subtilius dispicienti manifestum fit: singulas civitates suo jure esse et, velut clausos circulos, a reliquis penitus immunes; ut tamen ex altera parte pro illo universalitatis studio, singulis et omnibus naturali, proque Summi Juris reverentia, etiam civitates invicem, sicut unius circuli radii ad centrum commune feruntur, ita uniri vinculo humanitatis concupiscant. Quod, profecto, fieri non posset absque duplici illo *Principis suprematu*; non citra illam *majestatis sanctitatem*; non sine illa *individua persona principis ideali*: cujus solum indole *contentio* civitatum exsistere et *resistentia* durare potest; quae uti sit in civibus periculosa, ita in civitatibus necessaria est; quoniam et indit vitam eamque reddit diuturnam simulque impedit, quominus vires vitales desidiâ civitatibus indignâ marcescant et pigrent. Ex hac autem perpetua contentione tempus Germanicum pacem hominibus, tranquillitatem, otium concordiamque adfert; et bene se habet illud Heracliti: Πόλεμος ἁπαντῶν πατήρ (6).

Ut nunc ultimo loco de ipsius statu *Scientiae* dicamus;

quae hoc praestantissimum nomen nunc demum meretur: in ea conspicitur amica conjunctio mutuumque omnium doctrinarum consortium, ad unum idemque tendens; quod jure praedicatur sanctissimum, singulari numinis benivolentia divinitus delatum, SAPIENTIA. Quae praesens adest in ideali substantia HISTORIAE MUNDANAE; cujus ore loquitur jussusque aperit et actiones suas totamque vitam explicat atque infinitos probat progressus *mundanus ille Spiritus*; sistens *Judicium mundi*; judicans ipsosmet reges et singulos homines, historiâ dignos, et universos populos, sempiterna remuneratione seu poena, gloria seu dedecore adficiens, incorruptus, inplacabilis. Est invisibilis quidem ille judex; verum qui non raro statim et repente praesentiam suam minitans ostendit VOCE COMMUNI UNIVERSORUM ATQUE SENTENTIA (quam male *opinionem publicam* adpellamus) (XII). Hoc vero loco denuo nobiscum reputemus, quae de *Reverentia* a me dicta sunt. Illa enim est, cujus moderamine hae res omnes fauste, feliciter prospereque eveniunt; illa, quam pro Dea habuere Romani, DEA, Auditores, et (ex *Honore* parente) *Matre* MAJESTATIS (7).

Verum, Auditores, ubi nunc id dicendum est, propter quam rem omnis haec habita est oratio; fateor, commovetur animus et perturbat me vestra exspectatio, cum mihi est propositum, hujus tantique temporis ingenium virtutemque et oratione praedicare et argumentis, dignis re, dignis historici nomine, dignis audientium auribus, tanta temporis brevitate efficere. Neque id etiam me fugit, esse nonnullos, qui de quavis veri indagatione male augurantes, ita abhorreant ab hac nostra inquisitione, ut eam quasi inimicorum

impetus a se propulsandam esse censeant; quibus quo quis est insipientior, eo magis adstipulari solet. Viros quoque novimus, magna apud universos auctoritate pollentes, in ore habuisse illud : Omnem philosophandi de rebus historicis conatum esse periculosum. Cui auctoritati licet impar sim : tamen cum cogitarem, rem meam sua se auctoritate tueri suisque se dotibus commendare; neque quod dicere institui, a mea persona esse alienum; fremant licet omnes, dicam quod sentio!

Quae igitur adhuc a nobis disputata sunt, ea testimonium adferre luculentissimum censeo temporis, quo *Intelligentiae* contigerit summa quaedam victoria de natura *Telluris*, *materiae*, *instinctus bruti* et *caecae credulitatis*. Rationem igitur ad summum, quo par est, perspicacitatis fastigium esse elatam. Ut enim aliquando, et necessario quidem, tempus erat INSTINCTUS *inculti*, et *merae*, *involuntariae* atque *integrae* in *divinum Numen* FIDEI; quod culmen suum attigit in *Jesu Christo*, divino Creatoris filio — qui pariter *sanavit corpus* et *a peccatis vindicavit animam* (8) : sic tempus etiam sequi debuit INTELLIGENTIAE, quae ad supremum gradum adscendit in *Philosophia*. Quoniam vero Intelligentiae ea est vis et natura, ut *sui habeat conscientiam*; atque eapropter inferiorem illum *fidei*, *sui insciae*, orbem cognoscat et perspiciat : facile consequitur, utriusque perfectam unitatem intelligi posse *a Ratione*. Ne quis tamen temere opinetur, hoc, quod per se est difficillimum, penitus fieri jam nunc posse; secum ille reputet oportet : Cognoscens et Intelligens nondum esse perfectum et ab omni errore liberum; atque eapropter vitam materiae abnoxiam, ab eo cognoscendam, non magis *ex*

omni parte intelligi posse. Quodsi igitur alterum alteri velut obluctans, facta temeraria utriusque separatione, opponatur; immensa est calamitas, ne dicam, morum ruina, quae inde sequatur necesse est. Impedimenta quoque, quae Scientiae ipsi inde enascuntur, quae enata jam sunt et quae sunt futura, dici non potest, quanta sint, quamque multa : ea, Auditores, quae nec verbis dici, neque numeris exprimi, nec denique spatio aut tempore circumscribi queant. Nam sicut pestis quaedam cum tempore crescunt ac locis propagantur ita, ut hoc malum averruncari nequeat, *nisi unitis et in unum collatis sapientum universorum studiis et viribus.*

Mirari forte subit, qua insigni hominum perversitate et dementia bellum excitatum sit inter duas quasi et geminas sorores, *Naturam* videlicet et *Mentem mundanam;* et eas quoque virtutes, quibus illae se manifestant, *Fidem* et *Scientiam?* Revera enim major est, quam plurimorum fert opinio, *Credere* illius et *Scire* cujusque cognatio. Quare qui vero sensu ducuntur hujus, iidem illius quoque imperio parere animadvertuntur : ab eo vero, cui alterum insit, nec abesse posse alterum manifestum est (9). Attamen alii ficta fucataque *Scientia* induti; alii simulata, nescio qua, pietatis ostentatione in vitae scenam prodire *philosophi* audent; objurgantes se ab obscuritate et simulatione, sive a fastu et petulantia atque impietate; quae hodie vox quasi solennis facta est. Qui omnes quam sint deridendi, quamque parum imponant perito illarum rerum judici, nemo non videt. Tantum enim abest, ut illi quae velint fraude nanciscantur et fallacia, ut potius paullo prudentiori, quales sint et quales videri et haberi cupiant, nolentes ipsimet patefaciant impu-

dentiamque confiteantur suam. Ceterum qui bona fide idem committunt; ii aliqua saltem ex parte sunt excusandi; quia totum intelligendo impares, praejudicata licet, sed naturali opinione decepti, vel uni adhaerent arctius vel alteri. Constat namque apud eruditiores, sanctam et involuntariam divinarum rerum *fidem* vulgo impolito inprimis decoram esse, atque, ut infantibus, velut privam ipsaque natura ingeneratam *veteri* et *medio Aevo*. Sed non minus id quoque certum est, eam summis adeo viris, quorum et magnitudinem et acritatem ingenii jure mirantur et venerantur omnes, non placere modo posse, sed etiam probari solere. Licet igitur tanta sit verae *fidei* et vis et auctoritas, ut in cultissimos aeque ac incultos dominetur; tamen nisi ea amicam habeat et comitem *Scientiam*, agrestis est et stolida etiam, horrida quoque et simulans, jureque in iis reprehenditur, quos ab ea vocant *obscuros*. Neque etiam minus *Scientia* illa superbe agit et superciliose, verique sensu amisso rectum cursum tenere non potest et neminem non obfendit absque *sana fide*, absque illo utriusque conjugio. In utraque vero junctâ inest et veritas et animi candor, qui illam parit verecundiam et modestiam, illumque pudorem, quos unâ omnes adpellavimus *Reverentiam*. Ne igitur cognitio naturae parvi habeat Intelligentiam mentis atque traducat cultores suos ad stolidum mortiferumque *materialismum*: ne etiam spiritus intelligens eodem studio discedat a Natura, fidemque divinis rebus habendam, inque natura innixam, despiciat et temere a se abjiciat: si quo unquam, hoc ipso tempore summae est necessitatis ut, ne veri inquisitores experiantur furores occaecatorum credulorumque (qui se solos praedicant *fideles* et *pios*) *ut* UNIVERSA, dico,

Scientia absque nutatione et concitatione, rectam viam tenens certoque progrediens, a probatis et sapientibus gubernatoribus versus metam propositam ducatur atque, sicut navis in alto mari vecta, securum nanciscatur portum (XIII).

Verum enimvero, Auditores, *Universa* Scientia! Quantus in hac una voce ambitus! Quo tendit Historia, qua patet Tempus immensumque Spatium; eo ejus extenditur imperium. Quid quaeritis? Quae extra orbem jacent historiae, ad ea quoque fertur infinita Scientia. Terram illa hanc complectitur, ab ortu in occasum; a meridie in septem triones. Descendit eadem in profundum Oceanum, in gremium telluris, in primigeniorum saxorum viscera. Adscendit in aërem, in coelum; cursus pervestigans orbis solaris, ad quem haec tellus pertinet: mirabili perseverantia et ingenii acritate perquirit aliorum quoque astrorum synthesin; cujus nostra nostri solis non est nisi quaedam particula. Pari studio cognoscit ingenium humanum; a primis ac maxime obscuris traditionibus exordiens usque ad claram lucem rationis longum filum ducit. Homines illa et gentes a vagina inde generis comitatur usque ad sepulcra singulorum et populorum; utrosque percensens et judicans secundum tempora, quibus vixerunt; ex locis, in quibus degerunt; juxta religiones, quas duces sunt secuti; per leges, quae e vita eorum et sanguine promanaverunt; ad statum scientiae, quae vitam illustravit; et artium, quibus ea exstitit ornatior et cultior; inventorum quoque innumerabilium, quae illi seu casu, seu instinctu ducti, sive sanctiori manu adducti, fecerunt. Et hoc denique ipsum sanctissimum Numen, omnipotens, absolutum, audax animus

quasi manu studet comprehendere. Quibus omnibus conatibus et studiis ex singulis gentibus explorare cupit ipsam moderantem Historiae mentem; eo quidem consilio, ut illarum studiis intellectis suos conatus reddat perfectiores, eorumque subsidio universum genus eo adducat, ut in se ipsum inque partibus omnibus arctissime copulatum se intelligat in *Unitate* et *Totalitate Spiritus Universi.*

Quicunque igitur hanc Scientiam, quoad quidem ejus fieri ab homine potest (perfecta enim et absoluta in unum convenit Deum) sibi comparare velit; hoc faciat oportet juxta duas ejus partes maximas: SPATII, secundum *orientem* et *occidentem*; TEMPORIS, juxta aetatem *veterem* et *recentiorem*. Praeterea ille rite aestimet primum singulas illas partes sigillatim; deinde singula partium majora illa capita; ut exinde demum ei exsistat intelligentia Toti quatuor capitibus comprehensi. Verum qui rem quandam intelligere totam ejusque capita majora perspicere cupit adcuratius; ille omnes rei partes perspectas exploratasque habere: qui igitur Scientiam animo menteque complecti studet; ille subactum habere omnibus doctrinis, artibus et disciplinis ingenium debet (XIV). Hoc, Auditores, nemo homo potest; potest tamen Genus hominum: neque hi plurimi, sed electissimi quique et coryphaei id conabuntur, illi, quos sal terrae nuncupare possumus. Debet tamen adspergi hoc sale et perfundi universorum multitudo; et quod singuli peragere nituntur, in eo idea Toti insit oportet. Quae cum ita se habeant, maxime necessarium esse ducimus, *ut Eruditi Doctique et Sapientiores coalescant ad unam quandam Civitatem, ut fiat* RES PUBLICA SAPIENTUM, *terrarum*

orbem complectens : quae sistat illam Scientiam tanquam *totam* ex *aetate praeterita*, *praesenti* et *futura*. *Praeterita* enim tempora *renasci* et quasi praesentia reddi debent ex ideali nostro universi mundi conceptu. Tumultuantia et bullantia *praesentis* aetatis studia a *sapientibus* MAGISTRIS moderanda et praeceptis idealibus intra justos fines compescenda sunt; ut et ipsa bonos *huic aetati* fructus suppeditent, meliores *futuris* aetatibus parent. Qui autem huic futuro aevo sunt proximi, *Sapientes* scilicet, ii et informent juventutem in bonis artibus eamque, universali idea illustratam, manu ducant tanquam *futuri praesentes*. *Praesentiam* ipsam *Docti* exhauriant totam vitaque expleant sua; tanquam *virilis aetas* nobili concertatione digladians cum *juvene Erudito* et obluctante : donec hic illorum; illi sapientum locum occupabunt. Hi igitur illius Reipublicae *Cives* sunto.

Est autem haec Reipublicae Sapientum provincia. Quidquid cadit in Scientiam omnino, id judicato et censeto; auctoritate tuetor; opibus juvato; conjunctis viribus sustineto, promoveto. Nova instituta, si quae, ex ingenio temporis, ad erudiendam juventutem videbuntur necessaria, PRINCIPIBUS AUGUSTIS in medio ponito eorumque rationes describito. Obscurorum malevolorumque furiosorum pestem et sophistarum insaniam averruncato; ipsique salutaribus consiliis scriptisque gravibus renititor. Pro virili parte id agat, ut fides sacris habenda rebus cum lucida scientia, natura cum spiritu concinat. Ingenium temporis moderator; opinionemque, quam vocant publicam, ita regito, ut vera illa sit; neque labatur in lubricam temerariorum et protervorum hominum suis tantum rebus studiosorum viam, qui conver-

sionibus et tumultibus magis, quam tranquillitati et bono omnibus communi favent. Motus a novarum rerum cupidis in ecclesia et republica excitatos sedato; veras eorum causas omnibus aperito. Libertatem civilem colito; quae vera sit, eam explicato singulis et universis; eam nimirum, quae in ingenii humani explicatione quaquaversus extensa et omnium virium exercitatione sit collocata, ad efficiendum id, quod conducat omnibus, destinata (10). Haec omnia efficito, ut reddat historiae illam Praesentiam, qua ea indiget; et populis gentibusque aequabilitatem et concordiam, et orbi universo caritatem et benivolentiam. Verum haec assequi nequit Respublica nostra, nisi ipsa sit ordinata certisque constituta legibus; nisi quae aliis impertiri velit, nacta fuerit ipsa primum, *unitatem* scilicet *universorum*, inque ea *singulorum libertatem*. Quapropter gentes ea et populos amplexetur ad unum omnes oportet; ut quod ipsa *tota* efficere cupiat in ampliori orbe, idem agere in angustiori et suo queant singuli ejus socii. Pessime fecerit, si qua velit a singulis se populis sejungere. Quam enim ab *universis* tanquam fonte ducimus et adpellamus; ea citra universos esse non potest: potius vita ejus et incrementa pendent ab arctissimo omnium consortio et necessitudine. Igitur singulis populis sint Academiae *singulae*, quae idem praestent illis, quod Sapientum Respublica praestare cupit universis. Quidquid igitur ad *Patriam* spectat in Lingua et Religione; in Artibus et Disciplinis; inque Juventutis Informatione: inprimis vero in *Historia patria elaboranda* — illa sensus popularis et singularis civium cultus nutrice; dea illa principum et populorum tutelari; hac libertatis publicae et singulorum tutrice; hoc uberrimo fonte omnis potentiae, vi-

rium, gloriae, auctoritatis, honoris et amoris; hac optima ad omnis generis virtutes duce atque egregia vitae et morum popularium magistra : id omne et id unum maxime Academiis sit propositum, summaque industria excolendum (11). Deinceps ex intima tantum fraternaque Academiarum consuetudine nostra illa Literatorum Civitas exsistere potest. Ut enim ex omnibus unâ regionibus terram; e singulis planetis orbem solarem, et ex universorum orbium coelestium synthesi mundum videmus compositum et ordinatum : quemadmodum e communi sententia omnium gentium idea et concentus politiae; e civium denique concordia efficitur Respublica : sic, Auditores, in nostra pariter civitate non singulis dari, concedi aut relinqui potestas agendi et in qualemcunque scientiae partem inquirendi potest *extra totalitatem*. Quocirca inprimis quaerenda est *Augustissimorum Principum voluntas* : quae unita pro vera ipsius numinis voluntate habenda est — Principum dico, quorum quisque unitate sui populi, cujus personam tuetur et agit, *Majestatem divinam* corpore et mente ostendens, Reipublicae Literatae exsistentiam pronunciabit; ipsique soli, quae conducant omnibus, conficienda et ordinanda relinquet. Quae vero suos cujuslibet populos propius attineant; eadem, *suis tamen auspiciis*, illius moderamini subjiciet. Praeterea Respublica Literata constituatur necesse est *ex idea ingenii mundani illius Germanici;* eamque sibi sumat formam, in qua, nec iniquis circumsepta cancellis, neque justo latius patens, illa idea, temporis habita spatiique ratione, libere se manifestare possit. *Caput* igitur sibi et *Principem* habeto et *Supremos Antistites*, e *sapientissimorum* coetu desumendos : *Moderatores* etiam Academiarum eligito, qui cum aliis ea-

rum *Magistratibus*, ex ipsis Academiis depromendis, in universis et singulis rebus summum et sanctissimum quaerentes, inventum et sedulo excogitatum popularibus aperiant et ipsi percolant.

Omnibus autem et summis quibusque bonis, quae haec terra non nisi excellentissimis hominibus largitur, praestat HONOR, legitimus ille *Reverentiae* conjux et *parens Majestatis*. *Honor*, Auditores, qui praesens *Signis*; futuris temporibus *immortali Gloria* conspicitur : quem per justam aliorum aemulationem et excellentium virorum imitatione praeterita aetas velut mater est enixa; cui sacrarium est in bonorum omnium pectore paratum! Atque hic quidem Honor, unicum laudandorum virorum *praemium* in hac terra; in vita autem ultra hanc terram duratura *casta* et *libera agnitio* et *immortalis memoria* : qui idem in sancta religionis fide adparet tanquam *animae immortalitas* ac *praesens beatorum adspectus Summi Numinis* et *quaedam Omnipotentis similitudo* : hic, inquam, ipse Honor vitae quoque Germanicae anima est et principium atque ideae simul religionis Christianae expletio. Quod corpori cibus, hoc animo adfert honor. Sicut spiritus materiam ut corpus suum et vestem induit, cujus tantum auxilio divinam naturam suam patefacere potest : sic honor, licet ipse sibi sufficiat; licet bonorum dignitas in sola jam honoris cogitatione consistat; sic tamen honor, propter alios homines, corpore quodam exteriori et habitu indiget, sive INSIGNIBUS. Qua de re si dubitari nequeat, necessarium est, ut Europae Principes hujus Reipublicae sociis, quibus honor ipse inhabitat, Signa quoque honoris tribuant, pro meritorum cuivis suorum ra-

tione impertienda; sed e solo antistitum judicio. Quo habitu ille honor incedat : de hac re temporis ingenium interrogandum est; cum quo non alius congruere videtur, quam ORDO EQUESTER. Nomen hic sortietur ab ideali omnium Musarum Praefecto, *Apolline*, cujus omen lubenter accipimus. Recte enim, qui *Solis* cursum moderari creditus est; is etiam in regno lucis et intelligentiae, in Republica Sapientum, honorificum electis viris nomen EQUITUM APOLLINARIUM citra ullam controversiam impertiri poterit (XV). Non secus, uti Planetae omnes ab uno sole gratissima luce perfunduntur : sic *Academiae* quoque *singulae*, quae ab Ordine illo et ducuntur et illustrantur, non solum pertinent ad eum; sed etiam ejusdem nominis et honoris debent esse participes : nomenque sociorum erit EQUITUM ACADEMICORUM. Hoc modo satis distinguuntur Reipublicae Literatae et Academiarum cives; quin haec distinctio in *castarum* quandam *separationem* degeneret : quia principium separans in *meritis* uniuscujusque positum est; ad quae merita patet aditus omnibus : quoniam denique nihil *distinguit* praeter *gradus honoris;* quem quisque in proprio pectore fovens, quando potuerit seu voluerit, vita donare non nequit. Hoc igitur, Auditores, nostra sententia, est TEMPUS GERMANICUM; hoc tempus *Recens :* hoc etiam, ni ipse fallor, illud tempus postulare videtur; ut vitae propriae perfectionem quandam et ipsum adtinere possit et futuris etiam aetatibus tanquam faustam hereditatem relinquere valeat. Quae cum ita sint, Reipublicae Leges et Ordinis institutum, ut quisque certius utrumque intelligat, a me nunc edendae sunt; non perfectae et singularum rerum; sed ipsae summae rerum atque sententiae (12).

AB APOLLINE MUSARUM PRIMORDIA.

Ad scientiam adeunto caste. pietatem adhibento. pietati sapientiam. nec ulla vitiorum, dementiae, stupiditatis, studii mali sacra solemnia obeunto. neve clam acta obeunto. fastum superbiamque amovento. qui secus faxit, Clio vindex erit. Separatim nemo habessit doctrinam. neve novam sive advenam aspernator. Res a majoribus gestas in corde habento. ipsi colunto. posteris aucta tradunto. ritus et mores patrum servanto et sermonem patrium. Supremum numen colunto et ollos, quos endo coelo merita locaverunt sapientiae satores. Ast olla, propter quae datur homini adscensus in coelum, Pietatem, Reverentiam, Fidem, Virtutem et Sapientiam earumque laudum delubra sunto. vivis honores sunto et insignia et certa jura. In judicandis aliorum scriptis jurgia amovento. praesules judicando. hoc certis legibus agunto endoque certis libellis. quaeque quoique tempori ac populo decora grataque sint providento. Rebus singulis Privati, populis singulis Consules sunto. universis Praesul esto. Quoque haec privatim et publice modo, quave specie fiant, discunto ignari a sapientioribus.

Hi per classes scribuntor. earum autem tria genera sunto. unum quod res singulas exploret, quoique nomen sit Equitum. alterum, quod interpretetur singulorum effata incognita ad nostri temporis rationes. quod vocatur Decurionum. tertium quod singula et universa ad sapientiae speciem constituat. olli nomen et honor sit Stellatorum equitum. Universo Ordini Splendididissimo nomen esto Apollinarium Equitum. Qui

Quaestionibus ad publicam concertationem ab Ordine positis apte responderit, Ordinis socius esto. In populis singulis Academiae singulae sunto. qui rebus patriis curam operamque dederint, Equites Academici adpellantor. Academiae ad Ordinem primus gradus sunto. Academias regunto, qui ex Ordine Apollinari in eo populo Magistratus erunt. leguntor ab Academicis Equitibus. confirmantor a Principe populi ollius.

Praesul Reipublicae Literatae Magister Equitum esto. principum auspiciis esto. Apollinis personam agito, nec suam. ad eum provocatio esto. olli salus populi suprema lex esto. ipse leges ferto. legum per reliquos magistratus certatio esto. quodque ollus cum ollis imperassit, jus ratumque esto. Praesuli concilium sacrum adesto. quinqueviri sunto. Praetor, Curio maximus, Censor urbanus, Aedilis, Fecialis, Tribunus princeps adpellantor. Olli cum Equitum Magistro in Urbe custodiunto ignem Sapientiae publicae sempiternum. Universo Ordini signa sunto, Scutum et Lancea. Equitum magistro Signiferi adparento. bini sunto. a Praesule pro arbitrio sumuntor. ex optima juventute leguntor. principes juventutis adpellantor. Alter libros et scripta custodito. alter ad legationes obeundas, cum praesul creverit, ex Urbe exito. Quinqueviros quoque, qui erunt ipsi a sacris consiliis, Praesul ipse legito.

Justi magistratus sunto. genera duo sunto, in Urbe et endo provinciis. classes oetriusque generis duae sunto, majorum minorumque gentium. Magistratus nec obedientem et noxium civem adhortatione coërceto. inque eum severius animadvertito, ni par majorve potestas populusve prohibessit, ad quos

provocatio esto. Cum magistratus judicassit inrogassitve, per concilium praesulis concertatio esto. Minores magistratus, partiti juris, plures in plera sunto. Quodcunque Praesul creverit agunto. Estoque Aedilis coerator rationum reipublicae. is pecunias publicas censeto. necessitates distributo et largitiones. aerarium tuetor. Estoque Fecialis scriba sacer, monumentorum publicorum scriptorumque coerator. ollisque ad honoris amplioris gradum is primus adscensus esto. Censores populi aevitates censento. ordines partiunto. mores populi regunto et scripta civium actaque in probationem vocanto. privati ad eos acta referunto. Oenus Censor urbanus esto. singuli sunto endo quovis populo. bini ceu plures endo majoribus. Juris disceptator, qui privata judicet judicarive jubeat, Praetor esto. is juris civilis custos esto. fide legem custodito. Huic potestate pari endo populis sunto. quotcumque Praesul creverit populusve jusserit, tot sunto. Consules adpellantor. hi endo populo suo Praesulis et Equitum magistri personam agunto. Curio maximus esto. sacra curato. improbos esse prohibeto. probrum in republica non relinquito. jurgia amoveto. mores custodito. occentatorem neminem ferto. Curiones sunto. oenus ceu bini in quolibet populo sunto. oenus Curionis maximi personam inter populares suos tuetor. Curiones suo jure res judicanto. ast quando delictum gravius discordiaeve civium escunt, Curionem maximum certiorem reddunto. Populus quos pro se contra injuriam, auxilii ergo, creassit, Tribuni ejus sunto. quodque ii postulassint, quodque populum rogassint, in eo populo jus esto. Tribunus princeps endo Urbe esto. is formularum sacrarum custos esto. Omnes magistratus perpetuo habento. majores auspicium judiciumque habento. ex quois Senatus

esto. ejus decreta rata sunto. Ast si potestas major tempusve prohibessit, senatus consulta scripta servanto. Is ordo vitio vacato. reliquis specimen esto. Creatio magistratuum, tribunorum vetita et jussa cum suffragio consciscuntor. optimatibus nota, plebi libera sunto. Cum populo universo et Senatu et concilio sanctiori agendi Praesuli jus esto. Cum populo universo, invito praesule, agendi jus ne cui esto. cum singulis populis consulibus agere licitum esto. Quae cum populo quaeque endo Senatu agentur, modica sunto. Senatori qui nec aderit, aut causa aut culpa esto. Loco Senator et modo orato. causas populi teneto. vis in populo abesto. par majorve potestas plus valeto. ast qui turbassit in agendo, fraus auctoris esto. Intercessor rei malae, salutaris civis esto. Qui agent, non plus quam de singulis rebus semel consulento. ante quinquennium non iteranto. rem populum docento. doceri a magistratibus privatisque patiunto. privilegia ne irroganto. His legibus cives sunto.

Superest, Auditores spectatissimi, ut de rebus agamus hujus Academiae nostrae per annum superiorem cum prosperis, tum adversis. Antequam vero de laetioribus his dicamus, primum nobis quae tristia acciderunt, breviter narranda sunt: ut nec ulla mala deinceps avis laetitiam nostram perturbet.

Quamquam illustrium Academiae moderatorum cura rebus nostris more solito fuit prospectum; licet ex nostra quoque parte naviter id actum esset, ut fausta tantum con-

tingere posse videretur; tamen alia acciderunt sive praeter voluntatem nostram, sive ea, quae in humana voluntate omnino posita non sunt: quae licet rarius evenirent, tamen eo erant acerbiora. Recolenda enim nobis est memoria duumvirorum praestantissimorum, qui nuper admodum inopinata morte Academiae et literis erepti ad beatiorem vitam transierunt.

Et primum quidem vestrum contemplans coetum, nobilissimi Academiae Curatores, non nisi cum intimi doloris sensu sociorum vestrorum desidero unum illum amplissimumque et consultissimum virum, G. F. DE LA HAMAÏDE (13). Fuit enim is, qui in paucis unus, non nativitatis tantum splendore et munerum gravitate publicorum; sed avitae virtutis et probitatis heres bonarum simul artium studia coluit; rara jam in illis viris, qui in forensi strepitu rem publicam sustentant, causarumque publicarum patroni, uti jus vindicare, sic elegantiorum literarum communionem fugere solent. Erepta autem cum eo nobis est egregia pars curae, in hujus Academiae rebus collocandae; quas ille fere unus in se totas suscipere videbatur. Ad se allectans cunctos cum sapientiae lumine, quo ipse inclaruit; tum ingenii amabilitate eos perpetuo sibi devinxit. Inprimis in eo conspicua erat integra illa voluntas, qua novae virtutes accedere solent ad beneficentiam; quae non est, nisi dimidia, si quadam vi extorquenda, rugosa fronte, quia negari nequit, tandem conceditur.

Successit probatissimo viro, regis arbitrio, P. A. A. Baro LE BAILLY DE TILLEGHEM, principi nostro in hoc pago a com-

missis. Atque ad te conversus, vir nobilis, nihil habeo, quo te compellem gravius; quam ut tibi illius viri virtutes tanquam boni Curatoris exemplum proponam ad imitandum.

In vos vero intuens, Collegae conjunctissimi, fatum lugeo acerbissimum JAC. PHIL. DE BRUYN, momento nobis, ex adspectuque nostro, cum munere, quo nihil habuit antiquius, fungeretur, subita inexspectataque morte e medio avulsi (14): viri cum ingenii bonitate morumque suavitate et integritate nobis omnibus, collegis et discipulis, atque, firmissime adsevero, universae huic civitati commendatissimi; praeclaraque in omnes benivolentia et religione jure celebrati. Dolemus ereptum hunc egregium virum Jurisprudentiae, quam ille docendo se in ejus cultorum animos tantopere insinuavit: ereptum huic civitati, quam prudentia sublevavit sua, consiliis in quavis re graviori adjuvit: ereptum conjugi liberisque et huic filio, quem inter praestantissimos hujus Academiae juvenes censemus omnes. Utinam supremum numen, quam ille in hac terra e bonorum omnium sententia tam insigniter meruit, totam dilecto viro benefactorum remunerationem sempiterna beatitate largiatur!

Verum uti haec tristia nobis et adversa, ita prospera multa laetaque evenerunt pariter. Bona vidit multa magistratus mei tempus, nova allata, antiqua servata, stabilita, aucta et emendata. Et primum quidem Professores Academiae viguerunt plurimi et corpore et mente, atque ita viguerunt ut, qua re nihil praestantius esse Academico Doctori potest, illam felicitatem totam gustarent et integram, quae docenti e discipulorum profectibus exsistere solet. In qua re

tam felicibus nobis esse contigit, ut absque ulla adrogantia jam palam profiteri possimus, nostrae Academiae juventutem in bonis literis adeo profecisse, ut de primo loco cum universis nostratium aeque ac peregrinarum Academiarum civibus contendere ipsis liceat : ita eos cum legum reverentia tum modestia et pudore esse commendatos, ut in iis conspici non nequeat, quid possint in juvenum animos elegantiorum artium studia. Haec autem et ejusmodi perfecerunt Academiae Doctores non solum diligenti in juvenum mores et studia anquisitione; non subsidiis tantum e propriis schedis liberalissime cum iis communicatis, habitisque de studiorum ratione et qualibet disciplinarum parte sermonibus; nec denique solum moderamine continuo laborum ab iis susceptorum : verum etiam nobili aemulatione in omnibus excitata, institutis gradibus laudibusque pro meritorum ratione cuilibet adcurate et religiose distributis. Quam rem tanti esse momenti censuit ipsa Regia Majestas, ut hos gradus, quibus nos ultro per novem continuos annos usi fuimus, ubique in publicis examinibus adhibendos atque in Doctorum Diplomate diligenter notandos esse juberet (15). Ubi autem ipsa Principis voluntas accedit ad docentium diligentiam; ubi majestatis sanctitas corroborat et auget vires optimorum Professorum ad quamvis rem bonam efficiendam paratas : haec talia et majora etiam ad faciendum facilia sunt omnia.

Laetandum praeterea nobis est de recentium Collegarum accessione. Nam praeter viros clarissimos, *De Greuvium* atque *Winssingerum*, quos jam ex hoc ipso loco salutavimus publice; accessit hoc ineunte anno FR. JOS. SEBERUS, cum Theologus ille, tum Philosophus probabilis.

Contigit praeterea Ordini Mathematicorum et Physicorum vir hujus disciplinae gravitate imbutus, MICHAEL PAGANI, regis voluntate ad Professionem extraordinariam vocatus. GLOESNERO etiam nostro, quem Academiae Lectorem vix salutabamus, in eodem Ordine Extraordinaria professio simulque locus cum suffragiis in Senatu et Ordine est attributus.

Transeundum nunc mihi est ad suppellectilem Academicam, citra cujus opem cum summo etiam docentium et audientium studio nihil boni fieri potest. Sunt enim disciplinae, quae sola oculorum inspectione integrae queunt intelligi, ita ut non in ore tantum et libris, sed in adcurata rerum demonstratione doctorum persuasio habitare atque penitus se in discipulorum animos insinuare posse videatur.

Aucta igitur sunt regia munificentia et amplificata disciplinarum genera, si quidem mathematicas et mechanicas doctrinas ad manuarias artes adhibendas consideras. Aucta est insigni harum rerum fautorum benivolentia tota suppellex. Si Botanicam respicis, accessere Plantae multae nobiscum *a Serenissimo* DUCE AREMBERGIO communicatae. Qua opportunitate non possum non publicas referre gratias *Serenissimo* PRINCIPI A SALM-DYCK, celeberrimisque Professoribus REINWARDTO illi Lugdunensi et NEES AB ESENBECK Bonnensi; viro etiam nobili bonarum disciplinarum vere amico, MAN DE LENNICK. Praeterea hortus Botanicus ditatus est cum plantis peregre tralatis; tum exquisitioribus seminibus ab ipso hortulano enucleatis; tum vero etiam voluntate Societatis Artium et Scientiarum Batavicae, quae ad nos misit plantarum collectionem, speciminum numero, praestantia et novitate

insignem. In qua re non satis laudare possumus benivolum erga nos animum eximii viri, C. L. BLUMII, Javanensi horto praefecti.

Si vero attendis ad Mineralogiam et Zoologiam, insigniter hanc quoque auctam esse utramque collectionem, sive ex Museo Lugduno-Batavo; seu emtione et permutatione cum aliis inita; sive excursionibus a clar. Professore institutis. Rarissima autem craniorum speciei humanae Malaicae et Mogolicae atque animalium pretiosissima specimina liberalitati debemus PEITSCHII, in Batavia medici principis, viri aliâs quoque spectatissimi. Aeque prospere evenit collectioni Anatomiae comparatae, multipliciter amplificatae.

Praeterea sic aucta est Bibliotheca nostra novis etiam neque exiguis subsidiis, ut jam denuo novi parandi sint ad libros recipiendos oeci. Neque vero parata tantum est librorum copia, sed ea ordinari et in Catalogum conscribi coepit. Quod negotium tam bene, tam laudabiliter perfecit Bibliothecae praefectus, CAR. SIG. BERNHARDI, ut non possim egregia viri juvenis de ea re merita vobis, Curatores illustres, vestrisque curis singularibus satis commendare. Ita enim ille rem administravit, ut optima quaeque de eo sperare liceat.

Quod denique hoc *Collegium Philosophum* adtinet, quod eapropter ultimo loco nomino, quoniam ipsummet se suis dotibus ita commendat, ut non magis indigeat laudibus, quam possit vituperiis malevolorum vilescere : hoc unum sufficit ad ornandam hanc egregiam principis institutionem, quod per totam orationem nostram probare conabamur : *Esse nimirum* RELIGIOSAM FIDEM *cum* RERUM SCIENTIA *conjungendam; qua sola eaque intima communione utriusque, proterva pariter sophistarum licentia et inhonesta credulorum segnities, cum omnium hominum salute, tollatur.* Quae cum

sit hujus Collegii provincia, ei nec addi, nec demi quicquam potest. Sit igitur firmum et stabile hoc Collegium Philosophum : sit perpetua cura nostra : efficiat id in bonis juvenum animis, ut bene informati ipsi, deinceps animum aperire mentemque possint universis, qui aliquando illorum lituo parebunt : ad religionis sanctitates augendas et illustrandas; ad patriae salutem, ad principis gloriam augusti amplificandam; ad ecclesiae ministrorum dignitatem, honorem et existimationem in dies magis magisque promovendam. Haec Numen O. M. bene vertat!

Jam, Auditores, non sine singulari quadam animi laetitia ad jucundissimam provinciae meae partem me confero; ad distribuendas nimirum palmas Academicas adolescentibus, qui praestantissima quaeque studiosissime sectati, in Certamine literario praemiis digni habiti sunt. Quam rem ut rite administremus, rogo te, collega clarissime, qui Senatui Academico es a secretis, ut Ordinum Judicia de Responsis allatis, adjectis simul novis in proximum annum propositis Quaestionibus, usitato more praelegas.

(*Ordinum judicia supra vide N. VI.*)

(*In Ordine Philosophorum et Literatorum praemium Dissertatione Antiquaria reportavit* XAV. CAROL. EUGENIUS LELIÈVRE, *Namurcensis, nuper Juris Rom. et Hodierni Doctor*).

Quibus te laudibus ornem, juvenis praestantissime? Te, qui summa jam omnia, quae Academia largiri potest, non solum obtinuisti; sed omnium applausu quasi tua tibi sumsisti! Te enim videbamus in Ordine Philosophorum et Literatorum, unius anni spatio, *Gradum Candidati summa cum laude* consequi, eundemque a nobis non datum fere, sed ereptum

nobis. Te eundem Gradum in Ordine Jureconsultorum iisdem laudibus non assequi, sed eum tanquam victoriam reportare. Te publico praemio ornatum, anno superiori, *propter egregie scriptam de Jure Criminali Commentationem*, in hoc eodem loco admirati sumus omnes. Te nuper admodum in amplissimo aestumatissimorum virorum consessu, absque ulla deliberatione et omnium praesentium acclamatione summis cum Rectoris, tum Ordinis Decani laudibus decoratum, *Doctorem Juris Romani et Hodierni* renuntiavimus. Tu enim, dilecte juvenis, candore et probitate animi aeque ac doctrinae copia et varietate summo honore dignus, quem non hujus tantum Academiae civem principem cum justae gloriae sensu adpellare consuevimus, utrum Juris peritia, an Philosophiae et Politiorum Artium, an Historicis et Antiquariis studiis sis potior, decernere non audeo. Accipe igitur e mea manu hunc aureum numum, tantarum inque juvene viginti annorum rarissimarum virtutum luculentissimum testimonium, Regiaeque munificentiae signum, meaeque amicitiae monumentum. Tu, qua coepisti, perge; et de futuris jam rebus tuis me vere augurantem audi: Mihi enim persuadeo, te ipsamet natura et communi omnium voto et exspectatione esse destinatum, ut aliquando Professoribus tuis fraterno vinculo conjungendus, in Academica juventute erudienda patriae toti consulas!

(*Ab eodem Ordine alterum praemium ad Philosopham Commentationem adjudicatum est* JOANNI GER. OTTEMA, *ex Deutichem, in Acad. Ultraj. Philos. et Liter. humanior. Candidato*).

Accede, ornatissime juvenis, et plurimum salve, qui de omnibus reliquarum Academiarum discipulis primus hanc in nostra Academia victoriam reportasti. De quo exposuisti celebratissimo Philosopho, ejus tu singularem ipsique velut cognatam elegantiam ita expressisti, ut anquisitionis philosophae gravitatem mira cum gratia referres. Quid autem potest his tempestatibus excogitari praestantius, quam asperitatem, quam nonnulli innatam, ne dicam, necessariam dictitant in philosophis, orationis lenocinio mitigare? Quapropter eo magis laetor, quod hanc praeclaram virtutem in te conspicio, qui bonis literis naviter operam dans,

alios quoque easdem docere exacto studiorum tuorum curriculo instituis. Tu redi ad tuos illos Doctores, aestimatissimos viros, quibus ille Graecorum philosophorum candor, illa veterum humanitas cognata esse videtur.

(*Ab Ordine Medicorum praemio ornata est Dissertatio* TH. CORN. SEEGERS, *Harlemani, in Acad. Ultraj. Medicinae Studiosi*).

Qui cum praesens non esset, publice ornari a Rectore nequibat.

(*Ab Ordine Mathematicorum et Physicorum praemium adjudicatum est: A. Commentationi Chymicae* JO. BAPTISTAE VRANCKEN, *Lovaniensis, Discc. math. et phys. Candidati*).

Te alloquenti, adolescens egregie, venit mihi in mentem Taciti illud: majores nostros cerevisiarum potione maxime fuisse gavisos; Belgas autem eapropter mirabili corporis robore viguisse, quod a vino se abstinuissent. Vides igitur, quam bene tu de nostratium hominum genere sis meritus; quum de variis cerevisias parandi methodis scriberes. Reapse utile tu negotium suscepisti. Nam non solum, quae ad animum excolendum faciant, sed ea quoque, quae corporis sanitati et hilaritati prospiciunt, nostra diligentia et regio numo digna censentur, quem tibi ut adsiduitatis egregium testimonium elargior.

(*B. Commentationi Mathematicae* CHRISTIANI TIELEMANS, *Bruxellensis*).

Tu quoque, doctissime juvenis, cujus laudes Ordinis Professores iterum iterumque repetunt, ad hoc certamen te accinxisti? Propius accede, ut cominus te victorem salutem atque in exemplum te aliis quoque proponam, quibus nondum satis est persuasum: nihil esse arduum in severioribus etiam disciplinis; simulac quis prima earum impedimenta superaverit. Accipe hanc coronam adsiduitatis tuae, atque gloriam semel acquisitam indefessis studiis tuere!

(*C. Commentationi Botanicae* JOANNIS KICKX, *Bruxellensis*).

Procede igitur, juvenis humanissime, ut praemium tibi debitum impertiar. Tu enim novum argumentum addidisti verissimae sententiae illorum,

qui omnem operam collocandam esse censent in iis disciplinis, quae viam muniunt ad altiores scientias. Tu igitur, ut adhuc fecisti, sic deinceps facere perge.

(*In Ordine Jureconsultorum palmâ donata est Commentatio* ALEXANDRI LELIÈVRE, *Namurcensis, Juris in Acad. nostra Candidati*).

Ecce tibi quoque praemium modestiae pariter ac diligentiae atque morum integritatis, quibus tu virtutibus, optime adolescens, tantopere te commendasti. Te laudo, paternae virtutis imaginem, te fraternae eruditionis et laudis aemulum. Verum has virtutes in vestra gente ita esse ingeneratas comperi, ut qui iis insigniantur frequentissimi sint, nemo vero inveniatur, qui eisdem sit destitutus. Accipe igitur hoc aurum, quod tam feliciter mihi contigit, utrique fratri, uno die, impertiri. Hanc viam deinceps tene, quam tu es tam feliciter ingressus, et persuasum tibi habeas, alium itidem de te esse vaticinaturum, quod de fratre tuo certo me praedixisse mihi videor.

Quibus nunc singulis et universis rite peractis; quis est, qui in recensendis tantis benefactis Tuis, o Rex Augustissime, Tui Tuique nominis immemor, non gratias Tibi egerit maximas? Laudibus enim hominum eorumque subditorum Tuorum superior est majestas Tua. Est tamen numen illud Historiae, sunt hujus numinis sacerdotes, quibus ea provincia est demandata; ut optimos quosque reges summis quibusque prosequantur laudibus. Quo vero Te nomine inscribemus in historiae aeternae tabulis, TE POPULI TUI SALVATOREM: TE CIVILIUM JURIUM STATOREM: TE FIDEI PUBLICAE REDEMTOREM: TE ARTIUM OMNIUM SATOREM; LIBERTATIS PUBLICAE ET RELIGIOSAE VINDICEM, CONSTANTEM, SAPIENTEM, OPTIMUM! *Unicum est, quod Tibi, dum vivis, ipse Cliûs sacerdos ego impertiar, unicum et illud quidem totius antiquitatis praeclarissimum nomen. Adpello igitur Te, quae mihi ab Historia est data auctoritas, adpello Te* ΚΑΛΟΚΑΓΑΘΟΝ!

Reliquum est, ut gestum a me magistratum conferam in clarissimum successorem meum, Jo. MARIAM BAUD, Ordinis Medicorum Professorem Ordinarium.

Adscende igitur, vir Magnifice, in hunc editum locum, jam destinatum Tibi, dignissimo utique viro. Sed grave est munus, quod in Tuas manus depono, auctum etiam superiori anno et pondere rerum et copia. Tota illa Tua opus erit diligentia, tota vigilantia, ad tantum negotium rite sustinendum. Verum si quae fuerint graviora, eorum partem in meos devolve humeros. Sancte enim Tibi promitto, nunquam meam Tibi defuturam esse voluntatem.

(*Praestito a Rectore juramento lege praescripto*)

Sic igitur Tua haec sunt Insignia Academica : sic Tibi trado dilectam hanc juventutem : sic Tibi servandam et vero etiam augendam hujus Academiae recentem gloriam !

Vos autem, Collegae suavissimi, accipiatis quaeso has publicas a me gratias pro vestris auxiliis mihi omni tempore praestitis; pro vestris illis sapientissimisque consiliis, quibus me sustinuistis. Me amate; quantopere vos ipse perpetua observantia me prosecuturum esse sincere polliceor !

COMMENTARII.

I.

Tempus moto mari simillimum : eodem modo, quae tempore exsistunt, hominum et naturae actiones, varie agitantur. Malum, si quis prae hominibus obliviscatur naturae : ne ille se historiam cognoscere opinetur. Ut enim mare contemplans nemo dicere potest, ubi incipiant, ubi desinant undae; sic nemo certo indicare potest, quando quaedam aetas aut exsistat aut esse desinat. Attamen quaelibet aetas sua indole insignitur; quam non factum singulum et unicum efficit; quippe in qua procreanda totum praeteritum tempus elaboravit, creatamque sistit in certo cultus gradu, ad quem universum genus nostrum sit evectum.

Progredienti cultui subjecta sunt omnia, et illud etiam, quod quidam jam nunc perfectum credunt, *Scire* nostrum. Ipsa adeo religionis praecepta et sacri libri (quantalibet veritate insignes fuerint) ex illo solum ingenio temporis veritatem suam tuentur, ex quo vitam nacti sunt, quod mutuam in gratiam vita donaverunt. Vaeh illi, qui naturali huic progressioni temporis reniti audeat : maris ille turbidi, cujus tempestatibus resistere susceperit, obruetur fluctibus !

Quemadmodum quaevis cujusvis hominis indoles in universum adparet tanquam luminis refractio et color (utimur enim magni poëtae verbis) quem sibi voluntatis quasi radius assumit; sic illa nec *proprietate* una constat, nec *multis* proprietatibus composita, verum earum gradu, confluxu et vario concentu perficitur. In qua tamen re tenendum est : proprium semper unius virtutis filum per totam illam indolis varietatem esse intextum, quo reliquae omnes continentur, arctiusque conjunguntur et velut quadam anima perfunduntur. Ejus autem generis indoles in genere quoque humano (ut in specie ejus, in homine) cernuntur, quas exponit *historia*. Ipsum genus hominum non eos tantum complectitur homines, qui nunc sunt, sed eos etiam, qui fuere et, licet praesagire, qui futuri sunt; unde sequitur, ingenia quoque historica exsistere *necessario* secundum illam proprietatem, quae hoc loco est totius generis continua progressio versus

cognitionem sui tendens, mater libertatis. Cultus autem illa profectio non brevissima attinetur via, non repente oritur, neque in unum conspirante voluntate omnium; sed paullatim, secundum propriam hominum singulorum et rerum externarum rationem, coelique vices, regionis etiam et vitae generis in naturam et ingenium humanum potestatem, imperantium perversitatem seu prudentiam et corruptionem gentium, quae totidem haberi impedimenta possunt seu subsidia.

Qui haec singula et universa cum critica mentis acie incorruptoque veri studio, virili oratione, dignis monumentis consignare potest, is perfecti rerum conditoris nomen et gloriam promeretur. Verum cum *aeterna Libertas infinitaque* unius generis humani *substantia*, in *immenso* rerum *ordine* se manifestans; ideoque *illimitatum* illud *ingenium* in *singulo* quoque homine, tanquam archetypo suo, conspiciatur; quod totidem (quatuor) ingenii characteribus (Epochis) adparet : consequens est, *singulum* quoque posse infinitum illud ingenium pro suo quemvis tempore, et cognoscere et exponere aliis : qui iidem, eandem ob causam, intelligere non nequeunt, utrum vera ea sit, an falsa expositio. Nam singulus non solum in universo inest, sed universum etiam in singulo est expressum. Unde sequitur : ex toto genere hominem, ex omnibus hominibus genus esse cognoscendum : eademque ratione tempus contineri cum temporibus. Quod cum ita sit, *Senectus* constat praesentiâ praeteriti; *Juventus* praesentiâ futuri; *aetas Virilis* integram praesentiam praesentiae explet. Qui igitur hac tempestate diversas illas *aetates* omnes, quamlibet cum *propria indole sua*, ita *contexere* possit, ut exinde unum *tempus* et proprium totius temporis *ingenium* efficiatur, a quolibet eruditiore facile agnoscendum; is de genere humano, de Sapientiae numine optime mereri censendus sit. De qua ipsa re sententiam dicemus nostram.

II.

In hanc rem unâ consentiunt plurimi. Verum hic consensus tantum abest, ut sit versus, ut omni potius tempore *theoretica* quaedam notio maneret, ex pulvere scholastico depromta, in vitam traducta nunquam et nullibi rerum speciem consecuta. Quo enim pacto, nisi hoc accidisset, *doctrinas* haberemus, dictatorias istas et inertes; quo modo *systemata* systematumque tot fabricas; qua mali daemonis opera *Facultates*, quarum suum quaelibet sibi orbem reservans alias odit alteque despicit, et in quibus mordacibus velut bestiis mors ipsa est involucris; ut verius nihil possit esse

illo : *Amor systematis veritatis odium !* Plurimi nostra aetate Scientiae inquisitores, qui ad suam ingenii mediocritatem, suaeque *scientiae* (tam honorificum nomen usurpant) dogmaticam ceteros quoscumque metiri solent, simillimi sunt iis, qui in terram Sapientiae promissam peregrinantes, minime curant, quid alii, quibus idem sit propositum, moliantur, quidve agant. Diversa omnes sequuntur itinera; unde mirum non est, quod per saeculorum spatia alter juxta alterum in eadem via ambularet, quin interrogasset unquam : *Quo tu tandem, amice ?* Quodsi quisque ex eo, qui proximus esset, quaereret, quam sibi metam haberet propositam; quo consilio iter susceperit ? — fieri non posset, quin juncta amicitia, validoque sodalitio facto veram viam, a singulis ignoratam, cum certitudine ingrederentur universi, superatisque impedimentis, nunc per virides Oases, nunc per desertorum longa spatia, tandem aliquando in sanctam Sapientiae terram advenirent. Nunc vero non imitandi essent filii Israël, qui terram nondum occupatam, simulac singulae tribus singulas partes sortitae fuerant, quasi subactam diviserunt tributimque, ut ita dicam, relictis reliquis, discesserunt, posita quadam ad Jordanum lapideâ, theoreticam dixeris, colummâ, scissionis potius quam unionis monumento. — Longe alia nobis ratio sit : primum *gentilium insipientium* familia exstirpanda, falsa *facultatum* idola frangenda seu unitati Jehovae subjicienda sunt; siquidem electi *Jehovae Sapientis* filii in terra patribus promissa cum beatitate degere velimus.

Ut autem, quae per comparationem diximus, ad rem nostram adhibeamus, haec fere volumus : Omnes simul disciplinas, velut ramos totidem, unam efformare conscientiae arborem; quamlibet suam quidem vim habere, sed vitales vires et proprietates suas non nisi in reliquis, quibuscum aut crescat et efflorescat, aut minuatur et intereat; quibuscum mutua efficientia contineatur, conspicere; omnes invicem a semet pendere, unam alterius esse causam et conditionem; universas inesse in tota et una *Scientia*, ab eaque moveri, sicut astra a totalitate mundi. Alius enim *verum* quaerit, *justum* alter; tertius quidam in aeternas *pulcri* leges inquirit; quartus *naturam* pervestigare, quintus *mentem humanam* dispicere cupit et, quis credat ! omnes cum invidia se et odio prosequuntur ! Cur igitur illi, quorum superbiae, licet minime probetur verecundiâ, placet haec studiorum solitudo, et qui *antiquos* laudare pleno ore solent; cur non a Graecis discunt (quorum scripta et placita *memoria* tenent) *verum* et *pulcrum* idem esse, *bonum* scilicet; atque hoc esse non posse absque *justitia;* in quibus conjunctis insit vis et dignitas *mentis humanae*, quam sciunt *naturae* adversari non posse ?

Quodsi igitur hoc genus doctorum illud sibi haberet persuasum, per modestos tantum *disciplinarum* cultores veram nobis *Scientiae* progressionem increvisse; nisi etiam dictatoria sua *doctrina* velut malo quodam daemone ita esset possessum et agitatum, ut *crederet*, quam sibi animo informaverit *scientiam*, eam esse optimam; tum quoque *naturae* quaereret judicia, non *systemati* suo adstipulatores et admiratores, quibus ipsum se stipare consuevit.

Et tamen altera ex parte, quanta adversus istam illorum opinionem repugnantia, in ipso temporis ingenio conspicua, quod ad unitatem et concordiam protinus inclinatur! Ut enim rudes naturae proventus, *certis* tantum terris proprii, arte excitantur *ubique*, et emendati atque in usum *totius* generis conformati, auxilio mercaturae, terra marique cum universis communicantur; sic quoque *Jure* quodam *omnibus gentibus communi* indies magis magisque stabilito et usu confirmato, in mediis dimicantium controversiis pax et justitia et mutua agnitio enascitur, quae *communi vinculo* colligat *diversos* atque connectit. Ars etiam *universalis* quaedam est, qua omnium terrarum artifices et artis amici arcte inter se cohaerent, quoniam *omnes* trahuntur *eodem pulcri sensu*; quia omnes naturae observationis, interpretationis et imitationis principio innixi, eodem unius naturae studio ducti, ad naturae praecepta informantur iisdemque legibus parent consulto.

Religio pariter, antiquitus certae Castae priva, atque aetate media uni tantum Ordini usurpata, magis se magisque ab aliena admistione liberans, in mores abit et totam amplectitur vitam. Civitates quoque diversae harmoniam quaerunt politicam, inque ea mutuam independentiam ac libertatem. Quantum haec omnia jam nunc profecerint, testatur historia, fidelissima custos rerum; sed non minus etiam probat, hoc non nisi provectiori Scientiae cultu nobis contigisse. Quae cum ita se habeant, quo tandem modo fit, ut nobilissimi ardentissimique conatus illi tantopere a meta proposita adhuc sint remoti? Eapropter, respondemus, quod metam attingere *absque duce sua* volunt, quae est Scientiae unitas; quoniam praeterea eam, quae omnium est maxime universalis, *solam* relinquunt inque sua membra decerptam, solam et in popularitate tantum cujusvis cultorum generis inclusam, talique modo sibi oppositam et a se alienam!

Insuper alia accedit nostri temporis proprietas, quam *adrogantiam* ejus et *superbiam* dixeris, nisi matrem habuisset integram nobilemque, *fiduciam* scilicet invincibilemque sui *confidentiam*, quae ipsa est hujus temporis et haberi debet filiola carissima. Hinc intelligitur, quo modo quicunque ho-

die scribat et doceat, doctrinae suae systema promittat *irrefragabile* quoddam, *optimum*, *absolutum*, *unice verum* et, si deo placet, *ultimum*. Vix etiam reperitur, qui non unum alterumve systema praedecessorum suorum hoc anno, mense et die funditus everterit et aliud, quod everti a nemine possit, in ejus locum suffecerit; vix unus, quin problematis mathematici demonstrationem unicam et supremam invenerit. Quid vultis, lectori quoque vix placet et probatur, nisi quod novum, inauditum sit, sive certe *absoluti* et *penitus perfecti* saporem seu saltem nomen habeat. Quae etiam causa est, cur nullum laudatorum illorum systematum reperiatur diuturnum, sed omnia citius fere occidant et a veriori ejusdem frugis alio absorbeantur, quam ipsa orta essent.

Sed unde haec omnia? Primum quia mens semper sitiens tandem aliquando ex tot optimis reapse *bonum*, ne dicamus *optimum*, gustare cupit. Deinde quia hac tempestate quisque systemate quodam quasi gravis est, cujus quantocyus in lucem emittendi ardentissimo desiderio flagrat. Tum quoniam ingeniorum praecox genus, morae impatiens, frugem immaturam edit: si enim diutius expectaret, omnino non ederet, quia facile intelligeret, laudatum opus suum — editum jam esse ab alio. Porro quoniam nunc quisque tempore ita premitur, ut exspectare, etiamsi vellet, ne posset quidem diutius; est enim periculum in mora, quia, cum omnes eadem idea universali sint perfusi et docere quam discere malint, fieri facile possit, ut quae unus meditetur, interea evulget alter. Denique, et hoc quidem est gravissimum, propterea quod quisque *singulus* suo Marte et inconsulto sapientiorum senatu, factum infectum suum publici juris facere jam pridem consuevit.

III.

Non loca solum et tempora affectione tenentur mutua, sed etiam genus humanum quodammodo cum altioribus rerum creatarum potestatibus copulatur, microcosmus cum macrocosmo. Quidquid enim exsistit, igitur homo etiam et genus humanum, duabus quasi a natura personis indutum est, quarum una ipsi est communis cum rebus universis, altera propria ipsi tributa ita, ut vergat in utrumque quasi polum, Realis et Idealis, Telluris et Solis, Singuli et Universi, Negativi et Positivi. Terra, noctis filia, nocturnum quoddam habet, planetarium; quod adparet vita sensibili (sensitiva dixerim) sui inscia, per somnum et somnium conspicua; quod praeditum

est sensu quodam corporeo, perque totum corpus diffuso : quaecunque ipsi formae occurrunt, plasticam naturam habent, extrinsecus adferuntur, non nascuntur intrinsecus; sunt igitur hae incertae et omnino indefinitae species, muta quaedam hieroglypha. Ipsi oppositum est principium solare vitae expergefactae, sui consciae; cui convenit vigilia, rerumque per certos sensus, diei dicatos, oculum, aurem, alios, perceptio; mentis imperium, cujus acie dubiae illae formae distinguuntur per certas definitasque imagines, figurasque vitae flammâ animatas. Regnum igitur sensuum Ratio occupat, quae confusa temporibus et adhaerentia locis intuetur, intelligit et ad ideam eorum reducit, ad universale; quae se *manifestat* ipsa et cognoscit remotissima, per loca et tempora dispersa; alios denique orbes et mundos sibi aperit.

Eodem modo in regno creationis terrestris idem conspicitur; ubi regnum minerale, chaos vitam includens, transit in regnum somnians plantarum; deinde in irritabilem mundum animalem, qui organismo humano pervenit ad cognitionem sui. Hoc idem in variis aetatibus generis humani inveniri, ibique maximae notae esse, pariter videbimus.

Quum vero dormiens *expergisci*, experrectum se *cognoscere* debeat; id denique, quod cognitionem sui assecutum sit, ab omni imperfectione, a mendis et erroribus abhorreat, ad melioraque tendat et feratur : sequitur, explosam esse illorum sententiam, qui unice antiqua laudantes nostram aetatem vetere provectiorem et meliorem esse negant. Sciant igitur illi, ingeneratum esse in pura hominis mente sensum futuri temporis et studium, quod objectum suum et definit adcuratius et postulat; quod ad scientiam vehementer compellitur et, quoniam cum praecedente gradu cultûs sui cohaeret, ut effectus cum causa sua, errare non potest; verum metam suam a natura ipsa propositam attinget sive nunc, sive alio tempore. Quicunque hoc negant, quicunque progressioni mentis humanae clanculum aut aperta vi, verbis aut exemplis renituntur; generis humani acerrimi hostes sunt habendi et duplex crimen committunt, quia hominibus, mala fide deceptis, ipsi abuti suarum rerum causa student. Minime illi excusandi sunt solenni, quam in promptu habent, sententia, ipsis maxime commodâ : « Mentem humanam a recta via *posse* aberrare, atque ipsam adeo scientiam ad graves nonnunquam errores perducere. » Nos enim non solum non negamus, errare hominem *posse*, sed potius libenter concedimus, ipsum erroribus *necessario* esse subjectum. Verum simul non ignoramus, mentem errando evadere perfectiorem propterea, quod postea in-

telligat, se errasse. Quodsi enim non intelligat, quomodo illi eum erroribus obnoxium esse sciant? Ille ipsemet sensus (instinctum per me vocare possunt alii) non dubitat, scire hoc nostrum esse imperfectum; verum eo ipso etiam veneni mortiferi secum habet antidotum, quoniam praesagire potest, ex illa imperfecta rerum scientia fieri debere perfectiorem. Unde simul patet, hunc instinctum non brutum quendam esse, sed divinum plane sanctumque; cui nomen est *conscientiae*, quam nemo est, quin veram praedicet. Quodsi igitur non pauca fiant invitâ conscientiâ, hoc inde repetendum est, quod eam sive non interrogant, antequam ad agendum se accingant; sive etiam propterea, quod non ea ejus est provincia, ut indicet, quid sit agendum, sed quid evitandum. Sic fieri solet, ut homo rerum quidem habeat conscientiam, neque vero conscientiam sui, quae illam complectitur. Et hic est unicus errorum fons, non illud scientiae studium, ut isti *impiorum persecutores* rem torquere malint. Est vero etiam omnis Philosophiae caput longe difficillimum, ut quis ipse se subjiciat sibi, i. e. *ut se cognoscat*. Haec sui cognitio postulat penitiorem mentis animique sui intelligentiam, quam eam ob causam difficillime nanciscimur, quia cognoscens cognoscendo majus esse et perfectius debet. Qui igitur illud *Nosce Te Ipsum* penitus sit assecutus, is *sapientis* nomen jure mereatur. Quod cum assequi nemo possit, *Philosophis* contenti esse debemus, Σοφοὺς nunquam habituri. Non aliter se ipsa habet *Scientia;* quae si perfecta esse velit, ipsa se sibi subjicere atque intueri, ipsa conscientiam sui assequi et sibi fieri conscientia debeat, i. e. totum quoddam fieri, quod se *tanquam totum* cognoscat et *comprehendat;* igitur ipsa se major minorque simul evadat: quod in hac terra nunquam continget; licet homo ad eam perfectionem indies propius accedere ab ipsa natura cogatur.

A natura diximus, non bruto illorum instinctu; licet quidam instinctus ad perfectionis studium, cum in vita communi, tum in Scientia excitare non nequeat; licet ille quodammodo hanc vitam vitaeque impedimenta superans, ducat ad fidem religionemque et cogat adeo ad Dei qualemcumque agnitionem, in quo illam omnium rerum concordiam quasi auguratur; licet denique spe vitae futurae et aeternae, ne dicamus *certitudine* ejus, nos pelliceat, quia ejus necessitas ipsi ante animum versatur. Quidquid tamen promittat, caecus ipse est, obscurus somniantis vitae sensus, veritatem rei ipsi propositae non cernens; quippe quae ei tanquam phoenomenon inexplicatum, ut species quaedam dubia et inexpressa, ante oculos quasi per nebulas natat. Agitatur igitur instinctus causâ sibi ignotâ, quae est idem ille instinc-

tus sanctior, de quo diximus, *conscientia* nondum expergefacta. Unde quidquid ille animo advertit, id dubium manet; ut ipse plane sit incertus, an metam suam sit assecuturus, nec ne; quia metam ipsam *ignorat*.

Praeterea multum profecto interest, utrum citius an serius proficiamus; unde simul nihil tam falsum humanisque studiis tam adversum deprehenditur, quam illa opinio : *Mentem errando proficere et confirmari*. Multo enim saepius illa plane aberrat a vero atque invita etiam trahitur in fatalismi turbines, qui, aut ipse fallor, aut nullo pacto ducere ad sapientiam *possunt;* sed deducere ab illa ad *occaecatam credulitatem debent*, inhonestam et fallacem, quia spe, metu et fato temerario vehuntur. Fieri quidem potest, ut bona splendoremque vitae, divitias quoque et honores stupidis pariter ac prudentibus fortunae temeritas impertiatur; Scientiam profecto nemo habebit, nisi certa ratione, consilio, ordine imperturbato atque conscio ejus et pertinaci studio comparatam.

Atque isto quidem fatuito instinctu mundus *antiquus* ducebatur. Ubi vero ad conscientiam *rerum* transgrediebatur, *novus* mundus exsistere coepit. Calamitatum omnium, quibus religio et scientia, fides et spes, in Deo atque vita futura posita, adficiebantur, hic instinctus auctor fuit. Mythus significans ille et nativus in fabulas aniles et putidas abiit; caeremoniae vanae pro religione, fatum pro numinis providentia, superstitio, obscuritas, barbaries, daemonum metus pro lucidiori scientia fuerunt. Et licet ea sit instinctus natura, ut totalitatem quandam rerum et concentum praesentiscere non nequeat; tamen idem et eandem ob causam Deorum numina multiplicavit, ut Deum unicum cognosceret; quem propter id ipsum cognovit nunquam. Quae cum ita sint, omnium errorum ille unus fons uberrimus habendus est : mortis timor incassus, tartarorum anxietas, diabolorum totiusque malorum angelorum turbae creatio, et nihilosecius praeterea fallax opinio, mundum fato regi et sine duce ferri : haec cum aliis ejusmodi dementis instinctûs est propago !

Jam quaeritur, quomodo in *conscientiam* transierit instinctus? Antiquitus conscientia fieri *nequibat*, recentiori tempore *debuit;* neque tamen *potuit* citra illum concentum inter omnes disciplinas et artes, citra arctiorem consuetudinem inter omnes earum cultores institutam. Licet hoc per se manifestum sit; tamen accusatorum nostrae aetatis gratia, qui loqui de vetustis, quam audire res novas malunt, alios et juniores semper docentes, ab illis discentes nunquam — genus hominum, quod ut nunquam interrogat, audit

et observat naturam et temporis ingenium; sic quod ipsum velit, cogitet, agat et — credat, nobis in exemplum proponere solet —; ut videant illi, quemadmodum inter aetates diversas, prudenti rerum scrutatori observandas et invicem comparandas, sit quoddam discrimen; sic quoque inter eum, qui observet, et rem quae observetur, intercedere quandam necessitudinem: eorum igitur gratia exempla quaedam ex historia proponere volumus, quibus idem vel illis probetur, qui non plane cornea fibra sint. Speramus enim fore, ut demto e tabula nostra colore medio atque temporum characteribus velut ex abrupto et praeceps juxta se collocatis, intellectu non sit difficile, utrumne antiqua nostris, an haec vero illis praestent.

Et vetustis quidem temporibus, ut hinc ordiamur, bella fuere tot, quot fere hominum paria; unus enim bello petiit alterum: *haec fuit laudata illa aetas Juris Naturae!* Singulis deinceps per Tribus coalitis, tot bella, quot paria tribuum: *his claruerunt nobilia tempora Patriarcharum!* Occupatorum armis ex tribubus pluribus subactis creari *Populi* coeperunt, et bella tot, quot fuere populi: *o aurea haec Graecorum Romanorumque tempora!* Juribus e cultu gentium ortis exstitit Jus Summum, omnibus gentibus, naturâ duce, commune, cumque eo civitatum Foedera: *haec sancta Aequilibrii inter populos instituti initia; haec mutuae agnitionis gentium et dignitatis origo!* E minoribus foederibus jam nunc duo exstitere majora; alterum adrogans et juri omnium obluctans; alterum quod non suum tantum, sed jus adeo aliorum aeque tueri conatur: *haec aetas est Ordinis civitatum Politici; hoc cultae Rationis imperium!* Jam enim quaeritur, *cur* bellum geratur; nunc inprimis belli *necessitas* civibus, hostibus, universis est probanda; quae est summa cultus progressio. Quicunque enim bellum suscipit *temerarium* sive *injustum*, ille mox non amicis tantum destituitur, sed eosdem in hostes conversos videt sibique adversos; atque prosequitur ipsum et odium gentium et nota censoria *Opinionis Publicae* et, multo gravius, *Judicium Historiae.* Inde nova humanitatis progressio, in jure et persona *Legatorum* conspicua, a quibus inquiratur in jura dimicantium ante quam ensem stringant. Sic bella non solum rara et rare facta, sed etiam mitiora; quia non ad voluptatem imperantium, sed ad jura tuenda geruntur. Sicut igitur antiquitus *devictae* civitates simul etiam *subactae* sunt et *in servitutem redactae;* ita nunc ne una quidem civitas interit. Praesto sunt civitates *Mediatrices*, et exinde, pro absoluti juris principio, *Auxiliatrices.* Qua re gravissimae lites gentium ab electis et agnitis *Arbitris*, tanquam civium lites, judicantur et deciduntur.

Quae in jure publico, eadem in *religione* meliora reddita. Olim *humana*

sacrificia mactabantur *crudelibus* Diis : jam vero *benevolus* Jehova *ariete se* Isaaci nomine continuit. Multo post Sapientes cognoverunt, a *cruentis* sacris *abhorrere* Deos, *amare* tamen frugum fructuumque terrae *primitias*. Deinceps Dii multo erant continentiores ipsis sacerdotibus suis : non enim optimum quodque, sed, expressis verbis, *vilissimum* postularunt. Denique verae et unicae religionis auctor, J. Christus, non *quae* donentur, sed quae *bono et integro animo* offerantur, *benigno* placere numini, discipulos docuit. Et ubi nova immanitas peccatorum remissionem denuo *pecuniâ venalem* habuit; Reformatio ecclesiae, ad exemplum Christi, eversâ mensâ argentariâ, negotiatores templo expulit, *poenitentiam* et peccatorum *ad meliorem frugem reditum*, non *numos* praecipiens.

Sic tempora mutabantur! De *justitia* forte quaeritis? In Oriente justum est, quod alicui *prodesse*, quod a *fortiori armis usurpari impune* posse videtur. Graeci, si *exactis incolis* ab illorum terra, *a se occupata*, *quemvis arcerent;* Romani, si quam plurimos possent, *subigerent* populos, item bono jure facere crediderunt; quam justitiam ab Hebraeis quoque usurpatam fuisse videmus. Nunc justitia est *mutua* inter cives et homines ratio, quae uni et omnibus praestet idem. Quid ? *Mores* certe dubium non est, quin fuerint puriores apud veteres? Minime! Moralitas enim (quam sensu hodie sanctiori et philosopho, non angustiori illo usurpamus, quo hominum *consuetudines* intelligebantur), moralitas *internum* quoddam est, universos homines complexum; quod esse non potest absque intelligentia et conscientia boni, pulcri, honesti; mali, inhonesti et dedecoris. Hinc clarum est, quo pacto mores *orientales consuetudines* fuissent *innatae, naturales* et *brutae :* mores Graecorum *leves* et *mobiles*, ad *pulcri* sensum et quandam *exteriorem convenientiam* conformati : Romanorum denique *decorum frigidum* et *ingratum, omni humanitate privatum.* Idem exprimunt *voluptates* cujusvis populi, quae cultus morumque *flores* haberi possunt et totam indolem egregie exprimunt. Atque circa hanc rem animadvertimus, Orientalibus pro summo bono fuisse *vitae imperturbatam tranquillitatem* et *quietem,* quasi mortem laborum et miseriarum, *diuturnam;* qua placide composti Diis se simillimos existimaverunt, inque ea beatitatem aeternam, cujus profundae meditationi se mandaverant, praegustare jam in hac vita consueverunt. Graecorum voluptates bono tempore elegantissimae fuere, totae in artificiorum omnis generis intuitione positae. Romani ab initio ab omnibus vitae deliciis non minus, quam a Graecis artibus abhorruerunt. Postea, sequiori tempore, voluptates in satiandis lascivis libidinibus, naturae adversis et protervis artibus alitis

inhonestoque studio perpolitis, ponebantur in utroque populo. Hominum genus medii aevi, quantumvis licet castum et nativum et integrum; in voluptatibus suis utrum fuerit agrestius, an libidinosius, in medio relinquamus: certum tamen est, lasciviam illius aevi, propter ipsam virium copiam, proxime accessisse ad brutorum cupidines. Vel postea, ineunte recentiore tempore, Francisco fere I Gallis imperante, cum in Gallia, tum in Italia voluptates placuere nullae, nisi eaedem essent protervae et versutorum quodammodo veteratorum artificiis excogitatae et adfectatione quadam fucata, ultra quam credi potest, ostentatae. Hodie iisdem fruimur cum modestia et verecundia et earum *conscientia*, modice igitur et cum grano salis. Unde, testis est historia, mores quoque, quo vita ipsamet sit cultior, eo esse elegantiores, oculis videmus. Cultiorem esse nostram aetatem Graecâ atque Romanâ, negant quidem minutiarum venatores, qui licet ipsi se pro doctissimis habeant, tamen omnem se eruditionem a *magnis* illis *antiquis* habuisse, non sine quadam modestiae superbiâ profitentur; negantque ejusmodi se, quod exposuimus nos, ex illorum scriptis expunxisse. Graecos tamen, opinantur, *Antiquitates Graecas* melius *scivisse*, quam earum commentatores; Romanos quoque et Dionysium certe Halicarnasseum, in hac saltem eruditionis parte, praestitisse Pitiscis, Heinneccíis, Heyniis — tametsi vel hoc eorum oraculum falsum est — et tamen illos laudavisse et praedicasse illas virtutes in Graecis, celebrasse in Romanis; qui iidem omnia a Graecis mutuassent!!

Ii quoque, qui hanc nobis praestantiam lubenter concedunt, de *Libertate*, quam veteribus cognatam et naturalem fuisse contendunt, dissentiunt plane. Verum quidem est, orientalium neminem alteri alapam dare impune potuisse — sed eapropter, quod caput, cui dederit, non illius, sed principis erat. Quod reliquum est, libertatis illi ne sensum quidem habuerunt, inque toto thesauro eorum erudito haec vox non occurrebat, nisi forte mutuata a vicinis gentibus. Graecis et Romanis nulli invidemus excludens illud et barbarum jus civile, *juxta Helotas et Servos;* non magis licentiam illam forensem, quam pro vitae publicae habuere principio. Melius enim nunc ipsi scimus et oculis videmus et manibus comprehendimus, ista istiusmodi libertate illorum civitates interiisse. Non etiam veremur, ut quis libertatem *glebae adstrictorum* medii aevi, qua ipse fruatur, revocet; et multo etiam minus sanctam aliquis servitutem Romanorum Pontificum desiderabit. Libertas, et eâ quidem nunc utimur, *mutua* est *cultorum* hominum et ex *ipsâ dignitate humanâ repetita existimatio*, quae est in omnibus eadem.

De ultimo et sanctissimo, quod veteres per excellentiam possedisse dicuntur, *Fidem religiosam*, *Caritatem* et *Honorem*, dicamus paucis. Orientales igitur, in materia consepulti, vitae conscientiam habuere nullam : tenebantur seu obstringebantur *Fide* quadam, sed *caeca;* eâ fere, quae est in infantibus, igitur absque ullo merito. Graeci religiosam fidem habuere nullam, nisi eam, quae fabulis et mythis continebatur *vulgi*, qua sacerdotes et artifices, e suo quisque consilio, utebantur. Habuere Romani, sed *praeceptam* illam, consciis magistratibus, a sacerdotibus Etruscorum : aetas media stupiditate una et versutiâ altera ex parte *creatam*. Nos *credimus* quidem, et firma fide credimus; sed cum certitudine et non sine inquisitione in rem instituta, non sine praevia dubitatione; quapropter ea in nobis eo est firmior et ad agendum incitat vehementius, quo magis intelligentiâ collustretur.

Honor orientalium est vindictae et superbiae studium, non aequabile illud, sed flagrans, ut coelum ipsum. Graecorum honor ad *certam classem* pertinens, paucioribus tantum erat *proprius* et intra Optimatium parietes inclusus. Quod vero attinet ad Romanos (aeque ac Spartanos), honoris studium illorum totum fuisse in *civium* ficta quadam dignitate, qui ut cives fierent, homines esse desierunt. Media aetas factis eum temerariis, absque consilio et fine susceptis, expressit. Nos denique eum tantum honorem esse *scimus*, qui ex animo culto nascatur atque de patria aeque ac de singulis hominibus, etiamsi extra patriam degentibus, bene mereatur; qui in dignissimo quovis viro, tanquam mens et animus omnium actionum, est conspicuus et in sanctissimi cujusque pectore non deverticulum sibi, sed domicilium aeternum collocavit.

Caritas orientalis ex naturali instinctu et timore domini; Graeca ad sensuum oblectationem et libidinem composita; Romana nulla. Intellectus enim dominans caritatem repudiavit. Homo aetatis mediae per *equestrem* et nullis rationibus temperatam virtutem suam, cuncta complexam, caritatem nostri temporis praeparavit; eam nimirum, quae *sciens* totalitatem generis totius fovet, in singulos simul aequali benivolentia extenditur et in intelligenti aestimatione dignitatis hominum nititur; cujus auctor divinus mortalium Redemtor fuit. Omnino caritas nihil est, nisi sit universalis, et haec ejus hodie natura est; cum apud Graecos, qui tamen pulcri sensu ad eam deduci facilius potuissent, atque Romanos, ipse adeo patriae amor necessario omnes gentes excludebat, atque in Aristocratia, seu alia quadam forma inhaerens, ne cives quidem omnes, nedum incolas, comprehendere potuit.

IV.

Hanc temporum hominumque divisionem, ex sanctioribus historiae principiis petitam, ignoravere veteres. Et orienti quidem contingere ea non potuit, quia ipse *indistinctum totum* fuit. Quod non est per partes suas distinctum, id nec intelligere, nec intelligi potest: uti fere infans exsistentiam suam aeque ignorat ac incrementum. Neque magis orientales res suas dispescere possunt *juxta gentes et populos historicos*, eos scilicet, qui diversis aetatibus alios imperio rexissent; quia gentes ipsae sunt sive subactae, sive subactrices: illae ab his non distinguuntur, sed, absorptae, ad earum substantiam pertinent; igitur diversae non amplius esse queunt.

Est tamen distinctionis genus, cum universis gentibus naturalibus proprium, tum inprimis in oriente maxime usitatum, per *Dynastas* nimirum: genus quoddam Chronologiae, ex aetatibus hominum, nativitate illustrium, patriarcharum igitur et capitum gentium majorum repetitum, quod nobis adpellatur *Genealogicum*. Huic addi solent notitiae de rebus gestis et judicia de imperantium ingeniis, ex quibus illi aetatum splendorem metiuntur; non ut *auream* aliquam aut *argenteam* aetatem sibi effingant (hoc enim absque ratiocinio fieri non potest: malorum etiam regum, licet laudent summopere bonorum res, tempora oblivioni relinquunt et incerta dicunt): sed, cum imperans suo quisque jure, quae velit, impune facere potest; eum, ut summum totius gentis patrem, memoriae causa notent. Sic *Pater* ille Cyrus et *Dominus* Cambyses et *Institor* Darius, aequa lance ponderati, se in subditorum, i. e. familiae, opinione aequiparabant; ut tamen, quo magis quisque eorum voluntatis suae omnipotentiam manifestaret, eo ipse potior haberetur (Cfr. Herodot. III. 89). Hac ratione res Asiae putandae sunt, et vehementer fallitur, si quis (ut exemplo utamur) Magorum conspirationem cum Europaeae quadam civitatis conversione comparare, seu Magophoniam ad rationes Tribunalis tumultuum Parisini seu Belgici, Albano Duce auctore, metiri velit.

Neque magis Graeci ejusmodi historiae divisionem noverant; sed res suas sive ad spatii normam (Geographice), sive ratione temporis (Chronologice) per *annos*, e. g. per *aestates* et *hyemes*, distribuerunt: quae divisio plane materialis et externa fuit. Interior autem et sanctior historiae indoles in triplici antithesi conspicitur, inque elementis civitati suae oppositis. Prima antithesis sistit *Graecos* et *Barbaros* (i. e. Occidentales et

Orientales; qui sunt *Persae*, quos vocavere *Medos*) quasi *Singulum* cum *Universo*, pugnantes. Altera, quae est synchronistica, pugnas *Aristocratiarum* ob oculos ponit, quasi *individualitatum*, a potestate *toti* liberatarum, e. g. *Pelasgorum* et *Hellenum*, *Jonum* et *Dorum* (quae epocha inprimis praegnans est in Graecorum historia, atque in victoria Heraclidarum *suprematum* Doricarum gentium exprimit: in quo futurorum bellorum causa est conspicua, quae exprimitur contentione de Graeciae principatu) inter *Spartanos* et *Athenienses*. Quum vero ex his pugnis naturalibus gentium individualitas *nasceretur* quidem, verum nondum *perficeretur*; accedebat antithesis tertia, *Optimatium* (Eupatridarum, Ἀρίστων) et *Plebis* i. e. *subjectorum*, per varios, naturales tamen, gradus, quibus simul *dignitatis* habebatur ratio: e. g. inter SPARTANOS, LACEDAEMONIOS (quibus, Περιοίκοις, *tributariis*, post *primum* bellum, MESSENII accensendi sunt) et *Helotas* (*Servos publicos*; ad quos *Messenii*, post secundum bellum, pertinuerunt). Ille gradus honoris, individualitati tributi, apud Spartanos eo etiam elucet, ut ex περιοίκοις fieri Νεοδαμώδεις possent [quae nostra sententia illorum opinioni adstipulatur, qui Νεοδαμώδεις non ex *Helotis*, sed ex περιοίκοις sumtos fuisse asserunt; locus etiam *Thucydidis* (L. V. c. 34) quem hi ad confirmandam suam opinionem laudare solent, nostram magis etiam corroborare videtur]. Juvat hoc loco, nostrae sententiae causa, meminisse, quantum discrimen inter *Dores* sit atque *Jones*. Illi enim, (Spartani) jam magis individui facti, inter ipsos *cives* non distinguebant; sed perfectam habuere Aristocratiam, subjectis gentibus *elevatam*: alteri vero (Athenienses), more plane orientali (fuere enim *indigenae*; Spartani *reduces*) distinxerunt populi Castas juxta Εὐπατρίδας (Nobiles, Optimates), Γεώργους (Agricolas) et Δημιουργούς (Opifices). Ex qua re sequebatur necessario, ut *Lycurgi* legibus *Aristocratia* Spartanorum *confirmata*, diuturna esset; *Solonis* legislatione, quae aliena elementa orientis confundebat, *debilitatam* fuisse Atheniensium *Rempublicam*, iteratis vicibus a tyrannis, optimatibus et demagogis agitatam. Pariter exinde Atheniensium levitas, artium amantissima, et Spartanorum inculta severitas; praesertim vero indolis similitudo, quam cum Romanis habuerunt, explicari potest. Ultimo loco *Servitutis* ratio tenenda est. Apud Athenienses servitudo plane orientalis et jam Castis illis est expressa; igitur naturalis et familiaris quaedam et lenis adeo, ut de servis Atheniensium dubia sint omnia. Spartani vero, qui adcuratius distinxerunt, *publicos* praecipue servos habuere *Helotas*.

Apud Romanos, Floro auctore (quem in rebus Romanis Graecisque ex-

ponendis recentiores quidam auctores perperam imitati sunt) jam illud legitur: Omnis populus *Infantiam*, *Adolescentiam*, *Virile robur* et *Senectutem* agit. Jam enim Romanus gentes viderat et populos, ex *alia origine profectos*, satisque multos, suisque ipsius armis interemtos; unde fieri potuit, ut *Singulorum* Populorum *Epochas* distingueret; neque vero *Periodos* Generis *Humani*, secundum principium historicum provectioremque cultum, cujus ipse intellexit nihil, aestimatas. Non enim illo eos studio totalitatis et amoris complexus est totos; sed enumeravit eos frigido quodam computo, velut sub pedo et jugo transeuntes: atque reliquas nationes, ac si ad genus hominum non pertinuissent, cum superbia despexit. Quod cum ita sit, idea vere historica provectiori aetati Rationis, quae alias simul aetates, in se receptas, rite aestimat, vindicanda est; qua nempe populi et homines ideali illâ harmoniâ invicem sunt conjuncti. Veteres enim illi, *Infantes*, *Adolescentes* atque *Viri* historiae, nondum integram cognoverant vitam humanam; quoniam ultimâ carebant aetate, *Senectutis* ex sensu eorum, Sapientiae *omnia conjungentis*. Attamen in hac quoque re naturam admiremur oportet, quae hunc sensum, tametsi obscurum, jam illis aetatibus ingeneravit. Sic enim vel infantes videmus ardenter desiderare, ut corporis magnitudine patrem aequiparent, et quasi ex innatis sibi viribus praesagire, se aliquando ipsi futuros esse similes; quale tamen sit id, quod sibi exoptant, nesciunt. Eodem modo Romani, qui reapse virile robur generis humani sistunt, juxta populos tantum judicavere, quos noverant; et ex analogia hominis singuli, quae cognoscere non potuerunt, velut allegorice, reliqua sibi effinxerunt. Quam etiam fallax sit haec comparatio, quam claudicans illa similitudo, quae magis ex habitu *corporis*, quam mentis viribus, repetita est; quam denique periculosum sit ratiocinium, ex ejusmodi singuli hominis, ad genus universum adhibitis, praemissis petitum, nemo non videt. Possunt igitur aetates historicae ex hominum aetatibus *illustrari*, neque vero effici. Quapropter nos ex *Philosophia Spiritus universi*, jussu ipsius *Historiae Mundanae*, et genus hominum et historiam, in qua illius vita expressa est, *duce cultu animi universo*, dividebamus per quatuor Aetates: Materiae praevalentis; Spiritus in realem partem versi; Spiritus versus partem idealem, tanquam Intellectus, evoluti; denique Unitatis Materiae et Spiritus, velut totalitatis primae recuperatae et Ideae Rationis subjectae: (cujus rei auctor et dux, philosophorum princeps, habendus est G. W. F. Hegelius ille, in opere sapientissime perscripto: Grundlinien der Philosophie des Rechts. Berl. 1821. 8. § 352 — 360. Cfr. cum eo, qui anti-

quarum civitatum rationes sapienter exposuit, P. FEDDERSEN STUHR: Die Staaten des Alterthums u. die christliche Zeit in ihrem Gegensatze. Heidelb. 1811. 8).

V.

In oriente Spiritus universalis in infimo cultus gradu deprehenditur: in materia, velut in vagina sua dormiens, praevalente Reali potestate, *totum*, non singulum, ostendit. Solus *pater familiâs*, tanquam protypus familiae totius, cernitur, ex ejusque substantia cultûs initia sensim paullatimque in lucem enascuntur. Et primum quidem gradum *voluntas* ejus sistit, quâ se totius familiae *Dominum* constituit. Quum is etiam solus cum Deo conversetur, eumque audiat loquentem ita, ut jussus divinos aperiat familiae; hanc inter et numen intermedius, ipse sistit gradum cultûs secundum et adparet tanquam *Sacerdos* familiae. Quum igitur jussus ejus *pro legibus* sint, quae, divinae habitae, *religiose* observantur: quum ordo domesticus, ab ipso institutus, simul sit *lex summa* totius gentis; oritur illa religio, quae in *mores* convertitur; exsistunt leges domesticae, quae in *consuetudines* abeunt, simulque cum moralibus praeceptis, *leges imperii* evadunt; qui est gradus tertius, elatior, cultus humani. Verum nemo non videt, *Libertatem* singulorum emergere non posse prae *magnitudine* et *praegnantia Toti;* quod est ornamentum numinis et patriarchae, in cujus muta admiratione singuli meditando auferuntur et quasi intereunt; ut haec ipsa admiratio, hic stupor, quo *incomprehensibile* illud intuentur, non solum sit anima et principium agendi, sed ipsamet eorum actio et vita. Haec manifestatio, seu hoc potius vitae signum, continetur et expressum est *pia quadam Poësi*, hieroglyphis et metaphoris (sic ars hodierna naturales veterum expressiones vocat) consistente: adhuc enim homo cum reliqua natura idem, cum ea quasi in uno caule floret, h. e. mundus *Rerum* a mundo *Spiritus* nondum est sejunctus.

Poësis haec necessario est *Lyrica*, plane *subjectiva*, in *objectivitate* tamen numinis involuta: est sensus quidam innatus atque involuntarius, extrinsecus naturae magnitudine, interius impulsu fidei, sui insciae, expressus. Qua re illa toto coelo differt ab *Epica poësi*, quae in infinita materia sua libere versans, superque ea, ut spiritus super aquis, vecta, eam dominatur et fecundat, plane *objectiva*. Est enim Epos proprium primae adolescentiae, quo tempore ea praetextam deponit. Adolescenti autem valido, quo tempore prima fere stipendia meruit, *Drama* convenit, poësis *sub-objectiva* (sit venia verbis). Nunc ubi idem in virilem magis aetatem procedit, *Phi-*

losophiam amplectitur, idealem quidem illam, sed magis *subjectivam*, plasticis et elegantioribus formis expressam. Philosophia enim *objectiva* virum sibi integrum et morosiorem postulat. Quodsi hic, ut aetate, ita sapientia proficit; omne ejus studium explet *Historia*, quae ipsa se sibi subjectam habet. Historia denique Mundana, quae, commune *tribunal* omnium, *in jus vocat universos*, fieri tum demum potest, cum materia a spiritu perfusa, tota simul cum eo fuerit conflata; voluntas vero *absoluta*, i. e. *libertas* facta necessaria, et *necessitas* libera, ad conscientiam sui et rerum externarum pervenerit.

Historiam igitur in oriente nemo quaerat; quippe ubi nec voluntas est, nec persona singula; ubi nec idea, nec quaedam rerum notio, sed muta exsistentia pro agili deprehenditur vita. Ubi nec ἀγορά, nec forum est, ibi per totum diem rostra silent.

Ille vero stupor omnipotentiae Numinis et Patriarchae, praesente hoc seu illo, se manifestat *adoratione* : quae adparet caeremoniis, non significatione praegnantibus; sed frequentiâ animum obruentibus. Atque haec res indoli orientalium perpetuum et ipsi plane privum impressit typum, quo ab aliis omnibus gentibus distinguitur. [Praegnans illud est Corn. Nepotis (in *Conone*, c. 3) « *venerari* regem Persarum » : habuit enim non rex tantum, sed patriarcha etiam, *divinum* aliquid, quod εἰκόνα θεοῦ Plutarchus nominat; unde illud προσκυνεῖν, adorare prostrato humi corpore, non Persicum tantum, sed omnino orientale est]. Hunc enim talem patriarcham, hunc tantum dominum, omnipotentiae signis quoque exterioribus et divinitatis majestate ornatum, nemo homo, licet audacissimâ phantasiâ praeditus, meditando consequi potest. Accedunt ad eum propius, licet hi quoque longissime ab illo distent, qui sanguinis cognatione ei maxime sunt adfines; atque sic a summo deinceps ad infimum descendendum est per definitos et innumeros gradus. Omnes per certas *clausasque Castas* discedunt, in quibus perpetuo permanent. [Hoc idem fere in natura deprehendimus, in qua regnum minerale, vegetabile et animale inter se maxime differunt, et quodvis genus denuo per certas classes et species distinguitur. Exemplo esse possunt *Castae Indorum* quatuor : I. *Brahmanorum* s. Sacerdotum; II. *Chatriya* s. Bellatorum; III. *Vaisya* s. Agricolarum cet. (qui tres Ordines *Regenerati* adpellabantur) : IV casta, *Semel natorum* , *Sudra* s. Servorum, denuo per classes et species LXXXIV, *impuras*, dilabebatur].

Ubi tota vita singulorum nihil est; sed concreta tantum in absoluta vo-

luntate unius aliquid esse potest : ea extra se quasi exit, naturali fastu intumescens alios despicit, et ipsa, impulsu voluntatis unius et omnipotentis animata, tumultuans et prosternens omnia, destructrix evadit. Nam Patriarcha ille et Numen ejus (in vero enim oriente non plura sunt numina) nec Patriarcham nec Deum alium juxta se tolerant (exemplo sit legislatio Mosis). Si qui igitur duo se tangunt, bellum est : quod summo furore geritur, et componi non potest, nisi exstirpato, non populo (populi enim nulli sunt), sed *domino :* sic enim natura jubet, quae est *Totum, nondum evolutum;* igitur *ab omni individualitate abhorrens.* Hic oriens *est*, ejusmodi *fuit* et non alius *est futurus* (invitis etiam nuperis institutionibus Europaeâ — Asiaticis, a Turca factis). Gentes oriuntur et occidunt; ordo rerum *diuturnus* est, quia totus in natura inest, totus ex natura enascitur. Haec autem simul est *Infantia* generis humani, non minus diuturna, ne dicam, sempiterna; quia ipsa est *Totalitas* NEGATIVA, praevalenti materiae subjecta, spiritûs in materia involutio.

Ut autem hanc indistinctam totalitatem, in qua necessario inest rerum universitas; igitur elementa quoque quatuor Periodorum historicarum involucria esse debent, quodammodo collustremus; eligamus ex variis ejus characteribus eos, qui, quin longiores simus, ad ejus intelligentiam ducere posse videantur.

Artis igitur *erectioris sensus* et *illud Gloriae et immortalitatis studium*, *Philosophia* quoque *rerum superterrenarum*, quam quidem postea *excoluerunt* Graeci; originem suam habuit in *ingenti templo subterraneo Indiae* meridionalis; in *monumento Persepolitano;* in *Obeliscis* et *Pyramidibus* Aegyptiorum; eorumque et Aethiopum *Templis* ac *templorum parietibus*, hieroglyphis plenis; in monumentis etiam *vetustissimis Etruscorum* et *operibus Cyclopicis* expressam.

Non secus in *Traditionibus* de origine Deorum generisque hominum a Diis repetita; in *Placitis Sapientum* de necessitate abstinentiae et sancta quadam carnis castigatione, ad puriorem vitam duce; denique in *Zoroastri praeceptis* de corporis animique munditie, lautione iteratâ efficiendâ; de ordine et concentu corporum coelestium; de Solis aliorumque geniorum beneficentia, hominibus in exemplum proposita. Omnino probe tenendum : illam corporis castigationem, abstinentiam ab esu carnium, poenitentias et piacula voluntaria, piamque flagellationem, ad *Orientem* pertinere; in *Graecis* atque *Romanis*, praeter Asceticos aliquot Ordines, *peregrinis sacris* deditos,

non inveniri. Porro *studium individualitatis,* ab rerum indistincta universitate se liberandi, Graecorum Aristocratiis expletum; in civibus Romanis acrius expressum atque Germanica aetate *singulorum libertate* perfectum, sese primum manifestavit in bellis Persarum cum Scythis ex religione gestis; in odio inexorabili Iraniorum et Turaniorum, Aegyptiorum et Arabum (nomadum), postea furore bellorum Muhammedis religiosorum continuatum. Praesertim illud studium se commonstravit praegnantius inter *Orientem* et *Occidentem* atque culmen suum nanciscebatur bellis *Graecorum* cum *Persis* gestorum; donec motibus (emigrationes male vocant) gentium Germanicarum, circa finem aetatis antiquae, quam illae terminaverunt, ultimam antithesin inter *Septentrionem* et *Meridiem* sistebat novumque rerum ordinem praeparabat.

In qua re, priusquam ulterius pergamus, aliquantisper immoremur. *Oriens* et *Occidens* omni tempore se Religionis antithesi disjunxerunt. Illîc *Magismus* sive *Sabaeismus*, cultus ignis; hic *Fetischismus* seu *Idololatria* cernebatur: ex qua diversitate gentium inimicitiae et bella cruenta originem suam plerumque duxerunt. Exemplo sit Cambyses, qui cultum *Deorum* et *Animantium* Aegyptiorum horrens, Apim, *mortale numen*, necavit (Herod. III. 37 coll. 38). Idem *Monotheismus* adversus *Polytheismum* furit in Xerxe, qui εἴδωλον Templo Baalis Babylone aufert, Templaque Deorumque Imagines Graecorum devastat (Herod. I. 183. V. 102. VII. 43. 191, coll. VIII. 109): qui furor compensatur vindictâ Graecorum contra Persas conspicuâ, tempore Alexandri M. qui, Persepoli destructâ, Baalis Templum recondit (Diod. XVII. 72. Arrian. III. 16. VII. 16). Hac causa Abrahami fuga ex Ur Chaldaeae in Chanaanum et persecutiones Aegyptiorum in Israëlitas; eorumdem servitutes iteratae, praesertim Babylonica; et Cyri voluntas erga Judaeos, et eorumdem persecutiones per Seleucidas, facile explicantur (cfr. I Maccab. I. 43 coll. Tac. V. 9): denique Romanorum in Judaeos et Christianos. Postea hanc antithesin tuebantur *Iconoduli* et *Iconoclastae;* non secus fideles *Islami cultores* (*monothei*, absque imaginibus) adversus *Christianos* (tum temporis *Trinitarios*, cum imaginibus). Quae cum ita sint, facile est ad intelligendum; quo pacto *Religio patria* omnibus gentibus tam cara esset ac inviolata, cum Indis et Persis Aegyptiisve, tum Graecis atque Romanis. Hinc *Pietas* illa et *Reverentia* pro vera religione usurpata, matre amoris patriae; opposita *Superstitioni* et *Timori* deorum: haec enim orientis, illa occidentis fuit: Ἐυσέβεια Graecorum *Pietati*, Δεισιδαιμονία *Superstitioni* Romanorum respondebat. Qua re probe intellectâ cuivis probabitur *principium* illud *historicum*:

Interitum Religionis patriae, ruinae pariter Civitatis causam fuisse. Sic *civitates* Graecae et *religio earum plastica* in scholis philosophorum liquefactae sunt atque non multo post, Alexandro M. obito (qui vel ipse genus humanum Asiaticum et Europaeum conglutinare voluit) religio orientis cum cultu occidentis confluebat. Interea Romani quoque *Religionem Civilem* suam per systemata philosopha, adhibitis religionibus Asiatico-Graecis, ita diluebant; ut Christianae Legi via pateret ad instituendam religionem universalem, quae proxime individualitati Civitatis Romanae ruinam parabat. Cum Christi quoque religio Caeremoniis futilibus, piaculis, sacrificiis et peccatorum venalibus remissionibus inquinata, i. e. ex universali *orientalis* facta esset, atque, Iconolatriâ admistâ, *occidentalis-pagana; homo* vero haberi pro *deo* vellet : tum exstitit Reformatio ecclesiae, tanquam antithesis illius, atque denuo fiebat, ut religio pugnas excitaret inter homines. Est tamen hoc memoria dignum atque cum ingenio temporis maxime congruum, quod, loco Orientis et Occidentis, nunc se sibi opponeret *Septentrio* et *Meridies :* quorum ille *Protestantismum*, hic magis *Catholicismum* amplexabatur atque ad hunc usque diem tuebatur.

Pariter *Linguae primaevae similitudo, Dei unitas, templorum horror* (quae res omnes per dialectos varias, numinum pluralitatem et templorum, Graecorum ac Romanorum studiis *divisae*, intelligentiae causa disjungebantur) jam in Oriente, in Indis, Persis et Hebraeis, Germanica tempora recuperandae totalitatis praedestinaverunt. Accedit innocentia illa et modestia, verecundia et nobile veritatis studium ; inprimis autem laudatissima illa aequitas [*justitiam idealem* dixerim : Persae enim propter unam simplicem culpam neminem morte plectunt — sed subductis rationibus, postquam (rex) plura et majora esse delicta reperit, quam praestita officia ; sic demum irae indulget, ait HEROD. I. 137.]; denique, qua re nobilius esse nihil potest, cogitatio justae consolationis plena : « malum malique poenam non sempiternam fore; sed Ahrimanum, mali principium, cum Ormuzdo, principio boni, sicuti sint ipsi unius patris, omnipotentis, filii, in antiquam aliquando rediturum esse gratiam ; ordinem perturbatum postea restitutum et universum genus humanum ad meliorem frugem perductum iri ». Qua cogitatione libertas in necessitate, consilium inesse in fato, hominem autem ad perfectionem destinatum esse *sentiebant.* Haec omnia, sicut ad Iranios pertinent, partim quoque occurrunt in metempsychosi Indorum inque philosophematis aliquot Graecorum : haec dico, conjuncta cum *Honoris* sanctiori studio atque virtute bellicâ, integritate fidei et puritate morum — in

Germanica aetate non sentiuntur atque ex *oraculis* et *auguriis* repetuntur; sed cum certitudine et conscientia percoluntur, perficiuntur et in unitate ideae et totalitate sua adparent. Cujus rei causa princeps denuo fuit religio, ut videbimus inferius.

Quum autem fieri nequeat, ut genus humanum ad illam unitatem spiritus et materiae, *sui consciam*, *redeat;* quin eadem illa unitas, illa involutio, *sui inscia,* primum se versus realem et idealem partem *evolverit:* haec autem evolutio per multos tantum gradus cultûs provectioris, locis temporibusque obnoxii, attineri possit: consequens est, Orientales, quia *semper* sub *potestate materiae* permanebunt, semper permansuros esse Infantes *generis nostri*. Quae eadem causa est, cur *historia* quoque orientis omni tempore fuerit et futura sit *eadem*. Non minus inde sequitur: eam historiae partem, simul cum illa gente, *diuturnam* fore; *diuturnam* non minus historiam aevi recentioris cum gentibus Germanicis, earumque ingenio; quia haec quoque *totalitate* et *involutione spiritus et materiae, recuperatâ* nimirum, innititur; in omni autem Universo inest stabilitas.

Altera ex parte, easdem ob causas, mirum non est, quo pacto Graecorum Romanorumque res et gentium illius aetatis reliquarum, cum earum historia et ingenio historico, interitu irreparabili evanuerint; quoniam in individualitate, ad recuperandam universalitatem licet necessariâ, diuturnum, firmum et stabile nihil esse potest.

Haec ita se habuisse, universis notum est. Undenam vero illa rerum orientalium constantia, ne dicamus, inertia immutabilis et quasi chondrosis; unde Graecarum pariter Romanarumque caducitas sit repetenda; non ita plane constat. Quapropter animum advertere placet in momentum unicum gravissimumque, cui adhuc nondum illam potestatem videmus tributam, quam id meretur. Est autem hujus quoque rei causa eadem Religio. Castam *sacerdotalem* orienti (et Aegypto et Aethiopiae) esse cognatam et necessariam, e *divino Naturae cultu* sequitur, qui *Magismum,* igitur *castam* quoque *Magorum* parit. Atqui ubi eam deprehendimus, ibi *scriptas* pariter *leges divinas* habemus; quam rem sacri libri Indorum, Medorum, Persarum, Chaldaeorum, Aegyptiorum et Hebraeorum satis superque testantur. Ubi scriptae leges sunt, ibi omnia evadunt *dogmatica, dictatoria* et (ubi sacerdotes sunt, scriptorum custodes) *hierarchica*. Cum qua re *intolerantia* simul vehementissima necessario est conjuncta: cujus rei testes sunt quaevis historiae illorum populorum paginae. Quibus addi ipsi adeo Romani (ab initio,

et praesertim Numae tempore) possunt, quorum vero *Casta sacerdotalis*, hereditas ipsis ab Etruscis relicta Lucumonibus, postea transiit in *Ordinem Patriciorum;* quin tamen hic, cum *idololatria* praevaleret, *doctrinae arcanae* illius et *majoribus magistratuum auspiciis* valediceret. Ubi igitur casta hierarchica et scripta lex divina abest, apud eas gentes ὁ Λόγος, Graecis, *Arte* exprimitur (religio artificum evadit); Romanis vero (Patriciis), *more majorum* observatur. Sic idolorum cultu apud Romanos introducto, *Bacchanalia* interdicebantur et, lege XII Tabularum, poena capitalis statuebatur in eum, qui *malum carmen* (Magicum) *incantassit* : quam rem lex Cornelia *De Veneficis* et leges Imperatorum, in *Magos* et *Astrologos* latae, confirmaverunt (vid. PLIN. XXX. 1). Pariter *tolerantia* opinionum, quamdiu *civitatem* non adit, in his gentibus quasi domestica est. Nullus enim unquam populus Romano tolerantior inveniebatur; atque Paulus Apostolus Romae, apud *Metuentes*, religionis Christianae fautores plures et eos quidem meliores invenit, quam apud Hebraeos. Eodem modo se habet inter hos populos *libertas* et vitae *modestia* et aliorum ac inferiorum *existimatio*. Sacerdotes orientales, fastu inflati, libertatem nemini concedunt; concedunt tamen *civibus* Graeci atque Romani : optimam et plane aequam omnibus *hominibus* Christiana religio. Nam *scripsit* nec Socrates, nec Christus; unde per illum Philosophia, per hunc religio facta est *humanitatis* et *caritatis*. Evangelistae quoque et Apostoli dogmaticam scripsere nullam; sed *historiam* et *memorias*. Quum vero Socratis discipuli *scribere*, et Constantinus Caesar et Monachi ejus, quid *orthodoxum* esset, quid non esset, *definire* coeperunt; illîc *systemata* sibi opposita, hîc *Dogmata* hierarchica et dictatoria exstiterunt. Eadem denique erat Scientiae conditio : Oriens et Etrusci *scientiam* habuere *divinarum rerum;* Socrates ex divina fecit scientiam *humanarum rerum*. Et haec quidem de illis rebus hactenus.

Quibus expositis verbum sufficit ad imperii orientalium formam explicandam. Illa igitur forma non *facta* quaedam et *ab hominibus excogitata* esse potest; sed *nata* cum ipso homine. Deinde alia ibi forma esse nequit, nisi *patriarchalis :* quae vero vetustissimo tempore, ante gentium familiarumque confusionem, duplici constabat elemento : *Dominatione domestica* (Οἰκοδεσποτεία) et *Sacerdotio* (Ἱεραρχία). *Gentibus* deinceps ex singulis familiis, natura duce, coortis, exstitit THEOCRATIA, quae forma, omnium prima, Principem Patriarcham, summo simul Sacerdotio praeditum, quasi *Dei nomine* imperantem, ostendit inque singulis patribus familiâs *Sacerdotes* familiarum et tribuum, qui soli in imperio censebantur, creavit. Quum vero

postea gentes barbarae et nomades et bellicosae, ex septentrionibus incultis in Asiam mediam cultiorem, irruerent (tempore Medorum Scythae et praesertim Persae, duce Cyro, audiuntur); factum est, jure non minus naturali, fortioris nimirum, ut omnis potentatus transiret ad illarum catervarum principem, qui sacerdotes aeque ac alios cum universa terra subegerat; ut pro Theocratia oriretur DESPOTISMUS: quae forma orienti plane propria est. Quemadmodum antea, Theocratico tempore, universa Gens *inerat* in *summo Sacerdote*, ut familia inest in Patre-familiâs; ita nunc gens illa una, peregrinis elementis aucta, *discessit* primum *per varios hominum ordines* ita, ut generis humani individualitas in gradu secundo adpareret. Caput occupatorum *Despota* erat, summus omnium *Dominus*, Rex Magnus: hic vero, ut erat ipse incultus, sic quoque ignoravit, *quae* sacra et *quo modo* fieri deberent *Diis terrae subactae*, rudi victori colendis. Igitur *Sacerdotibus* indigenis carere ille nequibat; sed iis *secundum* in imperio gradum concessit. Jure suo *tertium* occupavere *Bellatores*, qui terram subegerant; *quartum*, *quintum*, *sextum*, pro natura soli, tenuere ii, qui quondam sacerdotum *familia* fuere: *agricolae*, *opifices*, *institores*, *pastores*, *navigatores*, alii. Exinde *Terra* UNA et UNUM terrae *Caput*; regiones *plures* et *Satrapes* totidem. Voluntas *illimitata* in PRINCIPE; verum hujus voluntatis *rivuli* et *fontes redundavere* in SATRAPES. His quoque, in sua cuivis terra, *potestas* fuit non minor, ac in Magno Rege, sed non ex illorum voluntate et libertate petenda; verum eapropter absoluta, quoniam ex summa omnium voluntate *emanaverat*. Et haec quidem de oriente satis!

VI.

Hac aetate *Adolescentiae* et generis humani evolutionis versus partem realem; in hoc, inquam, *Graeco historiae Imperio*, aetas Infantiae in *traditionem* abierat; quam in modum materiae, objective, contrectavit adolescens homo in *Carmine Epico*. Cogitemus eum, excitum e somno infantis, exsurgentem quasi e sepulcrali nocte clausi Universi, ut *singulus* evadit et proxime circum se materiam adspicit, quam per certas formas dispescens, ex ideali concentu, ad venustatis simplicitatisque sensum effingit et exhilarat. Neque tamen adhuc plane abjecit orientis naturam, cujus elementum continuo in eo inhaeret, adparens et per totam vitae formam conspicuum in *oraculis*, obscuris illis et occultis; quae Asia quoque coluit et Africa venerabatur, reverebatur. Sic enim oracula ipsum invisibili vinculo *interno* et *vi quadam divina* ad gentium patriam adstrictum tenuerunt; uti necessitudo,

necessitas, oppositio ipsamet et morum similitudo nonnunquam nodi tenacissimi *externi* fiebant sejunctarum tribuum. Jam vero ipsa oracula, tum *multitudine* sua, tum vero etiam, quia *consilio* tantum, non *imperio* pollebant, individualitati favebant. Licet namque summa quaevis et universis communia eorum auctoritate fierent : tamen, cum in rebus summis haec consulentis tantum esset auctoritas, inque privatis singularum civitatum negotiis rem curarent *Magistratus civiles*; sanctitas oraculorum coepit imminui. Accedebat deinceps, ut oracula *diversa* de eadem re *diversimode* responderent, et aemula sibi inviderent invicem; denique interpretes eorum et antistites potestatem sibi et potentiam quandam usurpare conarentur : unde de illorum aeque ac deorum ipsorummet auctoritate et fiducia erat conclamatum; summae vero res humanae traditae sunt humanis judicibus. Sed hi judices fuere *homines*, non *divi*, atque eapropter ab aequalibus suis eo magis observabantur, et cives eo vehementius diffidebant magistratibus; quo magis divina oracula eorumque sacerdotes sive erraverant, sive interrogantes consulto fefellerant. Unde mirum esse jam nunc nequit, quo pacto *singuli* et *civitates* sibi essent oppositi; quam rem quaevis historiae veteris pagella testatur.

Ex iis, quae adhuc a nobis prolata sunt, quisque intelligit, veterem illum patriarcham regnare desiisse. Jam singuli patres familias sui suarumque rerum sensum nacti sunt : materia, in occidente multo asperior, a novis incolis subigenda, partim gentes continuit; partim eas ipsa sustentandae vitae necessitas geographice disjunxit. Terra enim, montium jugis aquarumque fluctibus et silvarum densitate varie divisa et longis naturae pugnis fracta, gentes majores per plures popellos dispersit. In Oriente GENS *una* est; sed haec per *Castas* disjuncta (sic PERSAE et : *Pasargadae*, *Maraphii*, *Maspii*); apud Graecos STIRPES *diversae*, ut Λύκιοι, Ἀχαιοί, Δαναοί, Κέκροπες, Ἴωνες, Ἕλληνες, Δωριεῖς, Αἰολεῖς cet. inveniuntur : quae non *Castis*, sed *Ordinibus* distinguebantur, habita nimirum ratione vetustatis et adventûs et prioris possessionis, sive victoriae, de reliquis reportatae, nomina juraque sortitis : ut εὐπατρίδαι, γεωμόροι, δημιουργοί. In foederibus initis (res Asiae incognita) facile distinguuntur, *Stemmata* majora : sic enim audimus *Panhellenes*, *Panachaeos*; postea *Dores* et *Jones*. Jonismus multo serius nomen unum babuit HELLENUM. Immigratio maturior seu posterior cum *scissionis*, tùm *principatûs* causa evasit : sic Arcades unice propter προσελληνισμόν suum gloriabantur. Religio tamen, hoc elementum orientale superstes, inprimis ab initio, uno omnes vinculo conjunxit, i. e. *Gentem* in *partibus* suis reprae-

sentavit. Unde Anthela et Delphi *omnes* Hellenes continuerunt; Olympia solos *Peloponnesios*. Protritum autem illud est : Oraculum Delphicum *Hellenes* constituisse ex *Doribus* ET *Jonibus*. Hoc igitur modo ex Gente primaeva *nationes, in* nationibus *singuli* prodierunt iidemque *liberi* : quorum vero libertas, adhuc unitati populari subdita, illius terminis circumscripta mansit; ut citra eam et extra ejus orbem esse non posset : quod in Romanis pariter ac in Graecis probe tenendum.

Haec unitas individua admirandum illum sensum popularem nobilemque patriae amorem progeneravit, qui eo est excelsior et purior, *quo arctioribus finibus circumsepta ipsa sit patria*. Nulla igitur tum opportunitas fuit studio illi universorum et Universi, quod vocamus *cosmopoliticum*, cujus ipsâmet exsistentiâ absorbetur popularitas; quod unice convenit in recuperatam et e spiritu quasi regeneratam totalitatem nostri temporis. Quod reliquis vitae institutis acciderat, idem cadebat in religionem. Vetustus ille Deus a se discessit, sibique dissimillimus factus, secundum variarum nationum ingenia ipse formas varias assumsit et attributa, variamque indolem, virtutes et, dici licet, vitia. Quid multa? Ex Deo oriebantur Dii; hi pro diversitate ingenii eorum, qui eos coluerunt et — creaverunt (ab Homero et Hesiodo deos efformatos fuisse Graecorum, recte dicit Herod. II. 53), dignitate, ordine, potestate et negotiis a se diversi. His talibus diis rerum cura demandabatur, quin homines ipsi omni se potestate plane distituerent; quin iis penitus confiderent, seu eorum se arbitrio subigerent : eorum, dico, quos ipsosmet *fato implacabili* subjecerant. Verbo, dei Graecorum facti sunt *Graeci*, interius exterius, corpore et mente; ut tamen, quod in Graeco cogitari seu effingi posset excellentissimum et elatissimum, illud omne diis, ex idea hominum, non ex rerum natura, tribueretur.

Tota Graecorum vita *Arte* continebatur, h. e. elegante rudis materiae efformatione. Ex Arte ipsa scientia omnis, religio, legislatio, quae est erectior quaedam atque elatior communis consuetudinis expressio, repetenda est: ex ea Graecos ipsos eorumque ingenium metiamur oportet. Sunt enim illi Orientis filii, matutino tempore, post gratum solis ortum, in occidentem emissi; in terram, quae ipsamet quasi matutino sole exhilarata, inter Asiam et Europam media, clementissimo coelo beatur. Quidquid illi habuere, id ex oriente venerat ad eos; a quibus suo plane simplicis et pulcri sensu, et modo ipsis privo effiguratum et excultum est. Graeci in Graeco tantum solo, et ex orientali solo transvecti, *homines* fieri potuerunt. *Germinaverat*

quidem in Asia et Aegypto quaevis doctrinae pars; verum tenera planta e terra inculta Asiae in Graecas regiones *transplantari* debuit, in quo tantopere excitaretur et emendaretur, ut nemo, unde fuerit orta, dicere posset. Sic Graeci quidem : contra Aethiopes et Aegyptii, ubi Graecorum mores sunt imitati, repente interierunt (HEEREN *Ideen :* Aethiop. Aegyptier, Griechen) (16).

Fallitur, si quis credit, terram ab initio cultam, coelumque tam placidum fuisse et varia stemmata dulci pace juxta se consedisse. Quodsi fuisset, certum est, Graecos exstitisse nunquam. Potius continuae stemmatum pugnae, pugnae etiam cum naturae asperitate et cum feris silvarum subeundae, singulos arctius univerunt; leges deinceps, ex his vitae aerumnis enatae, conjunctos firmius ligaverunt. Sic vita oriri potuit, mobilis illa et alacris; sic vitae gratissima consuetudo eorum, quos ipsa natura conjunxerat; sic vitae actiones, confirmatis rebus internis, ad pulcerrimae illius et aequabilis *convenientiae* modos adcommodatae; sic denique res publica, artium operibus, pulcris formis, placidis legibus, linguae gratiis, poësis floribus, laetis fabularum traditionibus, philosophiae elegantiis adornata, exculta, exhilarata. Quicunque, quo interius se insinuaverit in Graeci aevi rationem, eo certius intelliget, illud μηδὲν ἄγαν vitae principium fuisse; unde *pulcrum* in omni vitae consuetudine huic genti exsisteret : intelliget, quo pacto *Pulcrum* ipsum et res pulcras et viros, pulcra forma donatos, formosasque feminas divino fere honore mactarent; quo ardenti amore singuli universi, senes adolescentes, sapientes inculti, philosophi poëtae, illud unum praeprimis sectarentur, quod gratia, venustate et simplicitate se commendaret. Est enim in ipsa natura amabilis illa simplicitas, quae illis praesertim probatur hominibus, qui iidem naturae proximi, ex ea cummaxime adoleverunt. Haec vero ducit ad Simplicis *sensum,* atque cultores suos reddit simplices, candidos, amabiles. In Simplici inest partium omnium, quibus quaedam res constat, convenientia, unde Pulcrum ipsum procreatur; quod aliud non est, quam omnium rerum exterior ad idem totum efficiendum concentus et harmonia interior, quae per venusta corpora spirat et ea singulari vitâ perfundit. Graeci igitur, quo huic naturae erant propiores, eo ardentius hoc sensu ducebantur, eo magis intensiusque pulcrum, seu arte seu natura productum, celebrabant et ad imitandum incendebantur. Inde factum est, ut qui tanto animi ardore tamque constanti pulcri studio flagrarunt, non solum felicissime, quod adpetiverunt, assequerentur, cumque aliis par omnibus studium communicarent; sed etiam, ut, verbo plane Graeco, φιλόκαλοι et essent et videri et dici amarent.

Atque hoc quidem sensu corpus qualecunque, praesertim humanum, elegantioribus formis expressum; rerum naturalium synthesis ad pulcri leges conformata; concentus civium in republica conspicuus; harmonia moralis in homine adparens; haec singula τὸ Καλὸν Graecorum constituerunt. Quidquid in philosophia et religione, in divinis et humanis rebus *Summum Bonum* ipsis adpellabatur, voluntatis conveniens testificatio, decoris ethici manifestatio, composita mentis in omnibus vitae vicibus et turbis constantia; interior hominis et civis, cogitationum et sententiarum, voluntatis et actionum concentus, τὸ Ἀγαθὸν sistebat. Denique sanctissimum illud elegantiae exterioris et Boni perfecti interioris consortium, Καλοκαγαθίαν, *beatitatem* generis humani, effecit. (De hoc Pulcri studio, Graecis cognato, perite et eleganter, ut solet, exposuit Clar. VAN HEUSDE, in orat. *De Pulcri Amore*, habita Ultrajecti d. XI April. MDCCCXVIII).

Constat apud omnes, neminem populum, nec veterem nec recentiorem, tanto Pulcri amore incaluisse; neminem artis operibus suis hoc Pulcrum tam vere et eleganter expressisse; neminem imitando eos unquam esse assecutum: orientales pariter ac Romanos ab hac eleganti vitae perfectione fuisse aeque remotos, inque mediis illis Graecos, quasi divinitus in hanc terram demissos, stare solos, absque magistris et ducibus excultissimos. Verum hoc dictu quidem est facillimum, uti difficillimum videtur investigare hujus rei causas, dicere et ratione confirmare, quo modo ex his causis illa vita singularis sit enata. Dicendum tamen est: neque, opinor, certius dici potest, quam instituta diversarum aetatum et mentis facultatum, illis convenientium, comparatione; ad quam, in Graecis illustrandam, in auxilium vocandae fabulae et historiae. Supra exposuimus, hominem in oriente semisomno quodam sopore sepultum jacere, ligatumque spiritum totam materiae vim pati, neque aliter adparere, nisi *in pia absoluti numinis* ADORATIONE *illimitataque* FIDUCIA; *caecum illum esse apertis oculis*. Sic manifestum est, imperium historicum orientale sistere totalitatem *indistincti Spiritûs in universitate indivulsae Materiae*, quasi *principium muliebre* vegetantis naturae, *exsistentiam* e *substantia nascentem* (τὸ Fieri ex τῷ Esse). Ubi vero e primo illo stupore expergisci coepit homo, et circumspicere claris oculis et materiam tangere et manibus contrectare; ibi, in Graeco imperio, pro adoratione et fide oboriebatur *adolescens* IMAGINATIO, *in sese recipiens et cum aviditate sugens vivas imagines*, *rerumque formas et colores; atque quae accepit, mutuam in gratiam ornatiora et exhilarata producens*, *creans et mobilis*: quae clara *similitudinis* rationum *synthesi* ubique *singularem* cujusvis

rei et hominis statum et conditionem contemplatur, ex rerum *Exsistentia* earum *Incrementa* manifestans. Contra, quo magis adolevit mens mundana et ad maturiorem aetatem processit; eo magis horrebat cum infantiam caecam, tum vero etiam imaginationis lusus. Atque transferentes nos animo in Romanam aetatem historicam; in ea deprehendimus *virile* generis principium, quod *individui* INTELLECTUS *acumine* quaerit *dissimilia*, *singula a ratione sejungens, atque ad cognoscendum disponens, agens cum prudente constantia, rebus utens et opportunitatibus et vero etiam hominibus*. Haec aetas innocentiam infantiae et inconsideratam levitatem adolescentiae pariter contemnit; quin mens mundana, perfectâ aequabilitate et concordiâ, nanciscatur universitatem rerum et hominum atque *intelligentiae* summam; quin *profundior* ipsi MEDITATIO Senectutis contingat; quin illam ingenii beatitatem, quae est in *summae Rationis idea;* uno verbo, quin SAPIENTIAM *aetatis Germanicae* attingat; quae est τὸ *Esse ipsummet, absolutum, ex materia et spiritu concretum* et *perfectum penitus*.

Quum igitur vetus ille *Deucaleon* (jam enim ad fabulam et historiam nos convertamus) post interitum gentis (quasi chaos indistinctum) in *Pyrrha*, gentium matre, quasi in speculo, in persona alia, se ipse suamque personam conspexisset; atque duplex esse generis principium, *virile* et *muliebre*, cognovisset; quum, *juvante illa*, retro jactis *singulis* lapidibus, novum genus *hominum* procreasset, h. e. cum patriarcha gentium communis per singulos Οἰκοδεσπότας discessisset; hi vero repugnantia elementa sibi subegissent : tum oriri debuit, extra familiae terminos, licet ad eam voluntate domini pertinens, *juxta liberos homines*, SERVITUS. Quae est illa aetate, tanquam fundamentum ingenuorum et liberorum, necessaria adparitio, ex oriente pariter superstes, sed pluralitate et aequalitate dominorum severius distincta. Quo enim magis dominus dignitatis suae, verae an fictae, fit certior; eo magis et iniquius deprimitur servorum conditio. Jam servis vitae labores et negotia, agrorum cultus, opificia, aliaque manserunt; cives gymnastica, musica, arte statuaria, sculptoria, fingendi et pingendi, beneque dicendi, tanquam liberaliori institutione, ad corpus animumque percolendum exercitabantur. Quodvis enim informationis genus ad corpus pariter et animum pertinuit; nonnunquam illud vel magis etiam curabatur. Erat enim communis omnium Graecorum vox atque sententia : pulcram animam in pulcro tantum corpore habitare; nunquam in Thersite quodam. Corpus jure censebatur organum princeps, per quod animo contingerent omnia, ita ut in utroque summus esset concentus, singulari opera a quovis efficiendus.

Non minus vita exterior harmoniâ continebatur cum homine ipso : erat quidem pauper vita, non vero misera, sed curis et aerumnis vacua, artibus perculta, *musica* praeprimis exhilarata. Tanta etiam huic voci tribuebatur praegnantia, ut pulcrum quodlibet μουσικὴν adpellarent, citra cujus opem nec animus ad majora excitari, neque *mundus* (κόσμος, i. e. pulcri harmonia) ipse regi posset. Quapropter ἄμουσος brutae bestiae simillimus et habebatur et dicebatur; ἀμουσία vero ea hominis conditio, quae omni cultu et educatione destituta, ipsa sibi dissentiat atque repugnet. Ex ea re elucescit *Ludorum publicorum, Olympicorum, Isthmicorum* aliorumque vis et auctoritas, quae tanta fuit, ut illi ad universos Graecos, ad totam civitatem, pertinerent; ut ab iis temporum rationes et immortalis gloria singulorum, gentium et nationum honor repeterentur; ut beatissimi omnium hominum celebrarentur ii, quibus victoribus esse contigerit. *Lauro* ornati *publice* et *hymnis celebrati*, cum diis simul et patria tota, non raro divino honore mactabantur. Ad hymnum accessit *psalterium*, et qui victorem dignis laudibus cecinerat, laudum non minus fuit particeps. Cum pugnis et victoriis gymnicis concertatio et victoria ingenii conjuncta, laudata, lauro coronata. Pugnae, pro patriae incolumitate et honore susceptae, ludi videbantur Olympici, universorum viribus acti; gloria vero haec non minor erat illâ.

Et Philosophia quoque, bono tempore, non systemate aliquo arido atque ad unitatem conscientiae elevato, sive e summo quodam principio ducto; verum vitae sapientia, sententiis solennibus, brevitate et simplicitate commendatis, atque ad captum omnium adcommodatis, constabat. Sequiori aetate, ubi systematis quendam habitum assumserat, tantum ea abfuit ab asperitate ista agresti et horrida, ut non solum amoenas pulcrasque formas retineret atque poëtico ornamento insigniretur; sed proprie artificium fieret aestheticum : ceterum continuo ad hujus vitae utilitates adhibita et inter populares versata, huic mundo, quam ignoto cuidam ideali orbi, propior. Qua re quum Socrates ille, pro sua ingenii magnitudine et excellentia, ultra aetatis, quam vivebat, terminos, omnia generaliter considerans (quapropter ex hac quoque parte magna inter illum et Christum Salvatorem intercedit similitudo) illam philosophiam, de Graecorum sententia paullo deductam, extendisset; statim a Platone discipulo denuo in Graecum philosophum convertebatur. Divinus enim Plato, licet totus in idea versatus, tamen ut *adolescens* philosophatus est. Pessime fecerit, si quis *vir* eum sibi ad imitandum proposuerit. Altera ex parte *severi* Graecorum *Stoici* non nisi *fucatis viris* comparandi sunt; atque *nascebantur* Romae Stoici, ipso Zenone magistro

severiores, ante quam Stoae *nomen* fuerit in Graecia auditum. Quae cum ita essent, nemo jam mirabitur, quod ille talis homo, sui suarumque rerum certitudinem nactus, etiam in Deum illum despotam inquisiverit adcuratius et numina sibi effinxerit propitia grataque, vultu et habitu hominibus similia, quae cogitare et agere viderentur tanquam homines: qui ea colebant more suo, cum hilaritate et laetitia, in festis publicis, cantu, musica et saltatione celebratis; qui ea eleganti forma expressa et poësis ornamentis induta, vegeto animo contuebantur, ita, ut hic ῥυθμός per vias omnes et vicos, in ἐκκλησίᾳ et ἀγορᾷ, in templis et theatris, sine fine, resonaret: ut Graeci ipsi deos suos nil magis agere, nil magis unquam acturos esse crederent, quam ut se mutuam in gratiam cultoribus suis beneficentia commendarent. Sensim paullatimque hic populus, ut coelum suis heroibus, ita omnem naturam, non in universum, sed per singulas ejus partes, diis et geniis implevit; cuivis arbori, cuilibet virgulto, plantis singulis, floribus, fontibus, rivis, genium quendam, indole, forma, vultu, moribus et officiis diversum, impertiens. Qua re ipsamet religio, vita publica et privata et philosophia non minus habitu poëtico incedebat. Vetustissimo enim tempore religio non *Amorem* dei commendaverat; sed dei *Timorem* (sunt hodienum, qui hunc illo dicant potiorem; non aliter ac si Christus non devicisset *timorem* atque nobis *amorem* comparasset). Ille autem *timor* domini originem habuit in oriente, ex Οἰκοδεσποτείᾳ patriarchali, atque duxit ad Δεσποτείαν veram (quapropter, qui illum nobis incutere timorem valuerit, is absoluta dominatione nobis imperaret: revera etiam non desunt, qui illud efficere, hanc sibi adrogare vehementer concupiscant!).

Vita omnis et universus orbis artium in objecto versabantur suo, quin in eo tractando artifex conspiceretur: nam chaos orientale mortuum, seu moribundo simile, in Graecia se explicuerat per certas vividasque formas; spiritus autem materiam sibi subjecerat objectam et reluctantem. Inde Graeci cum quadam animi oblectatione nudas formas intuebantur, cum in puero et adolescente pulcro, tum in formosa virgine: Veneris illi statuam spirantem non ardentius amplecti et vehementius admirari solebant, quam athletam gradientem; quoniam naturam simplicem apertis recipere sensibus et bene animato corde fovere consueverant. Hinc intelligitur, qua ratione poësis objectiva, *epica* illa, sponte effloruerit apud Graecos; quam frustra imitati sunt et temere posteri, aequavit adhuc nemo. Epos enim adolescenti homini adeo *proprium* est, ut quisquis idem velit imitari, Virgilius an Voltarius, operam et oleum perdat necesse sit; non secus, ac

si vir prudens et sapiens senex, rugosa fronte cucullo tectâ, pueruli cunis impositus, ab adstante matre moveri velit, innocentiam infantis gestiens seu ludibundam levitatem naturalem adolescentuli.

Quod reipublicae formam attinet; de ea dubium esse nunc non amplius potest. Repetenda tamen eadem est e principio nostro historico et origine gentium Graecarum. In Historia Graecam gentem sistere aetatem disparium gentium, ex universitate generis coortam, scimus. Haec disjunctio non repente fiebat, sed decursu temporis et ex locorum etiam rationibus. Hinc ea primum sola *antithesi* exprimebatur *Orientis* et *Occidentis*, quam constituerunt in Graecia meridionali *Pelasgi*, in boreali *Thraces* (adeo enim Graeciam illam extendimus). Jam nunc locorum diversitas et libertatis, ab orientalibus vindicatae, cogitatio summi fuere momenti. Sed forma vetus patriarchalis quodam modo perstitit: *Reges* enim fuisse cognovimus, *gentium capita*, *βασιλέας* (h. e. Duces agminum in terram inruentium), minime comparandos illos cum *dominis* orientis, sive cum nostris *regibus*. Nam juxta Reges *Patres* quoque *familiâs*, *Nobiles*, *Optimates* nominantur, qui rebus publicis aeque consulunt, *suae* pariter *libertatis* et *voluntatis* certiores. Immigrant deinceps e borea novi coloni; e meridie, in Thessaliam, *Hellenes*. Jam ex antithesi illa occiduo-orientali (quae nutriebatur odio implacabili et inimicitiis hereditariis, *religione nutritis*, Hellenum adversus Asiae minoris, *antiquae patriae*, incolas, a quibus illi fuerant expulsi; quae denique culmen nacta est in *Bello Trojano*) oriebatur *Separatio* et *Divisio* in una eademque terra. Hi enim, ejusdem matris filii, in peregrinam terram, diverso tempore advecti, sibi aeque peregrini facti fuerant, hostili studio in sese concitati. Testatur hoc instar omnium *Foedus Amphictyonum Hellenicum*, ad *Gentilium* amicitiam confirmandam et Hellenum vires, adversus alios augendas, institutum. Jam *plures* sunt *populi*, plura populorum *nomina*, invicem sibi *opposita*. Bellum est et occupatio et subactio. Peregrinus cum peregrino non coalescit (ut in oriente); sed victus victori subigitur, in *Servitutem* redigitur: *duo* elementa in eadem republica sunt. Denuo Hellenes ipsi secundum majora ejusdem gentis capita dividuntur, in Dores, Achaeos, Jones, Aeoles. *Reges* adhuc nominantur; sed hi magis etiam ipso *numero* circumscripti et majori libertate patrumfamiliâs; in quibus solis inest *civitas*; nam familia est in *patris potestate*. Praeterea hi reges, uti veteres totam quandam Graeciae *partem* tenuerant; ita ipsi partis solum *regionem* habuere; hanc quidem *integram*. Cum terrae iterata divisione non numerus tantum popellorum, sed bellorum etiam ac-

crescit; quibus, quia victori parere nolunt, e sedibus expelluntur plura stemmata. Quae causa simul evadit una *coloniarum educendarum*. Hoc iniquo studio *Dores* jam pridem ex antiquis sedibus pulsi fuerant; qui nunc, circa finem Belli Trojani, cum *Aetolicis* gentibus (e Thracia auctis), Heraclidis ducibus, in Peloponnesum revertuntur. Nunc bellum furit in ipsa unius gentis viscera : Dores et Jones sibi ex adverso positi, mox *Spartanorum* et *Atheniensium* antithesin sistunt. Magis deinceps, ob ipsam etiam frequentiam Heraclidarum principum, dilabuntur regna : quot urbes (πόλεις), tot *civitates*, hae penitus *clausae* aliis; inque illis orti *cives*, ἄριστοι dicti, ratione subactorum; adhuc sub *Patrum*, *Optimatium*, moderamine.

Nemo igitur non videt, Ἀριστοκρατίας in Graecia fuisse ab initio, formam *aristocraticam* vel juxta *reges*, h. e. *principes inter pares*. Alia forma in Graecia cogitari nequit : quaevis alia mortifera sit, quia adversetur indoli gentis, quae nondum *cives distinguit a civibus* eosque *dirimit a civitate*, neque *singulos a familia*; sed *solum civitates a civitatibus*. Verum non minus clarum est : ejusmodi civitates *diuturnas* esse non posse, sed ruinae causas in ipsismet latere. Simulatque enim *singulus* aliquid esse vult, ipsam ille *individuam* civitatem dirimit; quae nunc sive *tyranno* cedere, seu *multitudini forensi* (id quidem ex *Democratia* seu *Ochlocratia*) potest, donec ab alia quadam absorbeatur. Diutius persistunt, qui religiosius coluerunt Ἀριστοκρατίαν, *Spartani* : et hac ratione Lycurgi leges optimae habendae sunt. Protinus ruunt, qui Aristocratiae obluctabantur, *Athenienses* : unde Solonis leges, quibus Aristocratia in *Timocratiam* mutabatur, quae duxit ad *Democratiam* et abiit in *Ochlocratiam*, nocuerunt civitati. Verum Jones nunquam migraverant, ut Dores; qui eapropter, ut rudiores, ita in omnibus rebus constantiores fuere : unde hi, Romanis simillimi, illi elemento Asiatico diutius adhaesisse dicendi sunt. Eapropter ferreos Spartanos, mortalium fortissimos, non ferrum, sed *aurum* vicit (Asiaticum); sicut ferreos Romanos, mortalium integerrimos et severissimos, non homines, sed *luxuria Asiatica* et *Graeca levitas* devicerunt. Civitatis formâ pessumdatâ intus corruptae civitates primum se extrinsecus dilaceraverunt *bello Peloponnesio*; donec Macedonem dominum misereret Atheniensium. Postea etiam, cum civitates Graecae a Romanis liberae *dictae* essent; cognoverat Romana prudentia, illas mutuis altercationibus citius et certius esse perituras, quam armis Romanis.

Ex his omnibus rebus haec sequuntur : Primum; Aristocratias eo esse veriores et firmiores, quo sint *plures* eaedemque *magis exiguae* : una enim

in altera se quasi in speculo intuetur; et in exigua civitate, quasi in cognatis familiis, sententiae universorum facilius in idem conspirant. Alterum; has civitates nunquam arma extra patriam *occupatum* ferre; quoniam omne studium earum inest et terminatur in clausa ab aliisque adcurate separata Aristocratia. Tertium; neque tamen minus illas occupandi studio flagrare; quod vero eo adimpleri possit, ut civitas mater quamplurimas, ex se natas, habeat filias, eadem ratione rectas; quapropter Graeci orbem terrarum, quasi *materialiter* sibi subjugare, *eductis et certo ordine dispositis coloniis*, conabantur (quae est altera coloniarum causa); sicut Romani idem perfecerunt *imperio, vi intellectûs*. Circa finem igitur imperii Graeci, hoc est, cum vetustae Aristocratiae infelici studio *Principatûs* abreptae, in protervam licentiam Democratiae, ducibus Demagogis, quaevis *sibi* adpetentibus, degenerassent; *singuli* etiam magis magisque in individuam sui libertatem inclinarunt. Cujus rei testes sunt et ipse ille Socrates, singula ex generali rerum ordine considerans, et *Characteres* Platonis, subtilissimae Philosophiae auctoris. Verum enim vero hoc aliter evenire non potuit: conformari coepit in virum prudentem adolescens; jam leves et pueriles ludos aspernatus. Quum autem vita omnis incrementa capiat vix sentienda, dici nequit: *Hoc anno et die aetas virilis historiae incipit!* Ipsum adeo *Drama* Graecum, quia hominem sistit cum libertate *agentem* et virili ratione modoque sibi proprio: non minus *Comoedia*, quia ipsam *illorum* Graecorum naturam ridendo perstringit; utrumque, dico, tempore tantum provectioris cultus, ubi res Graecorum culmen suum attigerant (quod non in *optima adolescentium* Graecorum tempora cadit; sed in eam epocham, qua maturus adolescens virilem aetatem est ingressus) utrumque, finem imperii Graeci adfuisse, abunde probavit.

VII.

Priusquam de ipsis Romanis dicamus, verbulo monendum est de primis *Italiae* gentibus. Qui enim statim cum Romanis orditur, ille aedes suas a summa domo incipit. Igitur inquirendum est in Romanorum *originem* eorumque cum aliis iisque praecedentibus populis nexum. Quod cum plurimi scriptores neglexissent, qui Graecos fere solos de Romanorum rebus interrogarunt; factum est, ut omnia, susque deque mixta, mirabilem in modum confunderentur. Ex Oriente *Graeci* duxere originem, sed ex *Asia anteriori* (in quam tamen *ab occidente* immigraverant); ex oriente pariter *Romani* advenerunt, sed, ut videtur, ex *Asia superiori*. Hi Graecis, ut illi Ro-

manis, fuere *incogniti*. Natura Graecis pulcri sensum dedit, quia illi ex materia nati, materiam contrectarunt : Romano eadem natura *animi constantiam impressit* et *voluntatem inflexibilem*; quia hic, *juxta* Graecum, non *post eum*, magis *rerum speciem* amplexabatur, quin pulcri sensu esset informatus. Ex hac igitur *ideali* tantum intuitu Romanum adpellamus *virum*, Graecum *adolescentem* historiae. (Quae a me in levitatem scriptorum recentiorum, qui res Romanas exposuerint, dicta sunt; ea minime cadunt in ingeniosissimum earum rerum anquisitorem, B. G. NIEBUHRIUM : *Roem. Gesch. Berlin* 1811 et 1812. II. 8. Tomum *tertium* nondum vidi; non magis *alteram* aurei operis editionem).

Duodecim saecula elapsa fuere, ex quo in vicinitate Italiae primae Graecorum notitiae fuerant auditae. In ipsa Italia plura saecula ante Romam conditam potentissimae gentes, belli gloria et pacis operibus celebratae, exstiterant, triplici foedere junctae, superioris et mediae Italiae terras usque ad Tiberim amnem incolentes. Hae gentes dicebantur RASENA (*Niebuhr.*) earumque varia stemmata *Tyrrhenorum*, *Tuscorum* et *Etruscorum* nominibus insigniebantur: omnes ex vetusta Gente Germanica ortae, ex *Rhaetiae* montibus in has regiones advectae. Ante ipsas (nisi hi fuerint iidem) *Itali*, fabulis nobiles, magnam posterioris Italiae partem Geryonis bubus arasse dicuntur, quos ab Hesperiae terris, ab occasu, ab Iberibus, Celtis, Celtiberibus, h. e. ab antiquissimis Europae gentibus, arcesserant. [Hoc sensu, credo, argumento non opus est ad probandum : Graecos fuisse ex eadem gente cum Germanis oriundos (cfr. J. L. HUG, Mythos d. ber. Voelker d. alten Welt. Freyb. 1812. 4. p. 3-6) et idcirco sistere Germanos *adolescentes* : eodem modo Romanos — Etruscos — Germanicae stirpis fuisse, certo credimus, et ea causa Germanos sistere *viros*. *Senectus sapiens* generis humani in Germanis propriis, sensu nimirum latissimo, in frigidioribus septentrionis pagis, cernitur. Hi *occidentem*; Asiae et Africae gentes *orientem* repraesentant; hi tempus perpetuo antiquum, illi aetatem semper novam]. Religio severior quaedam ac tristior, in sacerdotio, uti hoc ipsum in patriarchali ratione, innixa, communem earum originem, e Thraciae saltem jugis, atque ulterius ex Asiae terris septentrionalibus petendam, satis probat (17). Longo ante Romam tempore in eodem loco, ubi deinceps Urbs illa, gentium dominatrix, exstitit, *Urbs Quadrata* steterat, *Cyclopica illa* (forte tum *Valentia* dicta; quod nomen cum arcano nomine *Florae* posterior Roma simul assumserat). Illam tamen elementorum potius, quam nationum, pugnis eversam credideris; quae ceterum primis Italiae aevis eadem auctoritate et po-

tentia valuisse videtur, qua postea pollebat *Romulea civitas* : sicut vero non est absimile, Romae matrem, *Albam-Longam*, ipsammet fuisse *Quadratae Urbis* filiam.

Vetusti *Itali* in Italia ejusdem naturae fuisse videntur, cujus fuere in Graecia *Pelasgi*, gens rudis et palans patriarchalis, totius terrae prima et autochthon. Potestas patriarchalis illo tempore soporis sacerdotium maxime adjuvit atque dubium nullum est, quin hi sacerdotes, tanquam *Lucumonum Casta* (ut postea *Ordo Patriciorum*) primas in re publica tenerent. Hoc vero elementum *theocraticum*, cum patriarchali et pastoritia vita conjunctum, ex eaque enatum, in Italia sine dubio, quatenus quidem hoc in occasu fieri posset, mores orientis retulisse, paullo prudentiori non latet. Verum haec quoque gens primaeva per multas civitates mature erat disjecta atque innumeris bellis, novis aliarum gentium migrationibus excitatis et alitis, civitates et populi a se magis magisque *dispescebantur*. Potestas autem patriarcha-sacerdotalis interius, prementesque irruentium gentium motus exterius, quum etiam (quod est gravissimi momenti) Itali non coeli fuerint minoris Asiae clementiâ mitigati atque propter conversiones iteratasque peregrinorum irruptiones nec de corporis, neque de animi cultu se possent informare; haec, dico, omnia huic genti indolem indiderunt, quae, a mundo materiae abhorrens, artes quoque et artium cultum, a natura profectum, aspernabatur, atque id unum sibi maxime habebat propositum, ut mentis animique aciem ita conformaret omnesque vires corporis et mentis ita excoleret, ut iis ad subigendam materiam uteretur et subactarum etiam gentium vires *prudenter* adhiberet ad suum orbem quamlatissime extendendum : quae omnes res ad calculos vocans, cuncta metiri emolumentis et commodis suis solebat, omnia *perdomans* domestica et publica. *Frigidus* igitur et *asper Intellectus* imperium suum condidit, quod ipsa ratione, qua deinceps Roma condita est et ordinata, confirmabatur.

Romulus enim Albâ-Longâ, ubi non minus periti computatores ad abacum arithmeticum sederant, civilibus motibus pulsus, cum aliisque gentibus patriarchalibus emissus, ad *quadratam metropolim*, non sine calculo inito, *revertebatur*. Vetusta enim auguria hanc *Valentiam* AETERNAM fore edixerant; unde mirum non est, quod Romulus, qui omnia rationibus inferre amavit, in metropoli Italiae prima *Orbem novum* condere, quam in quovis alio loco, maluerit. Nemo quidem me magis potest abhorere ab inepta sententia Graecorum posteriorum et nonnullorum hodiernorum, qui in antiquis rebus eruendis

omnia *consulto* a veteribus instituta esse, haud dubitanter edicunt; quo e. g. pertinent *Senatus a Romulo institutus* et ejusdem regis *de imperii forma cum populo* habita disputatio, vere Academica : non minus opinio *de XII Tabb. Legibus a Graecis repetitis*, [de qua re discipulorum, cum meorum, tum hujus Academiae, praestantissimus, me auctore secundumque sententiam meam, perite statuit, X. LELIÈVRE, scriptâ Comm. praemio ornatâ; quae in hoc Anal. Acad. Volumine prostat]. Hoc autem loco omnem fidem habeo CICERONI, qui (De Rep. II. 3) « Urbi, refert, locum (Romulus), quod est ei, qui diuturnam rempublicam serere conatur, diligentissime providendum, *incredibili opportunitate delegit* ». Ipse hoc facio his argumentis ductus : Roma *filia* est Albae-Longae : Alba est urbs *Foederis Etrusci* : hujus foederis Rectores sunt *Lucumones* i. e. *Sacerdotes*. Roma est *colonia*, civilibus motibus emissa; igitur in *certum locum educta*, qui est *in ambitu Albae-Longae* et is locus, ubi vetusto tempore *Valentia* steterat, Romae *avia*. Colonia educitur in locum *opportunum*, seu *fertilitate agri*, seu *facilitate coloniae servandae*; pariter *matris virium augendarum ergo*. Romulus denique non *rex* Urbis, sed *dux* Coloniae est : igitur *suspensus* a matre, cum omnibus institutionibus, quas *illa*, non ille fecit, i. e. quas a patribus acceptas habuerunt. Auspiciis igitur Etruscis (neque tamen citra calculos subductos?) locus eligitur; de Urbis novae nomine et imperio concertatur; auguria Romulus, justitiâ sibi plane propriâ (ipsi, qui nihil non ad lucrum suum revocare consuevit) ipse interpretatur; qui, ut numinum tam certa signa rata faciat, ne fratri quidem parcit [et fraternae stirpi, *Remuriae genti* : etenim e duobus *fratribus*, jure patrio, citra auspicia, *Remo*, ut natu majori, imperium cedere debuit. Nemini vero latet traditio Albana *Numitoris* et *Amulii*; nemini traditio *Romuli* et *Tatii* Sabini, atque siquis *binorum* Consulum imperium respiciat, id e vetustissimis temporibus repetitum, inque natura occiduarum gentium hostili, in illa *antithesis* necessitate ingeneratum esse non dubitabit]. Sic vero (hoc enim quaesivimus) ex prima *antithesi*, Albani populi *unius*, oriebatur gravior quaedam et multo praegnantior, inter *Albam* et *Romam* [Romulus enim, alter Amasis, e *bellatorum* casta, *sacerdotali obluctans*, ab ejus dominio jam ab initio se immunem reddiderat, eumque (praeter Numam, Sabaeismo Etrusco studiosum) imitati sunt reliqui reges]; mox severior inter *Romam* et *Latium*, *Romam* et *Italiam*, *Urbem* et *Orbem* terrarum.

Capto prudenter consilio Romulus Sabinos subjugare cupit, quia integris illis integra esse Roma nequit : sed *pacto foedere*, quasi *ratione inita*, cum

Romanis commiscentur Sabini et Tatius, rex, *collega* regis evadit. *Non inconsulto* Tullus Hostilius impiâ manu Albam matrem perdit : sed ut Romam Latii principem reddat (atque se principem Urbis. Roma, *Etrusca-militaris*, imperium *Etruscum sacerdotale* delevit, cum spretis Foederum — quasi Amphictyonum — legibus, matrem et sorores perderet). *Prudenter* Ancus Martius, Ostia urbe condita, ad mare tendit; quia aliâ viâ Etruscos aggredi nequit; qui, consanguinei, eam ipsam ob causam pro acerbissimis hostibus habiti sunt, cum penes ipsos antea fuisset imperium justum. Non minus Foedus Latinum et Census Servii Tullii, *ex Intellectus rationibus* instituti, principatum Urbis et potentatum regis et confusam quandam aequalitatem civium efficiunt, pro *Castis* Etruscis, *Ordinibus* Romanis introductis. Deinceps Sabini cadunt et Etrusci; ultra citraque per Italiam accrescit res Romana : mox Italia subacta uni genti paret. Verum Roma, quo magis augetur, eo plura adpetit : quae enim vi acquiruntur, armis solum retinentur. Jam Carthago obviam est : haec maxime timenda, quia easdem sequitur rationes. Tractatur, foedus scinditur; primum alterum sequitur, multo prudentius : sed *sciunt* Romani, omnipotentiam Poenorum maritimam et insularum dominium perniciosum fore Urbis incremento. Neque tamen haec sola causa est : multo gravior *in religionis antithesi*. Poeni enim *Sabaeismum* secuti, *Solem* et *Lunam* colebant; Romani *Numinum Idola*. Inde repetendus furor ille fanaticus, quo prima bella Punica insigniuntur; quo ductus Hannibal interitum se Romae paraturum jure jurando se obstrinxit; quo *Italiae templa* destruxit et *idola* fregit; servatâ unicâ Aede *Junonis-Melittae*, in qua *tropaea sua* suspendit (vid. Cicer. De Div. I. 24; praes. Liv. XXVIII. 46. XXX. 20); cui rei parem vindictam Romani exercebant postea. Carthago igitur solo aequatur; comburitur item Corinthus : Africa et Graecia subactis, scriptae sunt rationes, munita via est, quibus *necessario* Orbis dominium cedere Urbi debet.

Sic illi foris agebant. Non secus in Republica. Licet enim mens mundana a materia abducta, magis vergeret versus ideam; tamen Romani nondum exploraverant hominis naturam; sed qualis ea se exterius ostendebat, ea utebantur, non ut alios redderent meliores et beatiores; sed ut essent ipsi reliquis potentiores, viderentur meliores et in eos ex hoc capite dominarentur. Inde facile quisque intelliget, qualis apud eos civium fuerit informatio. Enitendum nimirum omni ope censebant Romani, ut quidquid adspicerent, quidquid audirent pueri, id *ad bellum* referretur : quidquid sensibus perciperent et cogitatione assequerentur viri, id ad rempublicam,

ad obedientiam, magistratibus habendam, pertineret. Sic, quae in jejunis sibique studiosis animis inesse solet, arrogantiam, adhibitis honoribus, adhibitis de virtute et fortitudine, de dignitate et potentia sua atque de reliquarum gentium servili natura, impotentia, pravitate, levitate et segnitie sermonibus, prolicere studebant. Hi igitur eorum adpetitus, haec studia, hi affectus per historiam dominantur totam. Haec illorum ingenio mirabiliter placuere atque intimis percipiebantur animi sensibus. Quam sententiam nostram, ut non feramus tantum, sed etiam propugnemus; non est, quod longam de ea inquisitionem instituamus. Lubet autem e ceteris illud considerare, quod ad vitam publicam et civitatis formam inprimis spectat.

Ubique idem illud *Intellectûs* rationarium : vera Aristocratia Graeca hîc non penitus efflorescit. Nam partim *cives*, perpetuis bellis edocti, quantum valerent *singulorum* brachia, cognoverunt; partim reges omnem sibi potentatum adrogare studebant. Jam enim Romulus absolutae potestati studuit; sed dabatur collega Tatius; caeso collegâ ipse a Senatu inter Deos relatus est. Senatus *Sabinum* regem creavit, Numam Pompilium, tantum, quae cogitavit, occultans, peregrinos scilicet reges ipsi magis placere, quam indigenas. Sed quum hoc ille conaretur, reges esse *populares* voluerunt : neque inprudenter a Servio Tullio institutus Census, createque ab illo quaedam aequalitas jurium civilium, qua Optimatium (Procerum, Nobilium, Patriciorum) h. e. sacerdotalis Ordinis praerogativa sublata sunt. Egregie etiam illud effecit, (nam ab ipso potius, quam ab alio rege factum esse, interior quidam historiae sensus postulat : forte hoc idem etiam antea alii reges moliebantur) ut *novis* Patribus electis (*minorum gentium* eos opprobrii causa patriarchae principes adpellaverunt) frangeret auctoritatem Patrum in universum. Sic nativitatibus et sacri Ordinis sanctitatibus sublatis, quum quisque id valeret, quod possideret, cives omnino, nobiles ignobiles, invicem penitus confundebantur, quin integra quaedam mentis et voluntatis libertas singulorum oriri posset. Cum vero superbius responderet et crudelius ageret Tarquinius II, atque uno ictu se a Patrum molesta tutela liberare vellet, necatis Nobilibus; Senatus et Optimates unum regem, urbe ejectum, dispescuerunt in *binos* CONSULES. Qua re non libertatem populo (i. e. plebi, ut perperam nonnulli sibi persuaserunt) parare, sed vetustam Patribus auctoritatem redimere conabantur, redemerunt reapse atque, a rege liberati, Proceres *individualitatem suam* contra totalitatem regni declararunt; simulque multitudinem, tutore privatam, suo arbitrio subjecerunt, quin eapropter Regiâ omnipotentiâ se destituerent. Haec enim ipsis omni momento

praesto erat in *Dictatura Patricia* et solenni illo : *Videant Consules, ne quid respublica detrimenti capiat.* Verum lex Valeria *De Provocatione;* inprimis *sacrosanctae personae Tribunorum*, qui intra senaculi parietes, ut summi magistratus, iique ex *sola plebe eligendi*, sedentes, antithesin veram in *ipsa civitate* sistebant [quae antea, ex religione petita, erat *inter Patricios* (Sacerdotes) *et Plebem* : illi enim se melioris esse frugis censuerunt (quod patet e Cic. Somn. Scip. 36 coll. IV in Verr. 70 sq.), ut Indorum et Aegyptii et reliqui sacerdotes]. Causa etiam Coriolani et Agrariae leges; Comitia quoque Tributa, quae nunc magni esse momenti coeperunt; lex denique Terentilla, qua *scriptis legibus* ortis voluntas patricia, rationi reddendae ante non obnoxia, infringebatur : haec omnia Patriciis abunde probarunt, potestatem suam in occasum vergere, quantumvis licet hi per *Patricios* Decemviros et Leges XII Tabularum, *Optimatibus fautrices,* rem sibi suam sartam et integram servare opinarentur. Jam enim lege Canuleja *sex Tribuni* militum (qua re discrimen plebis et patrum sublatum est) *consulari potestate* creati sunt; quorum *dimidia* pars *e plebe* sumeretur. Consuluerunt in hac quoque causae suae desperatione eo sibi Patres, ut *Censuram*, consulari muneri ademtam, et *Aedilitatem Curulem* sibi reservarent, illam *religione*, hanc *paupertate Plebejorum.* Verum mox brevissimo temporum intervallo *Consulatus, Dictatura, Praetura* et *Pontificatus*, hic quidem plane Patricius, *Plebejis* item cessit, quin Tribunitia potestas cum Patriciis communicaretur, nisi prius Optimatium nobilitate quasi abjuratâ; quae res maxime significans est. Sic igitur quidquid tempora bonae antiquitatis aetatemque vere Graecam redolebat, eversum jacebat. — Hoc tamen loco, ut ea res magis eluceat, de Patriciis verbulum addere placet. *Patricii* igitur Romani, bono tempore, veri fuere ἄριστοι; gentes sistebant dominantes, a se invicem distinctas cum *religione privata* (erant enim cuivis *Penates* privi), tum *dominatione* (*patria potestate*). Haec autem penitus sunt *Etrusca*, i. e. penitus *orientalem originem* redolent. Sic enim *Cultus Solis* Asiae in *Penatibus* sive *Cabiris* (Sole et Luna) supererat in *igne sacro et sempiterno* Vestae (non minus in *castis* virginibus, illius custodibus); ut tamen, in *Occidente*, ille *sejunctus* esset a toto, i. e. *privatus* fieret ex publico : atque *Religio Civilis* (sic melius dicenda est cum Varrone, pro *Publica*) momentum princeps civitatis evadebat, quin Graecis formis ea se ostenderet. Ex hac vero antithesi *Sabaeismi* orientalis et *Idololatriae* occidentalis, in quibus medium tenebat Roma, illa *Repugnantia iniqua* Romanorum in alios populos repe-

tenda est; *a quibus eapropter, primis temporibus, nihil unquam assumsere illi* (minime vero XII Tabb. leges).

Ex hoc studio frigidi Intellectûs difficile non est, verbis exprimere Romanam indolem. Illud enim Καλόν Graecorum, Pulcrum morale, quo nihil unquam fingi sublimius potest, et quod omnis artis erat exemplar; quod incredibili ardore adpetebant; quo duce et magistro sublimia quaevis et grandia pepererunt, illud, dico, in Romano *Virtute* jejuna et horrida; levitas Graeca elegans compensabatur *Constantiâ*. Poësis illa, quae gratias spirans et amores, capit omnes ac delinit; artes, quibus quidquid fingendo attinebant Graeci, qualecumque illud etiam, sponte fiebat pulcrum; philosophia, quae et ipsa apud Graecos artificium, non austera fuit et horrida, sed in qualicumque boni verique indagatione versata, veram juventutis amabilitatem referebat, Româ exulatae, palmam *Armorum exercitationi* cedere debuerunt. Romanus enim nihil ad pulcri formam adcommodavit; nunquam sibi persuasum habuit, ex utroque, pulcro pariter et bono, patere ad virtutem viam; omnino fortitudine se commendare, quam cultu maluit; atque totam vitae venustatem in *Gravitate* posuit (quam sero ille reliquit interiorem, exteriorem nunquam; ut ne jocaretur quidem, nisi cum quadam solennitate). Hinc etiam Religio Romana justo tristior, qua homo nunquam ad boni *ideam* se informare potuit, summopere differebat a Graecorum divinis fabulis, per quas lucebant ubivis venustissimae imagines; quia hi ex humana specie formam divinam explicare nitebantur. Quaevis in Romano oriebantur ex quadam *Dignitate*, efflorescebant *Honoribus* Magistratuum, et confirmabantur *Imperio*. Nam Roma statim ab initio ad perpetuam defensionem coacta, plane *militaris* fiebat; mox, ipsa defensione, ad *occupandum* compellebatur: donec ex Occupatrice facta est *Protectrix* et exinde *Dominatrix* gentium. Quum haec omnia ex unius Urbis arbitrio fierent, tantam ea praegnantiam et auctoritatem nacta est; qua illud *Rem gerere* solenne quoddam et vox *Reipublicae* sacrosancta habebatur ita, ut hoc omne referretur ad *civitatem*, cuncta *sibi* adrogantem. Oriens COGNATOS aluit *homines*, Graecia CONDITOS vidit *patres familias* (δῆμον h. e. co-habitantes, oppidanos), Roma CONFLATOS habuit *singulos* (quasi μετ' ἄλλων, alterum juxta alterum, collocatos — *Cives*), qui propter solam *Militiam* adesse videbantur. Primum igitur hominum vinculum *sanguis*, alterum *locus* (urbs eadem), tertium vero *vis exterior*, *ratio publica*, *intellectus Magistratuum* fuit. In hac *civitate* tristem profecto beatitatem conspexere cives, quae solâ immensâ superbiâ continebatur, qua eam cum aliis tanquam *summum beneficium*

communicare solebant; quum *Peregrinos*, *Barbaros* et *Hostes* (i. e. exstirpandos : cfr. Cicero De Offic. I. 11) pro iisdem haberent, singulari vero gratia censerent *Socios Amicosque Populi Romani*.

Quo hostili ingenio ducta belligerare *debuit* Roma et arma inferre *omnibus* gentibus : diuturna esse *nequibat* salvâ civitate vicinâ : quod nemo nulli credidisset auguri, facto confirmabatur : Orbem nempe terrarum perpetuis pugnis eo usque perventurum esse, ut non superessent; nisi civitates duae, Roma et Carthago, quarum una everteret alteram. Verum quod jam tum habuit perspectum Polybius : Romam quoque aliquando, propriis manibus dilaceratam, pariter esse perituram; id quoque evenit, simulac dubia ista libertas, *necessario*, uni cesserat. Et quam brevi tempore populi Romani, omnium gentium victoris, libertas fracta est! Interea Orbis in Urbe mansit inclusus, in qua sedebant illi ratiocinatores et calculatores, qui reliquos tanquam rem ad publicum usum, non ad singulorum commoda adhibuerunt. Sed universa gentium, diverso ingenio praeditarum, totalitas non his septis et moenibus circumscribi potest, atque ruptis moenibus dilabuntur omnes. Altera ex parte primae Urbis rationes mutari nequeunt, quin omnia evertantur. Hoc vero ultimum fiebat primum bipartito, deinde quatripartito inter Augustos et Caesares imperio. Quaecumque denique in illa Urbe nata non erant, artes omnes et humaniores disciplinae, in eam induci non magis potuerunt : nam in ejusmodi civitate quodvis elementum peregrinum, quantumvis licet optimum, evadit pestiferum. Poësis igitur illa in sola imitatione Graecorum versabatur; Comoedia e Graecis iisdem in Latinum sermonem versa; Tragoedia, quam minime ab Romanorum ingenio alienam credideris, nulla : naturae simplicitas, et eapropter vis quoque creatrix ejus, ad abacum arithmeticum perierat : una *Eloquentia*, omnia computans atque se ad quamvis temporum rationem conformans, in foro et Senatu, in provinciis et coram exercitu interius, arma foris valebant et Romanis pro artibus fuere reliquis. Sed quae a nobis fusius dicta sunt, unâ continentur omnia Virgilianis his versibus (Aen. VI. 848) :

Tu regere imperio populos, Romane, memento!
Hae tibi erunt *Artes !*

Sic recte huic conflato populo *bellatorum* Hasta, belli symbolum (*Quiris*, *Queir* sive *War*, Germanica vox, *bellum* et *bellatores* — *Quirites* significat) et vitae fuit. Quid multa? Nonne illâ quoque sententiâ exprimitur illud *Intellectûs* imperium, qui ubi solus dominatur in hominem, quin ipse

regatur *Ratione*, cuncta ad rerum hominumque universorum concentum judicante, eâque mitigetur, coeli donum est omnium funestissimum. Sanctissimum adeo, nisi idem ab intellectu probetur, sibi soli studioso, sanctitatem amittit coram illo judice : pulcrum non per se pulcrum est, bonum non ob ipsummet bonum, nisi idem adroganti inserviat reipublicae. Ipsum adeo Genus humanum jure suo, si hoc jus displicet Romano, destituitur. Romanus ipse *singulus* non civis factus est, ut ad humanitatem se informaret; sed homo fuit, ut vel nolens ad civitatem adhiberetur. Interiit in cive homo et civis servus evadebat civitatis, pertinuit ad *rem* publicam, nunquam haec ad ipsum. *Servitus* vero propria eo fuit durior, quo minus ingenuis ipsismet sua libertate, quae se in re servili velut in speculo cognovit, uti licuit. *Patria potestas*, quae in intelligente homine ipsi naturae adversatur, durissima : quem enim premit civitas, ille, quam e communi naufragio salvavit libertatis speciem, eam eo exercet durius. Leges PRUDENTER *excogitatae* et *ad calculos putatae*, formae fuere dictatoriae, quae quidquid tangebant, convertebant in lapidem, vivamque interimebant mentem; quia coërcere, non colere potuerunt hominem. Viguit in Romano juris *prudentia*, non *sapientia*, non *philosophia* juris, in naturali jure innixa; fuere *responsa prudentum*, non *sapientum*. Haec vero prudentia ipsis *Ars* fuit (CIC. De Rep. I. 13) et quasi *Conscientia* Romana et *interior judex* (CICERO l. l. et pro Caec. 25). Verum qualis fieri ejusmodi populus potuit? Fastu intumescens, quodvis sibi arrogans, in alios superbus, cui solenne erat illud « *jubere* », illud « *placet* ». Quem gradum ille sibi in historia usurpat? Primum, h. e. infimum gradum, quo homo ad *Rationis* ideam evehatur, ad cultum et veram libertatem! Naturam matrem, dixeris, filiam maturius eniti voluisse *sapientiam*; sed natam fuisse, adhibito ferro obstetricio, *prudentiam*. Hanc sententiam nostram *Cicero* ipse confirmat, qui (De Rep. III. ap. AUGUSTIN. contr. *Julianum Pelag.* IV. 60) « hominem, ait, esse corpus nudum, fragile, infirmum ... in quo *tamen* insit *tanquam* OBRUTUS *quidam* divinus ignis *ingenii* et MENTIS ».

Hanc tertiam Romanorum artem, nam difficillimum quodque diligentissime exploremus, *Juris prudentiam*, quae se patefacit *Jurisdictione*, eo adcuratius contemplemur, quo magis ab ea celebrantur Romani; quo magis etiam illa recentiori tempori nocebat; quo interius denique cum hoc populo cognata et cum tota ejus expositione historica conjuncta est. Videbamus, indolis Romanae proprietatem eluxisse e strictissima hominum disjunctione et chymica quasi omnium elementorum decompositione : deinde

ex frigido propriae utilitatis computo et aridis plane omnique vita destitutis *notionibus* intellectûs. Ubi vero haec deprehenduntur, ibi necessario res quaevis et jura ad *singulum* referuntur; non quae conducant omnibus, sed quae competant singulis, exquiruntur : quidquid fit, cum invidia et iniqua concertatione efficitur; omnia acutissimis strictissimisque juris rationibus censentur; quod ad quemvis pertineat, minutissime definitur, quoniam quilibet paratus est, ut manum injiciat in rem altus. *Jus* DICITUR, *Aequitas* nulla est. Hoc modo innumerabiles ferantur leges oportet, constituantur termini, circa singulos ducti, angustae cancellae, ne egrediatur immanis et sui studio in reliquos incitatus civis, alium dilaceraturus, e proprio septo. Quum vero scissio ipsamet distinctionibus subtilissimis continuo augeatur atque effrenatum illud studium acuatur ipsa juris *anquisitione* et *cognitione*, quae nondum Ratione duce ad universalitatem ideae juris est perducta; consequens est, terminos etiam voluntatis privatae, h. e. leges, non solum in indefinitum multiplicari, verum etiam subtilissime dispesci et excogitari; intellectum denique computantem distinctionibus illis, cum juri ipsimet saepe, tum sanae menti adversis atque sensui etiam maxime communi deridendis, se adversus immites, irritabiles et invidos jurium obtrectatores, velut acubus, armari debere. Sic *summum jus summa injuria* evadit, teste Cicerone; sic haec *peritia* juris nunquam *sapientia* fieri potuit; ut ex ipsa adeo *Justitiae* notione, a Tullio enunciatâ patet, in qua ne umbra quidem ideae inest. Romanorum *sapientia*, ut hinc ordiamur « non ea erat, ut testatur *Cicero* (vid. De Amic. 5), quam adhuc mortalis nemo est *consecutus*; sed ea (interpretabantur sapientiam esse), quae sunt *in usu vitaque communi* » (cfr. De Offic. III. 4. Lactant. Instt. III. 14. VI. 6). Omnino *Ars bene vivendi* iis cordi fuit (Cic. Tusc. Qu. IV. 3).

Ex hac sententia facile intelligitur, quo pacto veteres omnino, et Romani sigillatim, sapientiam laudent dogmaticam illam, vetustam, inertem, a patribus acceptam, in qua re Plato (De Rep. II. p. 366) aeque ac Cicero (De Rep. III. 3. De Orat. I. 2, 48. III. 33. De Nat. Deor. II. 66) Socratem sunt imitati, qui *sapientiae* et *justitiae* laudes *ab heroibus priscis* repetere solebat (et quem hodienum imitantur permulti, qui *more majorum* quaelibet agenda esse putant; licet nec Socratis, nec Platonis illi sint discipuli). Nemo autem nescit, quam diversimode Graeci atque Romani illam *sapientiam* usurpaverint. Graecis enim Sapientia (Σοφία) erat artificium quoddam, ad bene (καλῶς) *Graecorum more*, vivendum excogitatum : quapropter ea etiam ulterius vagari potuit et ea esse, *quam hodie nemo mortalis sit consecutus*. Ro-

manis vero erat *Sapientia civilis*, i. e. *Justitia*, quae intra Romanae civitatis et ingenii terminos continebatur, h. e. *vita communi*. Hinc non minus adparet, quo modo Plato ille Graecus voce *Justitia*, *Sapientia* et *Virtute* promiscue et pro eadem re utatur (De Rep. I. p. 351): Καλά enim haec fuere omnia. Lactantius (Ep. 55) nullum discrimen inter Sapientiam et Justitiam admittit; quoniam utrumque, justum *sapiens* et sapiens ipsi *justum* videtur. Recte quidem ille: sed ne Plato quidem sibi constat; nec Aristoteles, neque Cicero hanc justitiam recte sibi explicare potuerunt (LACTANT. Instt. V. 17). Undenam tandem haec vacillatio? Inde, quod opinabantur, *justum* et *injustum* omnibus aeque percipi, ut fere dulce et amarum, frigidum et calidum. Atque illud jus universis cognitum, *jus naturae* vocarunt; quod ut illud praestaret, hanc habere provinciam crediderunt (CIC. De Rep. III. 5, conf. PLAT. Min. p. 315. HORAT. Satyr. I. III. 113). Quum vero animadverterent, id ab illo jure omnino non praestari, totum ad vivum resecuerunt (CIC. l. l., qui alio loco idem jus naturae omnibus viribus tuetur: De Legg. I. 15 sqq.). In hac sententia ipsum quodammodo confirmavit Carneades (et PLATO. De Rep. I. p. 338), qui uno die *laudavit* Romanis *justitiam*; altero *injustitiae* laudes peroravit. Hinc consequens erat, ut solum *jus positivum* verum haberent. Male profecto Lactantius (Instt. VI. 9) tuetur jus naturae, ubi haec profert: «Cur per omnes populos *diversa* et *varia* jura sunt condita, *nisi quod unaquaeque gens id sibi sanxit, quod putavit rebus suis utile?*» Si vero nunc, his rite perpensis, a Platone audimus, *legem justitiae aeternam esse et universalem*, Ciceronem quoque *De Summo* quodam *Jure* dicentem, quam *Rationem* adpellat (et describit De Rep. III. 17) et tamen utrosque aestuantes et hinc inde tractos videmus: nonne hoc gravissimum argumentum nobis est, illos ex suo quemvis orbe, *adolescentiae* et *virilis aetatis*, non exire potuisse; sed veram justitiae intelligentiam alii aetati fuisse reservandam? Haec vero aetas nostra est, quae nuper admodum de eadem re in diversas partes abierat; sed nunc invenit, quam veteres habere nequiverunt — *ideam Juris, verum illud jus naturae, ethicam illam*, qua diversa esse in uno, unum in variis potest; qua licet singulis esse *liberis*, et tamen *subditis*; *imperantibus* nonnullis, et tamen *legi obnoxiis*.

Jam quaeri jure potest, an veteres nullam omnino hujus ideae habuerint notionem? Hoc adfirmare ridiculum foret. Cur enim adolescens vir non *animo praesagire* poterit, quae sapiens *certo perspiciat*? Est autem manifestum, Graecos aliquot philosophos aliquem hujus ideae sensum habuisse; sed eum obrutum, in ideale quoddam artificis conversum, neque experientiâ

temporis praeteriti innixum, nec praesentiâ confirmatum; verum e futuro tantum tempore subobscure adparentem : unde quale illud esset, quod interioribus quasi oculis videbant et contemplando consequi studebant, adhuc eis latuit. Placere tamen idem maximopere debuit adolescenti, qui dulci quodam ardore ea potissimum quaerere solet, quae sunt maxime abscondita. Placet illud nobis quoque, qui res illis *futuras* nunc perspicimus *praesentes*. Neque in Graecis tantum exstitit illa idea, sed in Romano quoque viro adparebat, in *Cicerone* illo, de Re Publica scribente. Recte igitur Photius patriarcha, qui illos libros noverat, Ciceronis *novum quoddam* vocat *Reipublicae genus*, toto coelo a reliquis omnibus discrepans, quas habuissent antiqui; atque ipse eam Rempublicam *Imperium* adpellat *Justitiae*. In hoc opere Cicero noster omnibus civitatis elementis plenam aequamque libertatem et aequalitatem attribuit et optimam reipublicae formam oriri debere, opinatur, e conjunctione *Monarchiae*, *imperii Optimatium* et *Popularis*; siquidem ex tribus his generibus, ex quovis *optimum* et *purissimum*, eligatur. Satis recte haec. Attamen inde adparet: primum, Tullium nostrum *notionem* quidem habuisse de *monarchico* imperio, neque vero *ideam* ejus; unde illud mox cum *consulari* imperio suo, mox cum *vetusto regno* confundebat. Quod accidere debuit ei, qui opus suum in ruinis libertatis Romanae composuit atque ipse monarchico elemento *Dictaturae* obluctabatur. Quod *popularis* et *optimatium* imperii concentum adtinet, illud ipse indefesso studio per omnem vitam suam efficere conabatur, quum *judiciariam potestatem* ex aequo dispertiretur inter Patricios et Equites; neque vero efficere potuit, quia monarchicum illud principium deerat. Deinde ille nullam habuit illarum formarum conscientiam, quum de *absoluta* earum *puritate* loqueretur : nam puritas absoluta, si qua unquam esse potuisset, necessario elementa singula sejungère eaque a se invicem aliena reddere et alterum alteri opponere debuisset. Praeterea ejusmodi perfectio plane dogmatica sit et μακροβίωσιν civitatis assumat, quae est non-ens, quoniam in civitate quavis *vita* est, quae coli et emendari, igitur *mutari* debet; neque vero *inhaerere* in eadem forma. Quae res denuo probat, Ciceronem neque idealem historiae, nec vitae idealis sensum habuisse. Quapropter necessario recidit in *orbem intellectus*, quum *optimam* civitatis formam quaereret; quia haec talis adversatur ipsimet vitae vitali (h. e. ideali) civitatis. Nemo hodie nescit, heroem illum philosophum, Aristotelem (et Platonem etiam quodam modo) idem sensisse; utrumque vero tantum a se dissensisse, ut dici vix queat. Sistit enim Aristoteles *adolescentem* generis humani, e viva Poësi

transeuntem in virilem intellectum : Cicero contra egredientem ex orbe intellectûs in Rationis imperium *virum*. Quae res clarius etiam cernitur in *Somnio Scipionis*, quod Christianam fere doctrinam fiduciamque redolet. Est enim hoc somnium pars Reipublicae Ciceronianae *ultima* : unde eo magis est dolendum, quod, quae praecedebant, penitus perierunt; quia nunc latet nobis, quibus ratiociniis sanctissimus homo ad hanc conclusionem esset perductus. Certum tamen est, universalitatis studium, quo Cicero animatus rem aggressus est suam, ingenio illius temporis *circumscriptum*, extendi et ampliari debuisse ipsâ Christianâ doctrinâ : semenque interioris libertatis humanae primum mandandum fuisse animis hominum, ad recipiendum paratis; mundum igitur illum coërcitivum Romanum interire debuisse ante, quam quis totum Ciceronis opus intelligere potuisset. Quid vultis? Ipsa Ciceronis doctissime de Republica scripta disceptatio interire, et per longam medii aevi noctem consopita quasi dormire debuit; quoniam, cum istis temporibus parum conveniret, ab illis hominibus intelligi nequibat. Hac causa codex aurei libri palimpsestus fiebat, in qua obscura aetas ineptias inscriberet suas; quum in ea omnino nihil inveniretur, ad *illius* captum adcommodatum. Haec causa est, cur tam sero e mortuis resuscitaretur immortale opus. Atque Tullius ipse, cum Catonem arguebat, quasi pia modo somnia de restituenda Romanorum republica narraret, quae bono potius tempori patrum, quam suis rerum tempestatibus convenirent, suae Reipublicae sortem augurari potuit. Deest enim regno Ciceroniano fundamentum libertatis interioris, citra quam optima reipublicae forma ad reliqua somnia est reponenda.

Redeamus, unde sumus digressi. Quum igitur Romani ignorarent illud Ethos, fontem omnium jurium, vivam legum vitam, consequens erat : ut leges eorum non ipsae tantum essent formae inertes atque manerent; verum mores quoque, qui partim ex illis duci, partim ipsasmet emendare et colere deberent, nihil in eorum animis efficerent. Absque moribus esse non posse civitatem, bene intellexit Cicero (De Rep. III. 19. coll. De Amic. 12. VELLEJ. PAT. II. 1. PLIN. XXXIII. 11.) et Augustus quoque certo comperit, reparatis tantum moribus rem stare Romanam posse. In eo tamen fallebantur egregie, quod *antiquos* mores revocandos esse credebant; eo etiam, quod quae morum pars evanuisset, eam legibus et jussibus revocari posse rebantur; eo pariter, quod suae aetatis ingenium aeque ac veteris indolem minime habuere perspectam; igitur non videbant, cum Romanis rebus aliam reipublicae formam non quadrare, quam *veterem Aristocratiam Patriciorum* : eo

denique, quod adeo erant occaecati, ut non viderent, Urbem jam pridem interiisse in Democratiae furore. Ex ipsa domo, e familiae penetralibus, e prima juventutis informatione; e sano judicio praeteriti temporis (quod Romani propter intellectûs, omnia dilacerantis, rigidam individualitatem habere nequibant), ab exemplo clarorum virorum, civitatis moderatorum; e veriori cognitione patriae et indolis popularis ejusque cultûs historici; e diuturno et sincero patriae amore et vera civium non magis, quam aliarum civitatum, tolerantia; ex hac aequa Juris et Justitiae idea sponte crescunt mores, iique firmiores, quam quos fortissimi quique hostes eradicare possint.

Ut denique ultimo loco, quod etiam in Graecis fecimus, Romanos comparemus cum aliis gentibus, haec pauciora proferre lubet. Moses Israëlitas jusserat, ut terram concessam usque ad certos limites extenderent; neque vero ultra. Voluit enim suum populum *a gentibus aliis penitus sejungere.* Romulus (et Spartani) *nullos* unquam terminos posuerunt, ut populares sui *omnia referrent ad ipsos sese*, ut *fierent hostes formidati omnium.* Singulis Numa agrum dedit singulum, ne sibi hi, re incertâ, *vicinorum agrum adrogarent.* Germani agros habuere omnibus communes (Almeindas) *quia commodum cujuslibet privatum utilitati universorum non adversari videbatur.* « Ubicumque Sol oritur et occidit, Persae dicebant, eo imperium nostrum patet » ; quoniam *aliud totum* agnoverunt nullum, nisi suum ipsorum. « Ubi oliva crescit et ficus, Athenienses jurarunt, nostra terra est » ; quia alios etiam juxta se habitare non ignoraverunt. « Nec olivam nec ficum plantabitis » jussit Romanus, ut majori essent *sua* pretio. Postea : « *Plantate modo et conferte !* » [Vid. Cic. De Rep. III. 6. — Non secus Poeni : Aristot. Mir. aud. p. 708]. Pariter Spartani lubenter idem concesserunt omnibus — *Helotis*, et Romani — *Servis publicis*, in quos *populos* convertere amarunt.

Quum igitur Romani ipsamet ingenii sui naturâ essent superbi et sibi solis studiosi; eo illi adrogantiores facti sunt, quod universam terram ut suam considerare consueverant: quod ex Asia in Germaniam; ex Africa in Achaiam; e Bajis thermis, protervitatis plenis, in Belgium; e Gallia in Senatum; e Senatu in villas, omnibus rebus abundantes, concesserunt : semper peregrinantes, mundumque ut suam Urbem, Urbemque pro mundo habuere et ipsos se pro hujus mundi dominis. Non certe ingratum est legere, quo facili saltu illi a *domo* ad *Urbem*, ab *Urbe* ad *orbem*, ab *orbe* ad *mundum* transsilirent (Cic. De Rep. I. 13). Quamdiu igitur hac Urbe includebatur civitas, tamdiu singuli quoque patriâ continebantur unâ. Ubi vero dubii hae-

rebant inter Romam et Constantinopolin, fracti sunt et distracti fasces invincibiles Lictorum, *olim* lauro cincti. Haec igitur *fuit* aeterna Roma, imago intellectûs, cujus imperium unâ cum Romanis eversum est. Aetas virilis Generis humani desiit, simulac Roma esse desierat. Haec stare nequibat, nisi antiquis moribus suffulta! Haec autem singularis est per totam veterem historiam adparitio, civitates diuturnas esse non potuisse aliis, quam antiquis moribus; qui tamen ipsimet durare nequiverunt. Contra recentiores civitates necessario intereunt, si quae justo magis antiquis inhaereant moribus. Utrumque vero probat, vitam hodie vivam animare universos eamque universalem, quae, apud veteres illos iners, ex una tantum parte efficax esse potuit; ex altera parte in materia inerat, seu Rationis fastigium nondum erat adepta. Utrum vero mores servari, et igitur perpetua esse Urbs potuisset (ut CICERO opinatur: De Rep. III. 19) nec ne; nemo ambigit. Nam mores coluntur cum ipso homine; mutantur cum ipsa Urbe. Demtâ igitur e moribus animâ, ubi cum sociis et amicis Populi Romani cives quoque, qui antea consulto paruerant, nunc subigebantur pariter; ipse adeo Cicero de Urbis aeternitate sollicitus erat (cujus sententiam amplectuntur HIERONYM. in Ezech. Proleg. III. AUGUSTIN. Serm. V. 10. LACTANT. Instt. VII. 14). Illa anima e moribus evanescere *debuit,* quum illimitato populi studio occupationum, reliquis gentibus sub jugum missis, ex adverso posuisset aeternus rerum arbiter Romae Carthaginem, et eâ cum Corintho eversâ, Asiam. Cujus divitiis ingenium populi corruptum et in pejus versum, sententiae quoque et actiones populi mutari debuerunt. Sic Roma, quae quo magis increvit, eo plura adpetivit, stare non potuit, nisi ulterius progrediendo; salva non esse salvis reliquis. Debuit igitur crescere ultra omnes fines et terminos, et eapropter labi necessario; quia, rationibus perperam ductis, nihil, ne per somnium quidem, augurabatur de gente, extra terram, illi cognitam, degente, *Germanica.* Cecidit igitur, non naturali morbo, sed *superabundantia:* quod fere hydrope laboranti solet accidere, qui quo magis bibit, eo vehementiori agitatur siti; et eo avidius ingerit aquam, quo ipse celerius in aquam convertitur: qui quo citius imminuitur, eo plenior fieri videtur; donec ipsa corporis impletione interit, ubi recuperare pristinam valetudinem quamardentissime cupit. Hunc miserum imperii statum bene perspexerat Augustus: quapropter celebri *Rationario* suo addidit *consilium* « *coërcendi intra terminos imperii* » non, profecto, incertum (ut TACITUS credit) *metu*, an per *invidiam!*

Quinam igitur fons erat morum Romanorum? Civitatis prima constitutio,

Aristocratia in Religione Civili innixa. Quomodo mutabantur illi mores? Mutatâ Constitutione! Haec paucissimis videamus. Posteaquam enim vetus *Aristocratia Patriciorum*, quae se *Comitiis* CURIATIS manifestaverat, jam Romuli et eorum regum, qui ipsi proxime successerunt, arrogantiâ perturbata, *Censu* Servii Tullii in *Timocratiam*, civilibus motibus et partibus praegnantem, *Comitiis* CENTURIATIS expressam, transierat: quum e potestate *Tribunitia* effrenatâ exsisteret in *Comitiis* TRIBUTIS *Democratia*; tota jam vis civitatis fracta erat ita, ut immensâ tantum superbiâ illimitatoque occupandi studio *res publica* illa, nomine magis, quam re, contineretur; donec utrumque in *Augusto* interiit, qui unus et solus publicae rei personam egit. Ubi vero Praetorianis auctoribus dominatio Asiatica Europam invaserat, atque « externum decus omne vestium, ornamentorum et colorum » ab Asiaticis barbaris mutuaverat Diocletianus: ubi pro Virtute segnities, pro Continentia mollities, pro Mediocritate luxuria, pro Gravitate vitae morum ista solutissimorum lascivia invaluerat: ubi Constantinus, nefarius ille dominator, quem injuria *Magnum* vocaverunt, *definitâ ecclesiae Orthodoxiâ*, ultimam liberi animi flammulam exstinxerat: tum de aeterna Roma actum erat.

Ut autem nunc hanc disquisitionem terminemus, quaeramus: Quamnam vim Graecorum Romanorumque ethica natura exerceat in legentium animos? Licet nemo facile inveniatur, quin, modo utriusque populi historiis naviter operam dederit, ipse sentiat, *Graecarum res intuentem totum* INCALESCERE; *Romanas perlustrantem paene* FRIGEFIERI; nihilosecius Romanarum rerum intuitu *fortitudinem* nobis et *constantiam accrescere*; cum bullans Graecorum vita nos *levitate sua offendat* [quam rem sapienter observavit magnum *Richteri* illius (Jean Paul) ingenium]: hoc tamen est singulare maxime atque inprimis mirabile, ne dicam, incredibile, quod idem rerum hamanarum acutissimus indagator est expiscatus: « Cognitionem nimirum historiae Romanae animum *elevare ultra injustum studium propriae utilitatis*; historiam contra Graecorum plus adferre *individualitatis et libertatis*; et tamen utrumque *in rerum natura adparere penitus inversum!* » Quid? Nonne in hac quoque re conspicuum est *Historiae* numen, *contrariarum rerum conciliatricis?!*

VIII.

Priusquam pestiferum mortui corpus esset elatum. Haec, profecto, ipsa fuit calamitas. Quo enim purior et quasi lacertosior quaedam gens est, eo facilius et certius veneno alterius contaminari solet. Atqui, gentium omnium validissima fuit Germanica, eo tempore, quo in Romanum imperium

irruebat ; omniumque populorum corruptissimus fuit Romanus ejusdem temporis. Igitur mirum non est, quod inveterata pestis se insinuaret in viscera juvenis gentis. Praeterea verius nihil esse potest hac sententia : Gentem quamvis, quae peregrinum jus peregrinasque leges adsumat, popularem proprietatem suam deserere, sua quasi natura inopinato destitui, inque altera interire. Non minus verum est, quod quaevis historiae pagella testatur : Quo ferocior et incultior gens fuerit occupatrix, eo eam facilius devicti populi moribus et institutis se adcommodare. Nam regendi sunt subacti populi, terraeque colendae et administrandae : regulae autem, quibus solis id fieri potest, et formae, quibus illud fieri debet, praesto sunt et populo ipsimet superstites. Atqui gens occupatrix *Germanica* fuit : instituta illa fuere *Romana;* unde facile consequitur : Germanos formas usurpasse Romanas, ex legibus Romanis jus dixisse ; suae linguae gravissimae et sempervirenti immiscuisse elementa Italica, sordibus et scoriis plena. Utinam igitur nostri cum putido simul corpore *compedes* quoque Romanos, leges scilicet, sepeliverint ! Tunc enim nemo de medii aevi barbarie quereretur : progressus autem, quos ingenium Germanicum propriis viribus facere ; cultus, quem e sua natura ducere potuisset, dici nequit, quanti illi fuissent; tanti tamen, quantos gens integra, ipsamet naturâ excellentissimis ingenii dotibus praedita, novem saeculis facere necessario debuisset. Sicut enim in quovis homine et in totis populis absolutum jus (*Jus naturae* sensu optimo) est ingeneratum, h. e. juris idea, quae tanquam anima per totam vitam spirat et mutuam in gratiam ab ea excitatur; ex qua mutua ratione sensus creatur moralis : sic Germanus suam habuit sibique privam juris ideam, e *suis* productam moribus, eosque mutuam in gratiam effigurantem et emendantem. Quodsi vero (Gravina teste) Jus Romanum nil aliud sit, nisi Jus Naturae, ad *rempublicam Romanam relatum,* civitatisque manifestatio, ex Romanis moribus et cultu exposita; citra ullam controversiam sequitur : illud Romanum jus Germanis nihil aliud esse potuisse, nisi *subactionem morum Germanorum et indolis eorum sub Romanos mores et cultum*, *atque putrefactum et pestilentiâ corrosum contagiosumque imperium.* Sic igitur *Jure Romano nunc sordet omne jus patrium* (neque vero, ut temere scribit Bynkershoekius, *omne jus patrium sordet* absque *Jure Romano*). Illud vero Jus Romanum non modo per medium aevum viguisse, sed everso adeo occidentali imperio nunquam desiisse, probare superfluum ducimus. Probavit enim jam pridem D. A. D'Asti (Del uso ed autorità della ragion civile nelle provincie dell'Imperio occidentale cet. L. I. c. II; in Napoli 1720-1722. 8). Reliquos, si qui fue-

rint, dubitatores relegamus ad SAVIGNII doctissime scriptum opus (*Geschichte d. Rœm. Rechts im Mittelalter*. Heidelb. 1815 sq. 1822. 1826. Voll. IV. 8), non ad unam alteramve ejus pagellam, sed ad integros libros.

IX.

Quum haec maxime sit provincia nostra, ut hodierni temporis ingenium, quod est ingenium aetatis Germanicae, exploremus; adcuratius oportet in hoc ipsum inquirere, ut interioribus sensibus percipiamus, *quale* illud fuerit *omni tempore*. Quod fieri nequit, quin primum, undenam Germani suam repetiverint originem, sit expositum; qua re vim naturae, in illorum hominum animos efficacem, rite judicemus.

Tacitus autochthones vocat Germanos? Per me licet; si quidem autochthones illi dicantur et habeantur, quorum in illas terras adventus omnem traditionem antecedit. Usurpant tamen hoc alii naturali sensu. Numen enim, ajunt, ubique terrarum hominis creationem repetere potuisse! Non infitior: sed mihi credant, numen creationem totius naturae *partium* non repetere, neque uti miris, nisi sit necesse; verum ingenerasse cuivis animanti semen suae speciei, ut procrearet et multiplicaretur. Praeterea haec sententia non quadrat, neque cum traditionibus vetustis, neque cum natura ipsamet. Hujus enim indagatoribus cognitum est, *ultimam* naturae creationem fuisse hominem; eumque non exsistere potuisse, nisi in natura et sub coelo plane privo et ad perfectissimum quodque procreandum singulari quodam rerum concentu idoneo. Quodsi igitur verum sit, quod de *immani* natura priscae Germaniae refert auctor noster; aeque certum est, hominem ibi, sola vi naturae, nasci non potuisse. Venere itaque Germani aliunde. Unde tandem? Missis aliorum opinionibus dicemus nostram. Germani igitur, haec nostra sententia est, descendebant ex *Oriente*, sed eo *septentrionali*; ubi nondum aliud ipsis fuerat cum reliquis gentibus commercium, quam belli. Est autem terra in utraque veteris Imai parte latissime patens, cui tum nomen fuit *Scythiae*, extra et intra Imaum (h. e. terrae *incognitae*, extra et intra *montem*). Per illas terras vagabantur gentes *numerosae* (quatenus palans hominum genus *frequens* esse potest). Immanes fuisse et omni humanitate destitutos, inprimis *Graeci* scribunt: fallax sententia; nam Scythae fuere, qui urbes incolebant et agrum colebant; alii, qui regibus parebant; alii nullo domino subjecti, nomades, maxime liberi (HEROD. IV. 10. 17 sqq. 53 sqq. 57. VI. 81). Undenam igitur illa barbariei fama? A Medis duxit et Persis originem. Scythae enim nomades continuis migrationibus susceptis,

nonnunquam in *meridionalis* quoque Asiae terras incurrebant, amplissima imperia illa victoriis et rapinis peragrantes, Medosque et Persas, *filios solis*, (unde ipsi dicebantur *filii noctis et tenebrarum* : *Iranii* illi; hi *Turanii*) absque ulla vitae socialis elegantia contrectantes. Inde illae lacrymae. Quisque nunc videt, nos Germanos non e Persis oriundos credere, sed e Persarum hostibus. [Nec tamen desunt in historia veteri exempla : FRATRES sibi *hostes exstitisse* acerrimos. Unde *Germanorum* cum *Persis* et *Scythis similitudo* non plane negligenda. De qua re, circa Scythas, vide HEROD. IV. 59 sqq. 67 sqq., coll. 64. 66. 70. 72. 76-80. VI. 84 : circa Persas I. 133 sq. 136. 137, coll. VII. 194 et VI. 30. III. 22. V. 18. IX. 82. VI. 19]. Quod ut melius intelligamus, tenendum praeterea hoc est : Primis statim temporibus (hoc enim sacrae literae perhibent) *Japeti* filios, reliquis inimicos, ex Asia media exisse in septentriones, ac nullam deinceps communionem habuisse cum illis, qui in patria gentium mansissent; sed utrosque sibi exstitisse perpetuos acerrimosque hostes. Unde simul intelligitur, quo pacto Germani illi, h. e. Scythae illi, gens facti sint plane *propria*. Turanios nostros non raro appetivisse felices Asiae mediae, patriae antiquae, terras, nemo ignorat (HEROD. IV. 11 sq. coll. I. 15. VII. 20). Quum autem id efficere non possent, ut *occupatas* terras *tenerent;* nobis videtur, eos (partem eorum, qui Imao in occidentem sedebant) *in occasum* versus se extendisse, ultra Caspium lacum et Pontum Euxinum, ubi superato *Rha* (Wolga) fluvio, ex Asiatica (suâ) Sarmatia in Europaeam transierunt : exinde magis in meridiem descenderunt, in terram *Bastarnarum* (quam *Germanorum* patriam plurimi adpellant). Postea in Moesiam et Thraciam; ex qua, jam Europaei facti, transfretarunt in Asiam Minorem, eamque (ibi) sub nomine *Galatarum* (Gallorum) tenuerunt. Quod vero adtinet ad hos Gallo-Germanos, satius duximus, repetere, quae de iis protulit vir magnus nobisque inprimis dilectus [J. L. HUG, Einleit. in d. Schriften d. N. Testam. Stuttg. u. Tübing. 1821. (II. 8) T. II. edit. 2. p. 316. sq], qui, « Galatiae, ait, seu Gallo-Graeciae incolae natio sunt, nobiscum (Germanis) adfinitate et sanguinis cognatione conjuncta. Duo Gallorum catervae, *Trocmi* et *Tolistoboji* (sic enim eorum nomina a Romanis Graecisque contorta et mutilata sunt) atque gens *Celtica*, *Tectosages*, *lingua* et *moribus* iisdem, ut perhibet scriptor vicinae terrae (STRABO L. XII. p. 390) annis ducentis quinquaginta et quod excurrit, ante Ch. n. illam Asiae partem armis subjugarunt, quae ab iis *Galatiae* (seu, Graece, *Galliae*) nomen est sortita. Quod eorum linguam adtinet, Hieronymus ille (qui Galliam aeque ac Treviros cognoverat) hoc

praecipue observavit, quod est maxime tenendum, eos dialecto fuisse usos eâdem, quae, suo tempore, apud *Treviros* esset in usu (Hieronym. Proleg. in Ep. ad Galat. L. II). Quae res Germanicam eorum originem probat; quod eo magis vero est simile, quia longo ante Hieronymi tempora Germani terras Mosellanas tenuerant; Treviri vero Germanicam suae gentis originem, quavis occasione oblatâ, non sine quadam ostentatione profitebantur, simulac quis eos cum Gallis confundere conabatur (Tacit. Germ. 28). Haec Hieronymi sententia aliâs quoque probatur. Livius enim (XXXVIII. 16) catervae primae ducem nominat *Lutarium*, Germanicum utique nomen (quod *Clotarius* aliâs, h. Luterus scribitur). Praeterea Tectosages [Volcae (populi) Tectosages] apud Caesarem (B. G. VI. 22 : Beatus Rhen. e regione Teccensi Wittenbergica eos repetit) quoque audiuntur, qui, quo tempore Brennus cum Gallis Romam cepit, duce *Sigoveso* (hoc etiam nomen penitus est Germanicum) in Hercyniam silvam se contulerunt. Tectosagum catervam, quinquaginta fere annos postea, Brennus junior in *Thraciam* duxit; qua illum augeret exercitum, qui Asiae cupiebat agmina augere : nam Lutarius ille novas advenas adsumsit cumque iis Asiâ potitus est (cfr. Liv. l. l.) ». Alii, ut nunc, qua coepimus, pergamus, Danubium et montium tractus, qui cum Alpibus Rhaetiis cohaerent, illos secuti, per Pannoniam, Noricum, Rhaetiam se explicuerunt et Helvetios; mox per totam Galliam (propriam) discedentes et, eâ repletâ, in Hispanias excurrentes (ubi Celtiberes dicti sunt). Pars ultra Carpathos montes tendebat, in *Germania* vera [ubi nomen a Gallis — propter metum hastarum (Ger) hi *manni* (h. e. *milites* s. *bellatores*) sortiebantur] considebant. In septentriones quoque, in Chersonesum Cimbricam, in Scandinaviam, aliâs, alii egressi sunt. Haec vero non uno alterove anno; sed per saecula multa gesta fuisse, vix est, cur moneamus. Nam illae incursiones Romanis quoque ab inde Marii temporibus usque ad imperii interitum constanter accidebant, per sex circiter integra saecula.

Quibus rebus expositis dubius esse nemo amplius potest, quos omnino Germanos velimus et qui fuerint, nostrâ sententiâ, hodiernae Europae satores; quibus igitur haec aetas recentior nomen ingeniumque debeat.

Ex hac rei expositione sequuntur multa. Primum : Hominum genus *novum*, in septentrione, e terra, naturae vigore insigni, sed aspera et inhospitali natum, inque ea eductum : absque ullo vinculo vitae et consuetudinum mollis, effeminatae soporeque nocturno constrictae Asiae meridionalis. Inde corpus robustum, vegetum, sanum, procerum; animus purissimus, nullis

unquam artis illecebris subactus atque delinitus; nullis rerum politicarum tempestatibus ac studiis ad dominandi cupiditatem immoderatamque rerum suarum sitim, superbiam et arrogantiam adsuefactus; verum infucatus et nativus, naturae simplicitatem referens, ad omnes res sententiasque excipiendas adcommodatus.

Deinde : Vita nomadica, mater et tutrix *naturalis cujusdam religionis cultûs* et morum antiquorum; non pastoritia illa, verum bellicosa, ubi catervae in catervas singulas bellant; gentes cum gentibus, absque ulla fere interruptione, manus conserunt. Unde illa virium exercitatio et animorum fortitudo inflexibilis invictaque; non coacta illa et legibus praescripta, sed libera et sui conscia. Non secus interior commilitonum amicitia, sanctissimaque foedera ad quodvis periculum commune obeundum inita, quin foedere juncti, eapropter deserant proprietates quisque suas, quin sensum communis populi et patriae abjiciant.

Tum : Singularis plane in hac una gente adparitio : eam scilicet nunquam cum alia gente mixtam fuisse; nunquam confundi potuisse : qua re illa corporis aeque ac mentis integritatem primaevam semper tuebatur. Inde sensus quidam mirabilis propriarum virium vigorisque indomiti, huic genti cognatus; e perpetuis migrationibus, quibus magnam orbis partem peragraverat, creatus et confirmatus. Ex quo nascebatur studium absolutae nullisque terminis circumscriptae libertatis, ne dicam licentiae; sed non minus, quia fortissimus quisque maxime fugit et contemnit dolum et perfidiam, illimitata pariter in alios fiducia, candor animi et integritas, amor justitiae et aequitas; foedus bonorum et fortium virorum (ignavos enim velut pestem a se amovere solebat), belli studium insatiabile, vitae aerumnis vacuae cogitandique rationis socordia.

Praeterea : Hic libertatis sensus, pugnis alitus et sublevatus, adpetentiam belli, velut vitae singularis cujusdam oblectamenti, peperit; et ex hoc belli amore liberum procreavit inter liberos viros ad gerenda bella consortium; quo illa communio bonorum (fortium) arctius etiam contrahebatur ita, ut dissolvi nulla vi posse crederetur. Sic bellum in vitae illecebris et in ludorum generibus habitum : optimus vero belli fructus censitus HONOR. Hic, per remotas terras et futura tempora efficax, conspiciebatur tanquam GLORIA, Barditu aeternitate donata, ad vitae futurae beatitatem necessaria; in praesentia vero et inter populares ostentabatur SIGNIS (hodie *Insignibus*), in pictis vario colore clypeis validissimorum heroum sedulo et religiose expressis (unde deinceps *Signa Heraldica*).

Denique : Quum, ubi continuo migrat et foris excubat vir, nullis sedibus adstrictus, mulier quoque fidissima vitae pericula cum eo partiatur; in mulieribus etiam enascebatur illa belli fortitudo et animi firmitas et periculorum contemtus. Unde ipsae saepe vacillantia virorum agmina objectis corporibus restituebant, clamoribus, precibus ad acriter resistendum exhortabantur, caesumque conjugem, quocum his commodis et incommodis per reliquam vitam abunde fruebantur, nullo mortis timore territae, ad inferos sequebantur. Unde Germanorum casta illa et sublimis caritas, inviolatusque in mulieres amor, per totam aliarum gentium veterum antiquitatem inauditus; in Germanis summae notae; in historia mundana, cujus memoriâ ille est dignissimus, aureis literis consignandus, tanquam unicum et huic recentiori aetati plane privum exemplar.

Haec Germanorum indoles atque hujus indolis vis per omnia deinceps saecula praegnans exstitit; ex quo tempore Arminius (Her-mann) in saltu Teutoburgico perversam Romanorum arrogantiam perdomuerat, *certisque limitibus* (quae terminos agnoscens nullos, positis terminis interire necessario debuit) incluserat. Nunc enim Romani fluctus, quasi glacie adstricti, consistere; gentes autem suppressae ubique resurgere coeperunt, cum Varianis legionibus robur Urbis, invictum adhuc, fractum — et futura rerum humanarum beatitas incolumis, ab interitu inevitabili tuta et sarta fuit.

Quibus in universum prolatis, videamus de hoc proprio Germanorum ingenio sigillatim. Nam huic genti, quaecunque ad eam pertinuere, priva fuere omnia. Coelum proprium, asperum, neque vero frigidum nimis; satis foecundum ut proferret necessaria; non satis ad luxuriam : ceterum homines procreans corpore robustos, hocque robur confirmans et sustinens. Inde illa (de quibus Tacitus loquitur) procera corpora, valida, agilitatis plena, in universum venusta : crines flavi (quos Romanae inprimis matronae ipsis invidebant); oculi caerulei, placido igne animati (quos temere imitari Romana artificia nitebantur) : color oris mixtus candore ruber, tam purus, venustus, nativus, ut cum eo comparata Romana cutis nigra videretur. In hoc pulcro corpore ingenii satis, ab initio incultioris; pro prudentia enim fallaci fuit animi celsitudo et casta integritas; pro peritiâ illâ sana quaedam et simplex ratio : haec vero nullis artificiis polita, neque moribus alienisque elementis mixta. Vitae liberalitas absque lucri studio, quasi involuntaria. Libertas non ad Graecorum Aristocratiam, seu Romanae cujusdam Civitatis modum, composita; sed ad singulorum voluntatem et individuali-

tatem. Hinc animus excelsus et voluntas stabilis; hinc iracundia viri nobilis et generosa; hinc in ipsa pugna amor, inque hostes et inimicos fides et integritas. Magnanimitas non ad calculorum rationes utilitatemve conformata: hominum sancta aestimatio, eaque in Romanum adeo Gallumque aeque vera et religiosa.

Hoc modo quidquid apud antiquas gentes sejunctum erat et solitarium, id apud Germanum unitum adparuit et concinens. Civitas fuit interior universorum *unitas* in pace; *conjunctio* omnium exterior in bello. Bellum in conventibus populi declaratum: ex iis procedere *civis* in pugnam *armatus* solebat. Dux enim pacis (princeps) idem belli dux erat (nunc *Herzog* adpellatus); et qui ipsis praesto erant centuriones, illi simul fuere pagorum judices (*Comites, Gogrefi*). Populus igitur et exercitus idem; idem, qui de bello *consuluit* atque manu sua *gessit* bellum: neuter alterius osor invidus; nam civis erat et liber, quicunque ensem frameamque auctoritate nactus fuerat; utrumque is tantum obtinuit, qui *ipse* agrum possedit sufficientem. Nam ad quodvis negotium natura adpellavit et sensus communis duxit Germanum. Nemo cogi, nemo liberari potuit, nisi *naturali lege*. Omne discrimen hominum *in re* erat, nullum *in persona* positum.

Summum bonum et, tempore urgente, unicum, *patria* habita, non *vacuum nomen*, non *inrita notio*, significatione carens; sed viva vita singulorum, universorum. Complectebatur enim et sinu fovebat patria vitam et rem, libertatem et tranquillitatem, matrem-familiâs, gentem totam et reliqua. Quam igitur longe differunt a Romanis reliquisque antiquis populis Germani! Romanus *jure* tenebatur (quod *jussus* erat), Germanus id tantum agnovit, quod *ratum* esset (*rectum*, nec in unam vergens, nec in alteram partem, sed quod medium tenens, aequa lance aestimabatur). Apud Romanos *Magistratus* fuere, (qui magis pollebant); apud Germanum in jure et justitia omnia fuere *aequa*. Graeci *Eupatridas*, Romani *Patricios* noverant, quae Germanis incognita res fuit. *Omnes* enim *armati* adparebant, in publicis, in privatisque rebus judicandis; quicunque arma ferebat, reliquis censebatur aequalis, qui iisdem utebantur eodem jure. Quod vero postea *Notabiles* (*Nobiles* Tacitus vocat) arctius coirent et majori essent in pagis regundis auctoritate, plane naturale est. Hoc tamen tenendum, nec *Nobilitatem* eorum a *nativitatis splendore*, neque *potentiam* a *spoliis, civibus ereptis*, duxisse originem: sed utramque a rebus egregie gestis et luculentia agrorum esse natam. *Auctoritatem*, non *potestatem* illi habuere, praeter eam, quam elec-

tione liberi populi seu grato ejus animo nacti sint: quam auctoritatem nonnunquam ejusdem populi benivolentiâ etiam liberi eorum obtinuerunt *hereditariam* (quae hereditas in populo non libero et ingrato cogitari nequit et apud antiquos hoc modo non invenitur). Quo enim aliquis est justior et aequior, eo majorem ille habere gratiam benefactoribus solet: qui gratus animus eo est purior, quo majori libertate utitur is, qui gratias refert. Hoc igitur modo illi Nobiles fuere *Moderatores* (*Chuonige*, reges) et *Duces* (*Herzoge*) aliorum; ut tamen premente tempore quisque se suis dotibus commendare posset et sua quemque *nobilitaret virtus*.

Ut illi tyrannidem *publicam*; sic etiam *privatam* et *domesticam* ignoraverunt. Nulla erat in hac gente *patria potestas*. *Infantia* naturae relinquebatur, h. e. *matri*; *puer* tradebatur virtuti, h. e. *patri*, qui eum armis exercitaret. *Adolescens*, primo hoste caeso, *sui* erat *juris* h. e. *libertatis*; *vir* denique *juvenis*, praedii possessor factus, *civis* evadebat inter cives, proprio agens consilio. Apud Spartanos filii filiaeque nec ad patrem pertinuere, neque ad matrem, sed ad rempublicam: ex hominibus factae sunt *machinae ferreae*. Apud Romanos in patris quidem *potestate* filius erat, sed mansit etiam, cum patre simul, *civitatis servus:* homines in *lapides* conversi sunt. Apud Germanos quisque *sui* habuit dominium: ex hominibus nascentibus *perfecti* evadebant *viri*. Singuli homines, ut primum ad humanitatis dignitatem et sensum pervenerunt, simul vitae felicitatem suae persentiverunt in beatitate universorum: qui sensus in Germano ita est ingeneratus, ut res ejus et persona ad eum esset conformata: quod breviter in *pagorum constitutione* explanabimus [qui enim plura desiderat, ea inveniet in Fr. J. Dumbeckii Geographia Pagor. partis Germaniae, XII maxime saeculi. Berolini 1816. 8. Quam necessaria sit adcurata Pagorum descriptio, in omnibus terris Germanicis (nostro sensu) instituenda, e sequentibus etiam patebit. In nulla tamen terra ea res magis videtur necessaria, quam in nostra: quapropter id egi, ut (ante hos novem annos) magnam partem Geographiae Pagorum nostratium a discipulo, C. E. Imbert, eruendam curarem. Prostat Comm. in Annalib. Acad. nostrae a. MDCCCXVIII — MDCCCXIX].

Terram illi *naturalibus* tantum limitibus circumdatam, *Au* vocaverunt (campum, rus), *marcam*: intra eam *Gentes* consederunt, quemadmodum eas opportunitas adduxerat. Haec terra limitibus, *arte* constitutis, *circumscripta*, sive ad fluviorum rivorumque decursum *consulto* limitata, *Pagum* constituit (*G'Au*): in eo *Communitates* degerunt, seu populi ejusdem ma-

jores minoresque *partes*. In hoc pago *quisque paterfamiliâs* agrum suum habebat, plus minus amplum, quem *palis* seu alio *sepimento circumsepsit* (*Haag*) : haec *villa* seu *praedium* dicebatur (*H'au*, *Hof*, *Habe*, h. e. *possessio* seu *proprietas* : eandem *Gereidam* quoque dixere s. *Hofreihte*, h. e. fundum, *certis certoque ordine dispositis septis* sejunctum). Quod reliquum erat, ad *Universos* pertinuit, ad *Communem usum*, et *Almeinda* adpellabatur [i. e. omnibus *Mannis* (Al-mannis) seu *omnibus civibus* proprium]. Sic singulum inerat in universo : portio singula in pago, pagus in marca, marcae in patria : *rectum*, *ordinatum*, *certum* et *singulis addictum* inerat in *illimitato*.

Quod ut rite dispiciamus, tenenda sunt haec : Germanus *urbes* incoluit nullas; horrebat, quidquid clausum erat : sed omnes per pagos dispersi degerunt. Ubi caterva quaedam in terram immigrabat; cuivis aequalis fere data fuisse videtur portio. Sed temporum lapsu accrevit familia, gens, tribus : auctae aliae, aliae diminutae sunt, ut solet fieri : unde, quod ante aequale fuerat, id fieret nunc inaequale. Exstitit, invitis singulis, discrimen inter *locupletes*, *mediocres*, *pauperes*. Commercium nullum, ubi nullae urbes : *mediocres* agri cultu sibi pararunt, quod ad familiam sustentandam sufficeret : *locuples* nec colere agros, quos habuit, omnes, nec uti potuit omnibus rebus, ex illis productis : *pauperes* non habuere satis. In media fundi areâ quisque domum habuit; exinde locuples divitis proprietatis adspectu delectabatur atque pauperi colendum dedit, quo ipse uti nequibat. Hic igitur in illo conspexit *dominum*, non *suum*, sed *fundi*, quem illo auctore coluit. Inde ratio orta *dominorum* (fundi), inde *dominium*. Hi domini dicebantur *capita* rerum, *nobiles* (*Adelinge*, patroni); alteris nomen erat *vassorum*, *glebae addictorum*, quasi *membrorum* (*Lidi*, *Liudi*, *hominum*, *Gesinde*). Hi *Lidi* partem proventuum domino tribuebant, aliaque ipsi praestabant officia. Exacto conductionis termino dominus, ne praescriberetur ager possessionis diuturnitate, eundem dedit alii, lidosque suos translocavit. — Hanc Romani, ex suo rerum intuitu, in Germanis vocavere *Servitutem* : sed servitus, cum libertate suscepta, nulla est : lidi illi nostris *agrorum redemtoribus* comparandi sunt. Omnino Germanus servitutem, Romano sensu, vidit nullam; qua re toto coelo ipse differt ab illo. Homo enim *plane liber* humanam agnoscit et dignitatem et jus humanum in illis quoque, qui non sunt optimo jure liberi. Qui igitur Romano *dicebantur* servi, ii apud Germanum *fuere* lidi, h. e. liberi absque proprietate, sive ejusmodi homines, qui, peregrini, bello capti, agrum coluere dominorum, ea conditione, ut annuum tributum domino solverent, reliqua sibi haberent. Om-

nino ipsi servi Germanorum, jure belli in eorum potestatem redacti, non alia conditione utebantur, quam *Itali* Romanorum, *Lacedaemonii* Spartanorum, *Libyphoenices* Poenorum; atque forte etiam mitiori. Nam hi servi, simulac tantum sibi industria sua paraverant, ut se in libertatem vindicare possent, hanc ipsam sine tergiversatione consequebantur, *Lassi* adpellati (manumissi — remissi), atque jure fruebantur eodem, cujus etiam *Lidi* fuere participes, h. e. *Liberi* fuere, quin essent *cives* Germani, sive *agrorum possessores*. Quod autem de servitute Tacitus refert eorum, qui *aleâ propriam libertatem* perdiderint; hoc ita intelligendum est, ut is, qui *praedium* suum aleâ amisisset, ipsemet se simul cum praedio, scilicet nunc pauper factus, eidem domino *elocaret*, qui eum aleâ vicerat, h. e. *Lidus* fieret in proprio praedio, quondam suo. Nemo vero neque hos, nec reliquos *Lidos* verberare, nedum necare potuit. Servi igitur proprii, illis *Slavi* dicti, quorum conditionem Romani, ad suae servitutis similitudinem, in Lidos quoque transtulerunt, ii fuere, quos Germani, bello captos, quin necarent (mos enim erat, necandi plurimos, servare paucissimos — quum magno servorum numero opus non esset), superstites esse voluerunt: atque cum multum deinceps bellarent cum nationibus *Slavicis* vicinis, ex iisque magnum numerum in servitutem redigerent; nomen *Slavorum* omnibus servis commune factum est.

Orto licet inter Divites et Pauperes discrimine, civilis tamen conditio mansit inter ipsos eadem. Minime enim *Nobiles* (Adelingi) praestabant *Liberis* reliquis (Frilingis): sed utrique *aequo* gavisi sunt *jure* et intra marcam pagumque communem quisque rem communi et suo judicio diremit; quin alii se his immiscere rebus possent; quin ditiores majorem sibi potestatem adrogarent. Liberi fuere omnes, nemo alteri subjectus; atque convenit in conventus publicos, qui voluit, suffragiumque ex suâ dedit, seu negavit, sententiâ.

Sicut toto coelo Germani a Romanis differebant rebus civilibus; ita, si *Religionem* spectas, majorem etiam inter utramque gentem differentiam invenimus. Germanorum religio *ad rem* attendebat *reique naturam*; ad *stabile* et *principale*, ad *veritatem*; non ad speciem, umbram et colorem; non ad caeremonias. Disciplinae eorum vigor et severitas contemsit mobilitatem et levitatem vitae fortuitae. Religio absoluta, nullas tulit angustias, nullos toleravit terminos. Unde templum nullum, humanis exstructum manibus et Deorum multitudine impletum: sed numen *unum*, habitans in natura universa; quod nemo unquam vidit oculis; nemo non interioribus percepit sensibus. Quapropter nec Casta nec Ordo Sacerdotum dominans et nihil non

sibi arrogans; qualem in Oriente vidimus et apud Etruscos; partim etiam in Gallorum Druidis. Quum sacra facerent nulla, seu rarissima; iidem a tota pariter familia ministrorum sacrorum, sacerdotibus addictorum, fuere immunes; quos Graeci adeo et Romani aluerunt; quorum *publica* Religio iis carere nequibat. — Honorem habuere, eundemque castissimum, *soli Patri gentis* et *Heroi*, THUISTONI, eumque canticis sacris celebrarunt, non magis minusve, quam heroas reliquos. Eadem ratio erat *Herculis* et *Martis* (sic enim eos *Romani* ADPELLARUNT!), quibus *duo vituli* ante pugnam initam mactandi erant. Sed vero est simile, Germanos, ante, quam *e populi conventu* in hostes irruerent, illos vitulos, hilari coenâ paratâ, comedisse ipsos. Probabilior tamen illorum mihi sententia videtur, qui Herculem et Martem Romanorum pro incondita fabula habent, eorumque nominibus latere credunt *Thuistonem* et *Mannum*, quorum natura penitus quadrat cum negotiis, Herculi et Marti adtributis. Patet autem ex hac rei expositione, hanc gentem nullos unquam habuisse Deos. Sed *Reverentiam* ea habuit religiosissimam *invisibili cuidam potestati, nullis sensibus comprehendendae, moderanti cuncta:* quam aliâs Germani *Bonum* (Gott), *Alvadurum* (*parentem omnium*) vocarunt. Ejusmodi numen aliud esse nequibat, quam *benignum*, *paterna benivolentia* carum. Jehovam *iratum*, *morosum*, *jubentem*, omnino *dominum*, ne in coelis quidem tulit Germanus. Quum illi summum rerum humanarum *moderatorem* agnoscerent, qui *incomprehensibilia* et *hanc terram superantia* regeret; in rebus desperatis ejus voluntatem percontari amabant *Sortilegio*. Quod cujusvis *civitatis* SACERDOS (ut *Romani* eum vocabant) CUM *principe* civitatis instituere solebat, qui pariter *ambo* audiebant et interpretabantur equorum *alborum* sacrorum hinnitum. In *domesticis* autem rebus *Sorte* deum interrogavit *paterfamiliâs*. Unde patet, *Sacerdotem* illum *civitatis* non alium fuisse, quam *Patriarcham principem* cujusvis tribus, seu gentis; neque vero *Sacerdotem*, e proprio quodam Ordine sumtum. Erat igitur ille PATER *magnae familiae;* qua eadem auctoritate eidem conventuum publicorum ordo et disciplina erat demandata, cum jure puniendi eos, qui *communi omnium sententiâ* poenâ digni erant censiti. Undenam igitur haec religio petenda est, quae tam liberum esse patiebatur Germanum; et quae, sine dubio, indolis ejus prima causa haberi debet? Habet ea eandem patriam, quam Germanus ipse, *Asiam septentrionalem*. Erat *Monotheismus* et *Cultus rerum naturalium*. Verum cum is in gente esset, primum *palante*, semper *bellicosa*, quae *non in patria remansit;* sed in *longinquas*, et eas *incultas rudesque terras*, *emigravit;* et omnia summa *in propriis viribus collocata* esse sensit : nec Ordo

sacerdotalis, nec Casta Magorum, nec inertes et multiplices caeremoniae, nec scriptae traditiones oriri potuerunt. Mansit igitur, quod omnium est maximum, *Unitas*; abiit, quod pessimum est, dominatus hierarchicus; fieri nequibat, quod populos solvit et animi pietatem distrahit, *Idololatria*; igitur deorum multitudo et sacrorum et sacerdotum. Sic nec *Oriens*, nec *Occidens* adparebat; sed *Universum* ejusque idea, omnes aeque complectens, in omnes aeque conveniens, huic genti erat reclusa.

Praeterea Germanus insignis fuit morum bonitate et integritate, *quorum major erat, quam legum, vis et auctoritas et existimatio*, et quibus is factus est, cui nulla unquam historiae pars vidit aequalem. Adolescens *matura* tantum aetate uxorem duxit, eamque *maturam* pariter virginem; *unam*, nunquam plures simul. Uxor ipsa perpetuo uno tantum viro se continere debuit; vidua enim non secunda iniit matrimonia. Inde fidelis ille et singularis amor conjugum; cujus sanctitatem nemo populus vetustus (nemo etiam recentior) penitius sensit. Ex his talibus matrimoniis robustissimi liberi et corpore sani et peculiaris eorum venustas et color faciei et forma repetendi: inde pudicitia utriusque sexus et verecundia, veterisque amoris, nunquam inveterati, maturitas et incorruptibilitas. Non minus ex hoc fonte mirabilis illa harmonia et domesticae vitae tranquillitas fluxit, mater concordiae universi pagi, totiusque populi; parens insignis animi probitatis, mentis puritatis, cogitandi veritatis et agendi vis et constantiae.

Divitiae et splendor non censebantur: simplicem dotem conjugi conjux dedit: *jugum boum*, ut documentum fundi proprii; *arma*, tanquam symbolum, adolescentem sui juris esse et ut socium legitime in pago receptum. Patre mortuo nulla lis de obeunda hereditate familiam scindebat; nulla invidia de jure quodam praerogativo primogeniturae; nullum testamentum furtim actum, nullus heredipeta. Nam heredium ex aequa parte ad omnes liberos pertinuit: liberis orbo fratres et consanguinei succedebant: uxor mortui in fratrum tutelam et custodiam venit. Ex hac quoque re uxorum amor cognoscatur oportet; quae prospera et adversa cum marito subiit atque, ubi de patria agebatur, pericula et miserias, proelia et victorias; quae nunquam deseruit dilectum conjugem, caeso quoque superstes esse noluit, mortem servituti praeferens. Hic amor mulierum proprius est Germanis simulque luculentissimum testimonium *aequitatis* vitaeque, coelesti idea, omnia amplexante, plenae. Etenim in publicis quoque rebus vir consilium audire mulieris consuevit, quam ut vas sanctum divinioris sapientiae con-

siderabat. Hic amor, mutua haec existimatio, non solum non diminuebatur; sed crevit etiam ipso tempore, ut res equestris testatur subsequentis aevi. Ejusdem naturae est *amicitia* virorum et incredibilis eorum adversus peregrinos *hospitalitas*. Nihil enim *reservatum sibi*, sed *cuncta parata omnibus* habebat Germanus. *Fidem* dedit nunquam violatam; verum et justum propugnavit adversus quemlibet aggressorem : *mendacio* argui par summae ignominiae : mendax libertate et armis indignus censitus : hoc probro adfectus aeque ac ille, qui verberibus, seu alapâ polutus erat, infamiae notâ notatus credebatur; quam nec judicare judex, nec princeps aestimare posse creditus est; sed stricto ense violati expiari et quasi ablui in sanguine conviciatoris posse, universorum vox erat et sententia. Nam violatus erat *Honor*, summum bonum; non nisi cum anima amittendum; non nisi vitae dimicantium periculo redimendum. Sic *certamen singulare* ex ipso Germanicae vitae principio natum est. Veritas et mendacium dignitatis humanae antitheses aestimabantur, quae se manifestarunt *Honore* et *Ignominia*. Numen *veritas*, Satanas *mendacii parens*. Est igitur plane Germanicum, absque ulla tergiversatione toti confidere homini intimoque ejus animo; qui se ostendit *dato verbo*, quod ambiguitatem nullam fert. *Reservatio mentalis* peregrinae originis : fallax verbum fallacem virum ponit. Actio aperta est; de ea ambigi nequit; mendacium autem verbum edit, quod aliud manifestat, aliud sentit, omnino *simulat* et abutitur dignitate *pollicentis* et ejus simul, qui verbo habet fidem. Igitur errores consulto disseminans, quos evitandi nec animus est, nec causa, nec fas, ipsum fontem moralitatis turbat. Quum igitur veritas morale sit perfectum, et veracitas, sui conscia, virtutum omnium princeps, quae sicut vitia excludit et errores, ita reliquas simul virtutes complectitur; consequens est : eam *ultimam* quoque virtutem esse, ad quam homo pervenire possit; cujus solâ ope oriri *Justitia*, *Aequitas* coli, *Moralitas* perfici non nequit. Quae cum ita sint, populus, hoc veritatis studio ipsâ naturâ imbutus, qui est Germanicus, solus sistere Aetatem *Sapientiae involuntariae* historicam potest: quam nemo neminem docebit; nemo etiam addiscet, nisi eadem sit in homine ingenerata, inque ejus moribus insita.

Sufficiant haec ad Germanorum indolem explicandam. Quaeritur jam : Quaenam ipsis fuerit *rei publicae forma* et *ratio* ? Nulla! Quid? Deo tamen parebant? Certe! Sed hic *liberos* esse totos sinebat; id tantum curans ipse, quod *extra* humanarum rerum orbem positum erat; id agens, ut ne illo humanae res turbarentur; ipse elatus super illud, quod, nescio cur, Romani Graecique Dei timuerunt, *Fatum*; unde Germanis etiam nihil erat ab

hoc terriculamento timendum. Praeterea illius Dei personam nemo in hac terra egit, nec Magus, nec ἱερεύς, nec alius sacerdos : igitur *Theocratia* erat nulla. — Sit hoc : verum in *Conventus populi* convenerunt; jus sibi dixere invicem; res gesserunt publicas; judices agnoverunt, a se electos, et quae sunt reliqua? Non secus! Verum haec *Democratia* non fuit, quia nihil aliquem redolebat δῆμον; quia nihil erat, cui hic δῆμος opponi, cui reniti posset; hocque nomen nec in *foro* resonabat, nec in *scriptis* legebatur. — Hoc etiam conceditur : sed liberi illi cives *convocari* a *magistratibus* et ab iis *regi* solebant? Nihil verius! Magistratus autem hi, quos *Antistites* melius dixeris, ab universis electi, potestatem ipsi habuere nullam : praeterea jus comitiorum omnibus commune jus erat, quo uti potuit, seu non uti, qui et quando voluit. Praeterea horum antistitum magnus erat numerus, per varios gradus distinctus et habitâ pagorum ratione, e quibus ad comitia illi iverunt. Nulla igitur in hoc populo *Demagogia;* quam nulla unquam gens magis aspernabatur et horrebat. Si quis vero in *Adelingorum* et *Frilingorum* differentia *Aristocratiam* quaesiverit; is sciat velim, in conventu populi neminem alii praestitisse, illamque differentiam in sola majori minorique *agrorum copia* infuisse, non in *jure.* Quum igitur Aristocratia esset nulla; agrorum vero copia non jus majus minusve suppeditaret; facile consequitur : *Timocratiam* pariter fuisse nullam. — Sed *Reges* audiuntur? Igitur *Monarchia* forte? Forte! sed ea absque ulla potestate, et vix sentienda : praesertim non reges illi fuere sensu Romano, sed penitus Germanico, ut ipsa vox probat. Dicebantur enim *Chuonige*, i. e. *Nobiles, nominati, ex gente vetusta orti :* quam rem Tacitus quoque extra dubitationis aleam ponit, qui « Reges ex *nobilitate*, Duces ex *virtute* » sumtos esse refert. Quis tandem eòs continuerit, rexerit, rem gesserit? *Monarcha !* sed ille *interior* quidam, *invisibilis*, *ethico tantum sensui* percipiendus, *moribus* creatus, in patria innixus — *innata* in hac gente publicarum rerum *concordia;* quae universos conjunxit ad communem omnium defensionem, ad pacem internam servandam. Quod igitur *nullam* ipsis civitatis formam fuisse dixi; id eapropter a me monitum est, ut probarem : nullam ipsis formam fuisse *antiquis* usitatam; sed suam eos habuisse et privam : quae eadem *Recens* Tempus constituit.

Postea, ubi Germani ab aliis se gentibus distinguere debuerunt, aut a se ipsi discesserunt invicem; ubi igitur illa *gentis unitas* extrinsecus adparere vimque patefacere suam debuit; *Monarcha* quoque exterior, visibilis, persona hominis, aderat, qui ethicam illam quasi corpore indutam sistebat; neque vero monarcha quidam ad veterum modum (nam veteres omnino

monarchias, sensu vero, viderunt nullas). Verbulo: quidquid e vetusto tempore ad nos tralatum est, seu formarum, seu nominum, reipublicae; id tempori Germanico, i. e. *Recentiori*, nullo pacto adhibendum est. Hic enim gravis error non historiam, sed civitates etiam turbavit recentiores. Quod Germanis placuit, id non ligneis tentipelliis adaptari; verum ex erectiori rerum ideâ fieri solebat; uti quodvis temporis momentum rem quamlibet necessario constituere videbatur. Omnino *leges* nullae fuere Romanorum sensu, quae *ligaverunt;* sed vitae *regulae* et sapientiae *praecepta,* longo usu comparata et probata; quae tamdiu valuerunt, quamdiu salutaria visa sunt; neque vero ultra: nova sistebant, si quae tempus suadebat. Ut ipsa Germanorum lingua vivae arbori comparanda est, quotannis altius ecrescenti, novosque ramos, novaque folia telioresque fructus, novas adeo radices proferenti: sic etiam mores eorum et vita fons fuere uberrimus, ex quo novae vitae regulae redundarunt, abjectis inveteratis et cum tempore non amplius congruis. Vixere igitur animatam et vegetam vitam, solo jure naturali, h. e. sola juris idea, non corneis quibusdam Regulis Juris rectam. Nam quisque re quavis perfusus, quum omnia pertinerent ad omnes, necessario rectum justumque persentire, idemque in publico conventu alium docere; omnino, ad unitatem tendens et concentum, verum eligere debuit. In qua re illa probitas et aequa humanitas cernitur, quae, etiam in inculto homine, cuncta *e conscientia universi* aestimavit. Quod si quis nunc quoque de reipublicae forma quaerat, ei facile respondemus: Germanos habuisse *omnes simul;* quin de una essent solliciti; singulas in se (non permistas instrumento ratiociniorum, sed) ipsâ naturâ perfusas communique vita donatas, eandemque vitam spirantes; quin Platone essent seu Aristotele magistro usi; sed, ut fere in fontibus videmus saluberrimis, quorum elementa non a chymico homine cocta et composita sunt, verum e montium visceribus effunduntur. Non igitur illi ex siccis lignorum (theoreticorum) sarmentis aedificium exstruxerunt civitatis, quod primo quovis calore in cineres converteretur: verum rempublicam habuere, querceto similem patrio, sponte sua latius altiusque excrescenti; quod excidi, si densius esset, posset ita, ut quum incensis lignorum ramentis calefierent, silva interlucata luculentius et fortius pullularet et adolesceret. Sic duravit in eodem solo *silva; arbor* vero nulla diuturna fuit. Etenim hac quoque re hoc tempus ab antiquo differt, quod tum civitatum, h. e. formarum, μακροβίωσις necessaria haberetur (ARISTOT. Pol. II. 11); quae nunc perniciosa sit. [Cfr. omnino magni scriptoris, H. LUDENII, opus: *Gesch. d. teutschen Volkes.* Gotha 1825. 8. Parte I.

Quatenus equidem illum sim secutus; ubinam eidem dissentiam; quid novi adjecerim; is facile inveniet, qui utrumque perlustraverit]. Sic igitur *Gens Germanorum* antithesin historicam sistebat *Romano Populo* oppositam: e qua deinceps antithesis omnium praegnantissima, *Veteris et Recentioris Aevi* oboriebatur.

X.

Quod non penitus jam perierit gentis indoles Romano veneno, id primum tribuendum est mirabili firmitati et egregiae praestantiae singularis illius ingenii, quod toti antiquitati adversum, ab ea vehementer abhorruit. Deinde: iteratis irruptionibus novorum, eorumdemque intactorum, ejusdem gentis agminum; quae, e septentrionibus advecta, impediverunt, quominus justo diutius eadem caterva in eodem loco inhaereret atque ab antiqua vivendi ratione plane deficeret. Tum: bellis multiplicibus et continuis inter varias Germanorum nationes gestis. Ad quae accedebant Hunnorum motus; quibus Germani, semper occupati, ad semet ipsos revocabantur; ut, qui essent, quique essent futuri, recordarentur. Quibus unâ omnibus rebus debemus Germanicum tempus historicum: his turbis a Germanis averruncabatur ingens Gallorum calamitas; quos diuturna Romanorum apud ipsos commoratio omnibus privaverat rebus, cuivis populo sanctissimis.

Verum enimvero ex his immigrationibus atque expeditionibus nascebatur elementum aliud, hoc quoque plane Germanicum; quod deinceps fundamentum fiebat constitutionum formaeque civitatum Europaearum, Nexus nimirum Feudalis; cujus origo ulterius est repetenda. Primis historiae pagellis, et priscis adeo traditionibus, extra dubitationis aleam positum est: Adolescentum cohortes unius seu plurium pagorum, evocanti viro juveni, armorum gloriâ nobili, auctoritate tamen antistitum pagorum, praesto fuisse; ut, illo duce, excursionem aliquam in alias terras susciperent: sive, ut *Marcomanniâ* quadam adversus Romanos, communes patriae hostes, institutâ, patriae essent munimento et praesidio: sive, ut auxilia ferrent Germanis transrhenanis, seu Gallis etiam aliisve belligerantibus nationibus, nonnunquam ipsis etiam Romanis. Vincula commilitonum omnino multo arctiora esse et leges belligerantium severiores, nemo nescit: nemo etiam dubitabit, *milites* illos cum ducibus suis de militaris disciplinae, de imperii et reliquis rationibus, inito pacto, convenisse, et quae necessaria essent, omnium consensu statuisse. Hinc facile sibi quisque persuadebit, ut credat, illos belli *socios* [qui se *Comites* (Gesellen) dixere *Ducis*] cum domum pa-

triamque et patrias leges relinquerent, factis conditionibus, quas ratas haberet Dux, sibi prospexisse. (Bene in his rebus versatur LUDENIUS ille, l. l. T. I, cfr. TACIT. Germ. praes. c. 13. 14). Hoc modo Duci magna contigit in Comites auctoritas; ex auctoritate potestas. Hi enim magnis juramentis se ipsi obstringere solebant, quorum vi ei promiserunt inviolabilem *fidelitatem* (unde postea *Fideles* dicti sunt), quamdiu suscepta ab omnibus expeditio esset duratura. Id adeo promiserunt, se illum non tantum non deserturos esse; sed ne superstites quidem futuros caeso. Cujus rei ut gratiam referret, Dux occupatam ab iis terram, cujus tamen ipse majorem partem obtinuit, sine fraude cum sociis partiebatur ita, ut pro meritorum ratione cuivis tribueret portionem suam. Quo tempore Germani in Romanum imperium irruerunt, atque provincias unam ex altera occuparunt; singuli exercitus (singula commilitia) in opportuno loco consederunt, princeps belli (Dux) agrorum divisionem instituere, *jacta sorte*, coepit (unde hae portiones postea *Sortes* dicebantur : e. g. Vandalicae, Burgundicae, Salicae), reliqua sibi sumsit. Hae portiones pro stipendio fuere bellico et eapropter FEUDA (a *pheod*, bellum), *beneficia bellica* vocabantur. Quisque feudi possessor ipso beneficio tenebatur, ut primo quovis jussu armatus praesto esset Duci suo novamque propugnaret patriam. Quum quisque suorum tantum meritorum gratia beneficium obtinuerit; ejus tamdiu justus possessor erat, quamdiu praestaret officia, neque ultra. Tenere igitur potuit *perpetuo* quidem, neque tamen *jure hereditario*. *Vasso* (*Comites* enim nunc *Vassi* seu *Vasalli* nominabantur) mortuo, beneficium ad Ducem rediit; qui ea causa *dominus feudi* solebat nuncupari. Qua re summopere aucta est cum auctoritas, tum potestas ejus. Nam totam ille *terram* unus et solus possidere videbatur, et propterea regium fere potentatum habuit (quae res probe tenenda est), eo majorem illum quidem, quum ipse solus *hereditarium* possideret dominium (unde hereditaria Potestas regia deinceps orta). Haec tempore belli : pace nulla ipsi potestas : nam Vassi beneficiorum suorum, quamdiu Ducem, ut feudi dominum, agnoscerent, plenam potestatem habuere. Qui feudum incolebant, *subacti* fuere; igitur maximam partem non Germani, sed *glebae adstricti* (*Hœrige*, ad *feudum adpertinentes*, jure belli), sive si Germani essent, *Lidi*.

Ex his rebus sequitur : Ducem non suae tantum reipublicae, sed Vasallorum quoque personam *adversus exteros* egisse atque, ratione eorum, neque vero ratione habita vassorum, reipublicae habuisse *principatum* seu *suprematum* (souveraineté) h. e. *monarcham* exstitisse *absolutum* (origo monarchiae

verae, h. e. Germanicae seu recentioris) et caput totius civitatis (sit venia verbo) supremum. Sic *imperium* ortum est inter Germanos; sic regna diversa; sic Nobiles proprie dicti, *Comites*, quasi *Optimates*. In hoc fundamento hodiernae civitates exstructae sunt; ejusmodi in illis occurrunt *reges*, qui ad unum omnes, etiam in Gallia, etiam in Romano quondam imperio, stirpis fuere Germanicae, post Gallos antiquos glebae adactos.

Posteaquam vero, devictis ubique hostibus, nulla amplius pericula exteriora minabantur; ille etiam nexus feudalis in dies laxior fieri coepit: deerat enim nunc causa, quam ob rem vassi fuerant antiquitus instituti: qui eapropter « obediverunt, quantum voluerunt; voluerunt autem minime ». Feuda illi quisque sua non solum ipsi tenere, sed heredibus etiam relinquere, inprimis primogenitis filiis, conabantur. Rex, qui pacis quoque tempore auctoritati tuendae studuit, feuda redimere, praepotens fieri, superbe respondere, vassos premere coepit. Quapropter hi, facta scissione, initisque mutuis foederibus, reniti regibus audebant, seque ab eorum potestate immunes feudorumque suorum dominos, eosdemque hereditarios, declarabant; quam rem ut eo magis confirmarent, mutato gentis nomine, a feudis et castris adpellari amaverunt. Sic regiâ potestate protinus lapsâ, vassi, fastu et habendi cupidine inflati, mutua gesserunt bella: unde *funesta illa tempora feudalia* et perturbationes primorum, medii aevi, saeculorum originem duxerunt.

Hoc modo magna Germanorum gens per totam Europam, per Asiam etiam et Africam dispersa, bellis feudalibus distrahi et penitus dissolvi videbatur. Verum altera ex parte hac ipsa universorum divisione individualitas et libertatis interioris singulorum conscientia magis elucescebat. Neque vero minus effrenatae licentiae studio, perpetuis bellis alto et sustentato, commune unitatis momentum et caput neglectum evanescere visum est. In quo rerum discrimine unicum supererat, quod conjunxit *singulos;* sacra quasi anchora, ad quam confugerunt *universi*, *fidei* nimirum et *amicitiae* consuetudo: unicum vinculum, quo *omnes* quodam modo colligabantur, Religio. Feroces vires, quae domi, in se concitatae, obterere se velle minabantur; nunc, extra Europam, ubi Saracenorum occupationibus vagina Religionis Christianae et Sepulcrum sanctissimi ejus auctoris in manus infidelium pervenerant; metam nactae sunt, Germanis, cum quorum ingenio haec congruebant maxime, quasi divinitus propositam; eam scilicet, ut armorum vi propulsarent hostes fidei et Christiani nominis, fidelibusque recuperarent divinum heredium sancti Sepulcri, idemque in perpetuum ab hostibus tuerentur.

Juvat hoc loco, probationis causa, inserere quaedam de eo, quod *cum Germanorum ingenio congruere Christianam religionem diximus;* quae omnino ad illustrandam hujus gentis indolem multum facere videntur. Supra enim diximus, *Caritatem omnium* ingeneratam fuisse ingenio hujus gentis. Atqui eandem Christianae pariter religionis principium esse atque fundamentum, nemo nescit. Qui vero de ea re dubitant, iis haec suppeditare in animo est: *Joannes* (Apoc. II. 4) desertam *dilectionem* Ephesiis imputavit (utor enim *Tertulliani* verbis): omnino *Caritatis defectus* Evangelistae causa criminis est (ut patet ex I Joh. II. 5. 9. 10 sq. 15. III. 1. 11 sq. 14-18. 23. IV. 7-10. 12. 16-21. V. 1-3) atque amor ipse doctrinae Christianae principium et fons (Ev. Joh. XIII. 34. XIV. 12, cfr. I Epist. II. 7. 8); hancque vocat *legem novam;* quae, ad regnum lucis ducens, reliqua omnia includat (Evang. Joh. XIV. 15. 21. XV. 9. 10, coll. VIII. 44. III. 16. I Epist. II. 4. III. 8. 22. 24. IV. 9. V. 3 totaque Epist. II). Est autem haec *Caritatis* vis et natura, ut *omnes* amplectatur, neminem excludat, cujuscunque ille gentis, nationis, sexus sit et aetatis et fidei et sectae; paganos Judaeos, Germanos Romanos (cfr. Epist. Pauli ad Rom.). Hoc modo Religio Christiana harmoniam universi generis humani sibi proposuit ad instituendam, et princeps ejus Apostolus, *D. Paulus,* omnibus fere scriptis suis idem maxime efficiendum omnibus viribus enitebatur (quam rem nemo felicius exposuit J. L. Hugio illo, in opere laud. T. II. § 84 sqq. ex quo locos etiam reliquos desumsimus). Hoc vero ingenium fuisse Germanorum, supra dictum est. Hanc *caritatem* factis comprobari, non verbis; dilectionem illam et amicitiam efficacem esse, neque vero ignavam debere; veram caritatem agendo, actionem caritate confirmari, sententia est scripturae sacrae atque principium Germanicae gentis. Praeterea nihil esse per fraudem agendum et fallaciam, sed animo quaevis integro et aperto; fallacemque virum ne agendo quidem fidem sibi conciliare reliquorum, non est, nisi superioris praecepti sequela, religioni Christianae et genti nostrae naturalis. Quodsi vero haec caritas, haec beneficentia, laudibus suis et remuneratione defraudetur in hac vita; eapropter non esse desperandum: quia homo non hac terra circumscribatur, sed aeternam vitam eamque beatiorem sperare debeat. Hic vero sensus hominem reddit ab his terrenis rebus et curis immunem, suisque viribus confidentem, propriâ virtute omnia superantem, liberum; quemadmodum aetas antiqua eum perpetua servitute premit (Paul. ad Galat. III. 23. IV. 8). Non secus illa caritas et haec libertas omnes homines alterum alteri reddit aequales; quae est pariter religionis nostrae et Germanorum sententia. Ut

autem apud Germanos possessio major non majus suppeditabat jus; ita ex religione Christiana illa aequalitas non bonorum, sed dignitatis fuit (Paul. ad Eph. VI. 5-10, ad Coloss. III. 22. IV. 2; cfr. Epist. ad Philemon.); quae res, in utroque praegnans, idem significat. Qui autem aequali illo jure ab omnibus liber est, interiori illa dignitate aequalis omnibus; ille neque humanam naturam abjicere, neque impudicitiâ eam contaminare debet: quae res praeceptum religionis pariter, ac morale fuit et erit Germanicum (Paul. I ad Thessalonic. IV. 3, ad Ephes. V. 22, ad Coloss. III. 18-21; cfr. Ep. ad Tit.). Denique quae fuit apud Germanos mulierum quoque existimatio; haec quoque, et ex eodem caritatis ac libertatis et aequalitatis jure, in praeceptis religionis nostrae invenitur (quapropter Joh. Ep. II, vel matronam dignam habet, quae *legem novam* doceatur: atque *Chloë* illa *Paulo* quoque de fidelium mendis scribere, atque *Phoebe* et aliae novae ecclesiae ministrae esse potuerunt). Ut autem, quae antiquitus lege continebantur et praescribebantur, e Christi doctrina et Apostolorum *viva fide* interius percipi debent; quae neminem excludit, sed omnes amplexatur (Paul. ad Rom. II. 16. IV. V. VI. VII. 7. VIII. IX); ita, qui ingenerati in Germano mores fuere, in vitam et vitae actiones transire et converti debebant, quae quidquid vetustum est et legibus inertibus praecipitatum, fugit et a se quamlongissime propulsat. — Haec, aut ipse fallor, aut maxime idonea sunt ad probandum, Germanicam gentem ad Christi doctrinam suscipiendam et in propriam vitam convertendam ipsâ naturâ fuisse comparatam (cujus rei causa legi meretur universa Ep. Pauli ad Rom.).

Qua digressione facta ad ea redeamus, quae supra inchoavimus de vi et efficacia fidei Christianae, in Germanica gente conspicua.

Hunc excitatum ad res gerendas animum magis etiam stimularunt Romani Pontifices, illius religionis antistites; haud nescii, ejusmodi se expeditionibus, a pluribus Germaniae (i. e. Europae) principibus subeundis, omnipotentiae suae cum animos, tum rem fidelium sibi esse subacturos. Longissimum intervallum, inter patriam et Palaestinam interjectum; mare, quod navibus peragrandum; regiones latissime patentes, quae pedibus permigrandae fuere; coelum plane novum, novus mundus, videndi cupidis reclusus; animus ad sacras res peragendas excitus; *fides* hoc modo confirmata et aucta: haec omnia hominem abduxerunt a terrenis rebus, quas nunc contemnere coepit, eumque in orbes novos, phantasiâ effictos, sustulerunt. Sic Germanus, aliâs naturâ sui compos et mente sanus, nunc fanatico furore agitatus,

bacchari coepit; incalescens ejus phantasia, fallacibus imaginibus et somniis totum imbuit: traditiones et historiae in fabulas conversae inconditas; quibus avide potiti sunt poëtae insontes et male feriati. Fides vera in superstitionem abiit. Fabulae de magis et spectris excogitatae : monstra et portenta ubivis obviam lata. Haec peregrinator fatuus per omnem Europam non sine quadam oblectatione disseminavit et cum aliis permutavit : haec pro veris ipse habuit eorumque patriam in miraculosa terra Asiae et Africae se reperisse sibi persuasit. Oracula et Sibyllae, magae et incantatores, monachi et fatidici, infelix imperium suum indies extendebant. Quidquid naturale, quidquid verum erat, modo illud communi sensu percipi posset, displicuit : mira, supernaturalia sectabantur omnes et avide miscebant vera falsis. Verbo: Ratio sana, sensus communis, principium solare, succubuit materiae; mentis acies, in transversum acta, sensibus corporeis et nocturnis, vitae lunaricae, principio telluris, quod in totum hominem unice vim suam exseruit, velut noctambulo paruit duci. Quid vis? Ipsum adeo sanctissimum, casta illa et simplex religio, maxime universalis, conversa est in idololatriae quendam cultum symbolicum, mysticum, ad individualitatem quandam adstrictum. Nam Christum quaerebant, adorabant — *in Palaestina*. Numen ipsum hoc modo *ad certum locum adactum*; *infinitum* et *sempiternum*, *omnipotens*, *absolutum* in *personam* destituebatur singulam. Huic, ut *bono absoluto*, nunc non minus *persona* alia, aeque *absoluta*, tanquam *malum sempiternum*, opponebatur in *Satanâ*. Qua re ex inopinato exstiterunt *Daemones boni* et *mali*; *sancti* et *daemoniaci*, *benevoli malevolique angeli* atque *spiritus puri* et *immundi* omnis generis, sexus, dignitatis et potestatis.

Operae pretium ducimus, inquirere in hujus tantaeque calamitatis originem et fontem, ut quae Germano sint, quae peregrino elemento tribuenda, adcuratius intelligamus. Ejusmodi somnia non in Europaeo solo nasci; hoc crimen in humanam majestatem non a Germanica gente commiti posse, quisque videt. Est igitur hoc pessimae frugis heredium ex oriente repetitum, quod Christi doctrinam et ecclesiam et hominum cultum per plura saecula misere corrupit adeo, ut ne nunc quidem plane simus ab hoc malo liberi. Ex quo fonte haec promanaverint in Oriente; quam etiam pestiferam vim in Christi praecepta exercuerint tempore Pauli Apostoli, quanta fieri potest brevitate, duce certissimo et sagacissimo videbimus, J. L. Hugio illo, venerando magistro quondam meo (in opere iteratis vicibus a me laudato : T. II. § 125-128. ed. II).

Systema erat orientale philosophum, Babylonicum seu Chaldaicum adpel-

latum, jam ante Augusti tempora Graecis cultum, Romanisque non ignotum, atque deinceps per Asiam et Europam grassatum, apud nonnullas quoque Judaicas sectas receptum; quod cogitando efficere voluit: quo modo, auxilio divorum et daemonum, mundus condi regique posset; quomodo naturae phoenomena essent iisdem moderatoribus explicanda, et quae sunt reliquae ejusdem frugis quaestiones. Pars hujus systematis practica id maxime docuit: quo modo homo cum his daemonibus coire et quandam communionem instituere arctiorem queat: iis enim auctoribus arcanam et supernaturalem rerum scientiam acquiri; res futuras praesagiri et mirabilia effici posse, nemo dubitavit. His philosophis nomen erat *Magis* atque *Chaldaeis*, qui, inter Graecos versati, placita sua Graecis occultare formis eaque quodammodo Platonicae philosophiae adaptare studebant. Unde postea, inter Graecos, schola *Neoplatonica*, inter Christianos schola *Gnostica* ortae sunt; quarum tanta fuit auctoritas, ut jam nemo absque Chaldaeo beatus esse posse videretur. Illorum enim circulatorum consiliis in re summa, in conjurationibus factis, in daemonibus invocandis Princeps, in amoribus, arte excitandis, nulla mulier indigere potuit: unde tantam illi auctoritatem nacti sunt, ut ea ipsis legibus esset major [vid. D. Sic. II. 29 sqq. Dio Cass. LVII. p. 419 Steph. Juven. Sat. VI. 575, coll. 556-560. X. 93. Plin. XXX. 2. Philo De Legg. special. p. 542 (laud. ab Hugio) Tac. An. II. 27, coll. 32. Suet. Vitell. 14]; tamque late patebat imperium eorum, ut in Urbem pariter ac Provincias dominarentur, pretiosis ubique adsumtis nominibus (Act. Ap. VIII. 9. XIII. 6. Plin. XXIX. 4). Fuit autem hic impostorum nequissimorum Ordo per certos gradus ordinatus, ita, ut daemones alii, *Potestates majores*, imperium tenerent et quasi ad clavum sederent; alii vero, *Potestates mediae*, magis materiales, igitur cum materia magis conjunctae inque eam efficaces, jussus illorum exsequerentur. Cuncta tamen fiebant *coelestium* voluntate et numine et auctoritate; sed *daemonum* (inferiorum, ab aliis ad id commissorum) obsequio et ministerio (Apulej. de Gen. Socr. p. 229 sq. cfr. Matth. XII. 24). Reliqua officia, genera, species, placita, consignavit Jamblichus De Mysteriis (ed. *Gale*, Oxon. 1678), ex quo libro haec suppeditare sufficit:

I. Deorum natura pura est, spiritualis, absoluta unitas. Propter hanc summam immaterialitatem fieri nequit, ut aliquid in materia efficiant; igitur nequit fieri, ut mundum illi creent seu regant. II. Idcirco *daemones* sint oportet, magis compositi, ut in materiam esse possint efficaces. Hi sunt *Creatores*, hi *Rectores* mundi. III. Neque tamen minus coelestia numina

omnium rerum causae sunt, quorum *pleromate* illae sunt. IV. A supremis ad ultimos ordo est continuus, non interruptus, saltus nullus a maxime puro ad compositum, a composito ad materiale et materiam; et ratione hujus naturae ii habitant in regionibus variis aëris, aetheris, coelestibusque orbibus. V. Suprema numina ἀρχαί adpellantur; altera μέσαι. Ea, quae mundum gubernant, ἄρχοντες; quae autem eorum jussibus parent, δυνάμεις et ἄγγελοι. (Postea accesserunt ἀρχάγγελοι, et aliâs audiuntur praeterea ἐξουσίαι). VI. Summa humana beatitas est in communione cum altioribus illis numinibus arctiori; quae non attinetur, nisi perfectâ animi a corporis servitio institutâ dissolutione; quoniam corpus est impedimentum maximum, quo anima a spiritus puritate abducitur. VII. Quapropter necesse est, ut homo, enecatis et radicitus deletis omnibus carnis adpetitibus, ab ipso adeo connubio abstineat: qui igitur illud nondum est consecutus, is nec initiari, nec ad sacra arcana accedere, absque summo periculo, potest. VIII. Esus carnium, omnino animalis caesi usus, ipse etiam ejus attactus, reddit immundum. IX. Corporis exercitatio et iteratae lautiones, licet iis solis vaticinatio non acquiratur, tamen ad eam acquirendam sunt idonea. X. Diva ipsa, licet non nisi puros exaudiant, tamen hominem ad male agendum impellunt; quoniam ipsis boni et justi inhabitare videntur cogitationes, ab iis diversae, quas sibi de iisdem rebus effingunt homines.

Haec doctrina tam altas radices in hominum, semper supernaturalium virium cupidorum animis jecit, ut neque Apostolorum monitis, neque Laodicaea Synodo (IV saeculo habitâ), nec aliis legibus exstirpari posset. Est autem haec daemonologia, hic angelorum cultus, haec γοητεία ejusmodi, quae, Paulo Apostolo teste, religioni Christi penitus adversatur, ab eaque devicta et triumphata est, quum non nisi ad decipiendos homines sit excogitata (cfr. PAUL. ad Coloss. II. 8. 15. 18. I Timoth. IV. 1. II Tim. III. 13), quae ultima ejus sententia in Germanis plus satis confirmata est per novem fere saecula.

Haec igitur, praeter Romanam legislationem, altera erat causa, qua Germanicum ingenium corrumpebatur. Quodsi quis vero ex me quaerat: quo tandem pacto fieri potuerit, ut gens *septentrionalis* tam esset facilis ad contaminandum doctrinâ, e *summo oriente* petitâ, quae penitus ab illius natura abhorreat? ei hujus rei causa interior est aperienda. Haec autem quaerenda est in natura facultatum humanarum, vi materiae diversarum. Atque primum quidem hominis natura se manifestat MEMORIA, sui insciâ, *rerum sen-*

sibus exterioribus perceptarum, *in Oriente;* quae, sub materiae dominatu, *absolutâ fide* in lucem prodit. Ubi vero homo magis recedit a natura et materia; ubi igitur facultates ejus magis se evolvunt, naturamque vincunt eamque contrectant: ibi illa memoria evadit sui conscia, *creans*, fit Phantasia; quae se exprimit *Arte*, in *occidente*, *in Graecia*. Haec Phantasia, cum vires suas explicat, quin materiam sibi objectam dominetur; in indefinitum evagatur; infinitum, sed absque virium suarum conscientia, quaerens, *Magicis contemplationibus*, *Daemonologia* se patefaciens; pro fide indulgens *superstitioni:* quia absolutum quoddam praesagienti facultas, qua id solâ percipi potest, *Ratio* nimirum, nondum contigit. Natura, in Asia et Africa multo fervidior, in orientales homines, vetustis traditionibus mirabilibus nutritos, magis dominatur, quam in occidentales. Sic vero illa memoria in occasu frigidiori; igitur absque illo saltu, colitur; quin sit Arte illa, artisque sensu, i. e. Phantasiâ artifice, per atrium naturae traducta; sed statim versus orbem vergat mentis: tunc Memoria illa transit in aliquam Phantasiae speciem, in Imaginationem, quae non totalitatem rerum quaerit, ut Phantasia; sed singulas res, quas sensibus accepit, recolit et regenerat atque se ostendit tanquam *prudens Eloquentia*, in *Romanis*. Hoc modo e Memoria nascuntur:

a) *Phatasia*, materiae partibus occupata, sui conscia, s. *Graeca:*
b) *Phantasia*, materiae totalitate abrepta, sui inscia, s. *Orientalis:*
c) *Imaginatio*, singulas res putans e certo calculo, s. *Romana*.

Haec Imaginatio frigidiori natura sua duxit ad Intellectum aridum et sui tantum studiosum: populus, eo solo animatus, non ulterius progredi, non e septis suis egredi potest; verum, destructis aliis, ipse destruitur — *Carthago* — Roma. Quodsi vero mens humana per omnes et singulos gradus perducitur; quin in uno alterove diutius habitet, perpetuo in illo domicilio locato, h. e. si quae gens, illis unâ omnibus facultatibus ex aequo perfusa, suprema quaerit: tum plane illa, non exclusâ tamen materiâ, in partem idealem vergit, Ratio fit, ΝΟΥΣ. Cui ea est natura, ut universum amplectatur, singulum omne referat ad illud et hac tantum ratione cognoscat, in duplici Phantasiâ, Graecâ et Orientali, simulque temperatiori istà Imaginatione innixa, *utatur* Intellectu (qui se *cogitatione* manifestat), tanquam *copulâ;* quae tum res singulas cum materiâ universâ, tum Naturam cum absoluta Mente connectit; ut eorum ideam nanciscatur. Sic ille ΝΟΥΣ ab imo, *a Memoria*, ad summum, ad universale, ad absolutum, *ad*

Ideam, quasi Phantasiae alis elevatus, advolat, et Intellectu, imaginatione nutrito, confirmatur. Graeci nullam noverant imaginationem, sed eam *adpellarunt* Phantasiam; Romani nullam noverant phantasiam, sed eam *dixerunt* Imaginationem. Tempus Recentius, Germanicum, utramque simul novit et *distinguit* adeo Imaginationem *Romanam* a Phantasia *Graeca*. Ratio non est, nisi CONSCIENTIA rerum, et perspicit ideam et concentum earum : nihil igitur suppeditat; sed est negans quasi genius Socraticus; qui si interrogatur (neque vero aliâs), seu probat, seu improbat. Omnia adfert *Sensus*, sed nullam ille habet totalitatis notitiam ; adfert tantum et ingerit *multitudinem* rerum. Eam digerit et judicat, i. e. *cognoscit* et *cogitat*, *Intellectus*; qui non minus omni idea est destitutus, atque nunquam quicquam ne animo quidem praesagit, nisi quod sit ad manus. Ratio *videt*, probare nequit; Intellectus *probat*, vitae sensum habet nullum : rerum formae (et earum scientia, *Mathematica*) ejus imperium sunt : rerum vis et natura (e. g. ideae *Numinis*, *Juris absoluti*, *Nexus civitatum politici*, *Monarchiaè verae*, *Majestatis*, *Honoris*, *Fidei et Scientiae concentûs absoluti*, et quae sunt ejusmodi) ad Rationem pertinent : quod ejus imperium si invadit Intellectus (quasi ovile lupus) destruit ille. Forte haec clariora erunt posito sequente schemate :

MUNDUS

[NATURAE ET SPIRITUS CONFUSIO]:

Res Singulae ——— sensus exteriores ——— *Materia Tota*
[Partes]. **MEMORIA:** [Totalitas].
IMAGINATIO ——— sensus interior ——— PHANTASIA
[rerum Reproductio]. [rerum Intuitus].

INTELLECTUS - rerum Conjunctio : materiae Unitas - **INTELLIGENTIA**
[rerum Cognitio]. [totalitatis Perceptio].

RATIO

Cogitatio: ——— IDEA RERUM : ——— *Voluntas.*

[NATURAE ET MENTIS]

RECUPERATA TOTALITAS.

His expositis vix est, cur de illa causa, in Germanos efficaci, quaeramus ulterius. *Ratio* enim illorum principium est; quae eo tempore, de quo loquimur, nondum adulta; eapropter, quum in Phantasiâ nitatur, in Oriente per illam daemonologiam in irritum ducta, in summum discrimen trahe-

batur. Cum illâ vero causâ principe ex eaque natae, fuere conjunctae aliae, e proprietatibus hujus gentis seligendae : *Caritas* illa, *Fides* et *Fiducia*; quibus singulis ea natura est, ut amplectantur universum, nullisque cancellis circumscribantur : ut se totas in quamvis rem insinuent, eique se unice dedant; quin in eam, quamdiu integrae sint et naturales, neque a praevalente Ratione temperatae et ductae, inquirant adcuratius : ut etiam vim cujusvis rei patiantur totam eique se tradant per eamque moveantur: ut denique, quia ipsaemet amplexantur universum et universos, frena patiantur nulla; sed quaevis extrema adpetant. *Caritas* illa, ut de ea dicamus uberius, quae tanta tamque sublimis et pura atque calida, quam nunquam Platonicus ille Eros fuit, originem cepit e castissima *mulierum* reverentia, cujus simul naturam induebat. Ex hoc fonte exstitit *Equester ille sensus*, aeque temerarius, fortis et simul tenerrimus : sublevarunt eum *Cruciatorum expeditiones;* pronunciavit et aluit *Poësis Romanensis — epicum genus* et universum pariter amplectens, cuncta ex generali ordine considerans. Sic *Eques* ille pugnans amavit dilectam feminam, ipsi ignotam et nullibi inveniendam : amavit enim in ea universum genus. Sic idem pro Religione propugnavit, a se non intellectâ; sed pleno pectore sensâ. Haec caritas consociavit omnes, amicitia devinxit omnes; sicut illa fortitudo cunctos devicit; nec tamen minus amanter et generoso animo fovebat et tuebatur. Universi coaluerunt : Germaniae et septentrionalis plagae heroës, cum Equitibus Gallorum et Hispanorum non raro societate juncti, Europam, Asiam et Africam peragrarunt; ut pericula obirent resque captarent et casus mirificos, equo confisi bonoque ensi. Nulli loco adstrictis patria erat, ubicunque amare licuit; amaverunt autem, quocunque iidem advenerant.

Ceterum tenendum hoc : hanc naturam, hanc eandem religionem Romanensem, non in omnibus effecisse idem; licet effectus ille non differret *multum* in singulis. Septentrio et meridies, ortus et occasus hîc etiam suam tuebantur naturam; ut tamen omnes eandem spirarent Romanensis poësis vitam, qua totius aetatis forma maxime dignoscitur et judicatur. Quae res, cum ad sanctiorem hominis naturam pertineat, Scientiae non est dissimilis ipsi, quae licet omnium rerum sit amplissima, tamen singulos simul exprimit *populos*, a quibus colitur eadem. Illîc et hîc in *Universalitate* infinita simul inest *popularis proprietas*. Hanc igitur aetatem, quae originem repetiit e juvenilibus gentibus Germanicis, corporis robore et animi innocentia, vitaeque singulari quadam agilitate, pudore et fide, bellicosa ferocitate pariter ac teneri amoris, nobilitatis et amabilitatis sensu, Christiana religione

IX. 25

magis etiam exculto et excitato — juxta originem suam dixeris *Germanicam;* secundum indolem *Christianam;* ex forma, qua se manifestavit, *Romanensem;* ob praeclare fortiterque gesta *Equestrem.*

Ex his ea singulis momentis judicanda est. Incaluerat autem tota invisibilis cujusdam spiritus inflatu : mundus exterior et quidquid in eo inerat, et hoc denique terrenum omne evanuit, singulum interiit in universalitate pii amoris. Sic facile explicatur, cur haec aetas, a spiritu proprio illo quasi possessa, spiritus sibi suos, magas, spectra, dracones, diabolos, nymphas, inspiratas feminas, daemones metallicos, terrestres et montanos, gigantes et pumiliones, undinas, annulos magicos, praestigias, palatia incantata, reliquamque daemonologiam effinxerit, inque hoc mundo, quasi in insulis fortunatis habitans, singulari voluptate frueretur. Nam quod phantasiâ creaverat et exornaverat, id non e suo cerebro haustum, sed extrinsecus, velut bonâ fortunâ allatum, formaque manifestâ indutum et corpore aethereo incedens, *oculis videbat* et *manibus palpabat* et summa *convictione credebat.* Sicut Graeci amoenissima quaeque loca, amnes, valles, silvas, montes, speluncas, nymphis dicare solebant; ita media aetas in quovis loco, in planta et qualibet herba *feam* habitare benivolam sibi persuasit; quae sancta esset et inviolabilis; violata vero terribilem sumeret de quolibet, nisi idem a potentiori quadam fea esset custoditus, vindictam. Praesentia ipsa ei sub manu aufugit et quasi in futurum tempus evanuit. Omnino animus, relicto exteriori mundo, altius profundiusque se demersit in interiorem mundum. Conscius erat phantasiae suae, in qua totus habitabat; non rationis, quae ab illa erat devicta, seu potius illam perdomare nondum poterat. Unde, quia jam nunc nulla frena continebant incensam cupidinem, mirabilia venantem, factum est : ut quae obscurae traditiones, minime intellectae, ex omnibusque terris temporibusque coacervatae, ipsi ante animum versabantur, eas omnes in unam horrendamque imaginem jungeret, atque mox, usitatis amabilibus et formâ praestantibus diis deabusque, magis etiam sectaretur deformes et malos daemones. Quibus, pro illorum temporum tenebris, eo lubentius tribuit, quidquid captum superavit. Qui enim mirabilibus movetur, is obscurum amat et atras noctes, tristes mortique similes : amat planetaribus signis, viribus fatuitis portentisque moveri; quam intelligentiâ duci culti animi et alma luce exhilarari rationis; quia haec totam felicitatem illam fictam dissolvit et perdit.

In pulverem prostratus timens, nescio quid, adoravit homo et magis

movebatur perpetuis inferni flammis, quam placidis coeli hilaribusque et aeque diuturnis delectamentis piisque gaudiis. Effinxitque horrenda sibi poenarum genera, cum vix levi penicillo tangeret et adumbraret beatorum praemia. Nam vita ejus non erat vita diurna hilaris, sed atrae noctis sopor; ita, ut illa aetas rite comparari posset cum conditione nocturna Aegyptiorum, qui per totam vitam id maxime fecerunt, ut beate mori discerent. — Sic *Eques amavit*, quam nunquam viderat oculis; sic *homo* fiebat *monachus*, ut, quae vidit, contemneret : ubique sancta contemplatio rerum divinarum et flagrans desiderium ejus, quod est incomprehensibile. Ipsae Platonicae ideae (cum gratia dictum esto) veritatem nancisci videbantur; et tamen toto coelo ab hujus aetatis rationibus differrebant. Scientia habitum induere Pulcri videbatur; sed non induebat: quoniam haec aetas tantum differrebat a Graeco tempore, quantum *sanctorum imagines Christianorum* distant a Graecis statuis et Romanensis poësis a Dramate Graeco : quoniam denique scientia non adhibebatur ad verum exquirendum et praesens; sed ad futurum cognoscendum et fictum. Sic enim Astronomia in Astrologiam abiit, cujus auxilio perscrutari fatum sortemque futuram se posse sperabant. Omnino doctores et sapientes illius aetatis (nostra quoque aetas denuo ab ejusmodi lemuribus, universaliter sapientibus, infesta est) ad unum omnes fuere circulatores et pharmacopolae. Praeclare facta non eapropter suscipiebantur, ut praesentiam illustrarent et aequalibus essent incitamento; sed ut sanctam vitam praeteritam cum aeterna vita futura conjungerent. Non alia sors historiae erat parata, quae illa facta consignavit: nihil enim in ea invenitur, praeter vitas divorum divarumque commentitias et miraculorum fabellas : quae legentes informarent praepararentque ad *novissimum diem*, ad *judicium extremum*, quod nemo sine terrore cogitavit.

Ars quoque, pulcri sensu destituta, non statuas vidit aliave venusta opera edidit; sed prae Sanctorum Reliquiis et Hostiis evanuerat. Religiosa Fide, qua nihil potuit in hanc aetatem convenire magis, qua nihil etiam firmius esse debuit, eodem pio furore in *superstitionem* execrabilem transiit (ut postea superstitio abiit in *impietatem*). Attamen haec ipsa superstitio naturalis erat et necessaria illius temporis adparitio, sine qua nemo eam intelligere possit. Differt haec quoque a Graeca superstitione ; quae, ut Ars Graeca, magis ad materiam pertinuit; cum nostra tota esset incorporea : in illâ *omnia* definita fuere et certis formis expressa, in hac *nihil*. Non minus necessario illi *sagas* esse crediderunt; quae convictio interior, neque temporis erat fallacia, nec fraus hominum : verum aetas ipsa, quae caruit

veritate praesentiae, res viresque supernaturales avide quaesivit. Quod autem malus Daemon feminas inprimis cruciavit, non minus est naturale; nam femininus sexus proprie *materiam* sistit in homine, in qua *sensus obscuri illi et nocturni* praevalent *cogitationi*, inque eam dominantur.

Praeterea hoc loco non silentio praetermittenda est singularis ista *diffidentia*, adversus eos inprimis adhibita, qui *ingenii* dotibus excelluerunt: qua nimirum *sapientes* omnes (i. e. ii, qui reliquis paullo erant eruditiores, philosophi, medici, alii) non solum in suspicione erant inque eam inducebantur; sed non raro etiam communi omnium sententiâ flammis dabantur (cum qua re arctius cohaerent Quaestiones, postea de *haereticis* institutae). Non secus mulieres quoque, siquae *pietate* essent majori quadam insignes, ex ipsa judicum sententia, suspectae fuere *de consortio* atque *connubio* etiam, cum diabolo inito. Denique e sancta quadam animi submissione (quae etiam in perditissimis matronis Romanis deprehenditur) id inprimis credere maluerunt, sperare et timere, quod fuit (e. g. somniis votisque propriis) *contrarium*. Nam quo quis mente utitur minus acutâ, eo magis sectari solet signa et mira; quae eo sunt veriora, quo minus ea homo *praesagire* (optare, sperare, timere) possit. Haec res adeo invaluerat, ut *sagae* (quae nimirum *aliis* sagae videbantur esse) ipsaemet non solum firmiter crederent, se arte magica pollere et esse reapse sagas; verum etiam in ipso rogo cum obstinacia adfirmarent et confiterentur. Hic autem est ille vesanae phantasiae tristior effectus, ut ea universale, inscia, anquirat, inventumque *non dignoscat*. Sic abscondi magis magisque coepit *ratio*, mundus corporeus magis eminere, cuncta implere: barbaries tenebris occultare omnia. Accedebat, ut religio Christi Novi Foederis misere confunderetur cum *doctrina* et *lege* Testamenti Veteris; ut videretur, mentem hebetam penitus jam interituram esse. His simul rebus crevit in immensum Pontificum Summorum auctoritas summumque nacta est eorum potentia fastigium, libertate animi in profundissimum abyssum praecipitatâ.

Sed Ratio, in Germano innata, per aliquod tempus detrectari quidem, sol nubibus obduci, neque vero tolli penitus et exstingui potuit. Et ille ipse furor rerumque mirabilium studium luculenter probat, animum quaerere Absolutum, neque contineri ignoratis portentis; sed ultra tendere, claram lucem veritatis ardenter desiderare, summum bonum adpetere. Sicut enim traditionum memoria ad imaginationem ducit, illius gradum altiorem: sicut factorum experientia prudentiam parit: ita Phantasia ado-

lescens infimus gradus sanae illius summaeque *Rationis* est, ad eamque ducit: quae ipsa si perfecta sit, vocatur *Sapientia.* Ut illa fundamentum suum habet *Fidem;* ita haec culmen nanciscitur *Scientiâ.* Fides igitur est Scientiae initium; Scientia Fidei perfectio: una sine alterâ nihil est: *Scire* nequit, nisi qui comitem habeat Fidem: *recte Credere* nequit, nisi idem sit illustratus scientiâ. Mens non est, nisi interpres *animi:* doctrina Fide et amore vacua domo comparanda vacuae, dispositis hinc inde luminibus (ait J. P. Fr. Richterus). Qui singulum *sigillatim,* neque vero utrumque *unâ* possidet atque conjunctum, omnium ipse est miserrimus, erroribus omnibus subactus. Ejusmodi sapientia non dissimilis est acutae loquacitati Sophistarum tempore Socratis, lumen quasi extrinsecus positum, illustrans, quod intus est, neque vero creans, quod non est. Eâ de causâ qui memoriae tribuunt omnia, nihil vero animo, tam sunt perniciosi et poenâ publicâ digni; quoniam ingerunt, neque vero ad digerendum aliquid faciunt; quoniam pro re rei speciem et umbram dant et laudant; phantasmata, non corpora impertientes, vacuo pectore astutiam creant, quae videre se credit, ubi nihil est ad videndum; et fastum, qui omnes despiciens, cuncta adpetit. Fuit tamen Ratio superior, et illud ipsummet, quod mentem penitus subjugare velle videbatur, facere debuit ad victoriam menti parandam, et eam quidem eo certiorem, quo majora obviam fuere impedimenta.

Pars magna heroum cruciatorum ceciderat in Palaestina, seu manu hostium, seu pestilentiae veneno: alii in reditu per insidias peremti; alii domum reduces a perfidis amicis interfecti, qui bona et burga eorum vi et injuria sibi adrogarunt (ut fere Hellenibus accidit post Trojanum bellum: quod cum his rebus omnino comparari potest et eosdem tulit fructus). Feroces gentis vires exsaevierant: regum potestas, sensim sensimque, redemtis feudis, creverat: Frilingi, ingenui illi a tyrannis liberati, communem libertatem omnium tutari nitebantur adversus errantes vilissimosque nequam (faecem abjectissimam nobilissimi quondam Ordinis Equitum), libertatem illam, in *urbibus munitis* custoditam: in quibus *civitatibus* ortae sunt illae *communitates* vere *Germanicae,* civili industria, artium cultu et mercatura praecipue, in dies redditae ditiores et potentiores: duceque cultu erectiori ad sensum et usum verae libertatis et independentiae traductae. Vitae enim communis necessitas et necessitudo vires animi excitaverunt mentisque aciem acuerunt, inventa multa pepererunt. Literae elegantiores et majores, ars et philosophia, e barbara terra in Italiae placidissimos campos transfugae, a Germanis praecipue fovebantur, colebantur,

emendabantur. Universitates literariae, ubivis institutae, totidem fuere discentium et docentium coloniae : Academiae deinceps ortae totidem scientiae asyla. Pulvere pyrio cataphractae equestres et lanceae fractae, totaque ars militaris mutata. Utraque India, cogitando inventa, casu bonaque fortuna detecta : Pyxis nautica fidissima navigantium dux facta. Antiquus et novus orbis peregrinatorum Itineribus et mercatorum mutuam notitiam nacti, Cursu pnblico instituto, arctiori consuetudine coiverunt. Interea Asiae remotioris imperia et Africae solidiori fundamento superstructa, in illis terrae partibus, ubi gentium turbae et motus ceperant, tranquillitatem et consistentiam nacta, Europam simul ab irruptionibus liberaverunt otiumque concesserunt, suas res cum quadam certitudine curandi et excolendi. Summum denique bónum, quod homini contigit divinitus, *Scientia* nimirum, cujus antea pars optima ad pauciores tantum pertinuit, cumque eo solebat interire, qui judicii acumine de ea disputavit subtilissime; nunc, *Typographica* arte a Guttenbergio inventâ, cum omnibus communicari et universorum esse hereditas coepit.

Sparsis his libertatis seminibus, jam pridem, in Germania propria, vagina exstitit altioris ordinis *politici*. Fuit enim Imperium S. R. GERMANICUM, *electile* illud et jam eapropter libertate singulorum egregie favens, civitatibus conflatum exiguis, iisque compluribus, quae formis variis (sive a Ducibus et Electoribus; a Principibus, Comitibus et Dynastis; sive ab Urbium liberarum Senatu) rectae, nulla *amplitudinis* habita ratione, eodem *jure* fruebantur omnes, *ethico* tantum *capiti* (cujus personam egit ille electus Germanorum Caesar) obtemperantes — hoc imperium, dico, mox censebatur exemplar ordinis civitatum publici, microcosmus quasi macrocosmi politici. Bella de Italiae principatu gesta πολιτείας erectioris schola; illarumque pugnarum finis erat institutio *mutuae civitatum Independentiae*. Quum vero in his bellis Romanus Pontifex ut commilito adpareret, ob saeculares curas divinas res negligens; sive his adeo utens ad augendas res suas : factum est, ut *sanctitatis* nimbus capiti ejus detraheretur, sicut nimbus etiam *infallibilitatis,* cum aetatis cultu, tum *Conciliorum sententiâ*, evanuerat eodem fere tempore. [Vid. Historia del Concilio Tridentino di *Pietro Soave* (i. e. PAOLO SARPI) 1619. 4; traduit par FRANÇ. DE COURAYES. Londr. 1736. II. f.]. Quae res, dici nequit, quantae fuerit notae! Illa enim Conciliorum sententia vera haberi potest aetatis recentioris, universum amplectentis, expressio atque praecursor regenerationis cultûs Christiani, religionis purae et aeque universalis, nec loco, nec tempori adstringendae. Dato velut signo

inquisitionis studium in omnibus renasci; religio, in idololatriam demissa, divino Numini liberaeque Rationi vindicari, omnique elemento peregrino et sordibus, quibus hominum seu perversitate, seu stupiditate et phantasiae lusibus deformata erat, expediri et ad antiquam puritatem et sanctitatem reduci; ecclesiae Reformatio ubique, primum in Germanicis terris, exsistere atque in propria Germania a Monachis et Doctoribus pariter, ac Equitibus fortiter propugnari, a liberis Civitatibus ambabus manibus arripi, in succum et sanguinem populi, etiam inferiorum ordinum, converti atque hoc modo diuturna esse coepit.

Quum haec fierent, Societas coaluit hominum, consilio, quod sibi proposuerat, formidata, perpetuo condemnanda ob immensum scelus, quod contra humanam naturam committere in animo habuit, Societas Jesu; quae ipsomet nomine idololatriam, vix ejectam, denuo restituere conabatur. Erat enim hoc nefarium ejus consilium, ut principio nocturno, tellurico caecae Fidei meraeque obedientiae dominium redderet absolutum in principium solare Rationis purae veraeque pietatis. Quodsi igitur haec societas superior fuisset, erat de ingenio humano conclamatum: actum erat de societate, si ipsa fuisset Rationi inferior. Hoc ipsum accidere tam certo debuit, quam certum est et manifestum, solem extingui ab homine non posse. Verum occidit illa, quin esset exstirpata penitus. Quum enim venenoso ejus morsu vitalis sanguis universi generis esset infectus; illa quoque obcurum attollere caput ipso meridie audet. (Audi ex testium nube, unum illum et integerrimum, Com. a Montlosier: Mém. à consulter etc. Paris 1825. 8. Lettre d'accusation contre les Jesuites à M[r] le Procureur général etc. par le même. Paris 1826. 8).

Quae cum ita se habeant, contra illam exsistat oportet Societas alia, ipsomet consilio suo sacra, ipsis adeo mediis et rationibus, quibus utatur, probata; quae principium sequatur rationi illius contrarium; quae eam sibi proponat vitae et agendi regulam, ut rationi paret victoriam; ut superstitionem et idololatriam atram devincat naturamque humanam ab omni contumelia defendat; animorum libertatem custodiat atque promoveat; genus hominum ad propriam metam perfectionis ducat, ad cultum et beatitatem. Ut autem haec nostra societas differt ab illa; sic rationes et viae, quae ducant ad metam, diversae esse debent. Ipsa igitur vias sequatur mundas clarae lucis; lucente agat meridie: sicut illa furtim agens et clanculum, suspenso gradu nocturnum prosequitur iter. In ea sola re utraque eadem sit

necesse est, ut consilium suum nostra assequi pari perseverantiâ studeat, qua suum consequi illa solet. Nostrae societatis rationes his Commentariis describere in animo habemus: quo modo ea sit ordinanda, pro virili parte indicaturi; ut *Principes Augusti*, gentium Rectores; ut *Sapientes homines*, Scientiae Custodes; ut *Boni universi*, ejus Cultores, quae dederimus, eodem animo, quo ea sunt a nobis exhibita, in probationem vocare, atque emendare et, quod est hoc tempore maxime sperandum, vitâ donare velint. Quo enim est nunc propensior animus in phantasiae ludicra et mysticam magicamque philosophiam; quo igitur facilius a vera Rationis via abduci potest; eo ea videntur magis necessaria. Quae denique Pontificis auctoritate, propriae utilitatis causa, malo potuerunt consilio institui et efflorescere; ea non minus ab omnibus simul Principibus, ad beatitatem universorum perficiendam, consilio optimo suscepta, posse probari manifestum est.

Sic igitur *Recentior Aetas* e *Medio Aevo* se evolvebat. Priusquam tamen de illa dicamus, paullulum in hoc revertamur; ut *antitheses*, quibus constitutum esse videtur, paucis recolamus. Fuere igitur antitheses hae : inter *Liberos* et *Glebae adstrictos*; *Nobiles* et *Ignobiles*; *Dominos* et *Vassos*, in re civili : deinde antithesis inter *Ecclesiasticam* et *Saecularem potestatem*, in religione. Quae, in re publica, culmen attigit antithesi inter *Pontificem Romanum* et *Caesarem Imperii R. G.*, soluta deinceps *Reformatione*; unde antithesis inter *Protestantismum* et *Catholicismum* partem religionis; atque (accedente cogitatione : illum *libertati* et *anquisitioni*; hunc *servituti* et *credulitati* favere) contentio de *Independentia* et *Omnipotentia* partem politicam tuebatur : quae se in artium cultu *Eruditorum Liberalitate* et *Jesuitismo Tenebrionum* manifestavit. Haec quidem *interius* cernebantur. Extra Europam eadem antithesis prodiit *Islamismo* et *Christianismo*, quorum ille *Asiam*, hic *Europam* sistebat. Inde primum bella *Saracenorum* per Asiam, Africam et Europam de religione gesta; quae in duobus capitibus impletionem nanciscebantur, in *Carolo M.*, per Europam, atque *Harun-al-Rashido*, per Asiam dominante. Sequebantur pugnae *Cruciatorum* et *Arabum*; *Graecorum* et *Ottomanorum* : deinceps repraesentatae pugnis inter *Caesarem Imperii R. G.* atque *Turcas* : nunc, his debilitatis, inter *Graecos* et *Turcas*; praevalente vel nunc religionis principio. — Ex his omnibus manifestum est: *Medium Aevum* proprium *Ingenium Historicum nullum* manifestasse; quia nec natura, nec consilium sanctius; sed violentia et temeritas ad agendum impulerunt.

XI.

Haec nostra est, quam vivimus, *aetas* Philosophiae. At vero sunt paucae disciplinae, quae tam diversa tulerint hominum judicia, quam philosophia recentior. Dicta enim est ab aliis inepta, absurda, impia; ab aliis plena sapientiae, summa, jam nunc unice vera, et ad excolendam vereque erudiendam juventutem aptissima. Quum alii eandem, quisque pro sui ingenii acumine, exiguitate seu gustu etiam et aliarum artium studio, jejunam vocent et horridam, quae verborum fere spinis contineatur, ut, quicunque eam adeat, spissis tenebris prematur : alii contra nil blandius, nihil amabilius, nihil inprimis divinius eâ esse praedicant; quae sententiarum gravitate simul et sapientiae luce omnes superet; qua sola homo aliquam cum divina natura similitudinem nanciscatur. Quapropter, reliquis missis, homines esse ex ejus tantum principiis excolendos et ad virtutem adducendos, statuunt. Quum philosophia reapse majus quiddam sit, quam plurimi opinentur; quin probra, ab ejus reprehensoribus in eam jacta, omni veritate sint destituta : nobis erit videndum, ut, licet ipse mihi persuadeam, multa, quae in philosopho quaerantur singula, ea mihi deesse fere universa; ut efficiamus in lectorum animis, ut videant, et laudes et vituperia, suo quaevis loco, in eandem cadere; quin illis ea ornari seu alteris ignominiâ adfici queat. Quum enim Philosophia universam naturae et mentis humanae scientiam amplectatur, illustre, profecto, argumentum ingredimur; quod non communem tantum illam rerum notitiam continet, verum cujusque aetatis, loci et temporis propriam. Quam vero a naturae fonte repetimus, ab ea ad ipsam ducimur naturae intelligentiam : philosophiam igitur nobis optamus, ab hoc naturae studio ductam, et philosophos quaerimus, ad naturae praecepta conformatos: scientia, quam *mente* complectimur, *naturae* studio sit comparata oportet; sejunctum nihil, conjunctum omne, et id quidem a cunctarum disciplinarum parente, Historia; qua sola duce ad Philosophiae intelligentiam perveniemus.

Ut autem aliquo modo judicare de nostro tempore possimus, eam, quae nunc est, repetamus a primis inde aetatibus. In Oriente igitur et orientali imperio historiae Philosophia continebatur Religione et mutâ Comtemplatione, rebus divinis occupatâ, corpus hominis et adpetitus ejus enecante; qua homo plane interiit in sensitivae vitae sopore. Manifestavit se eadem sententiis sapientum, sed a Deo inspiratorum; qui summam sapientiam in summa vitae contemtione devotissimaque animi submissione conspicuam esse docuerunt.

Aetas quoque Graecorum ab initio easdem vidit sententias; sed eas non divino jussu, verum sapientum hominum et liberorum ingenio creatas; concisas illas ligataque, i. e. naturali, oratione conceptas : quae deinceps, habitu indutae elegantiori, coelum aperuerunt divis plenum atque Mythologiam illam sistebant, in qua dubitatur, magisne admireris formae gratiam et venustatem, an significationis veritatem et suavitatem. Postea eadem philosophia artificium fiebat, obstetriciâ velut arte adhibitâ ex ore Socratis, ut quondam ope Vulcani Minerva e capite Jovis, in lucem prognata, a Platone educta eleganter et efformata atque subtilissimo dialecticae habitu adornata est. Verum, ab Aristotele jam per siccas aridasque *notiones* dilacerata, Romanis inserviit ut *civilis* quaedam *prudentia* (providentia) : quae ipsa Aristotelicis formis, omni ideâ destitutis, extenuata, medii aevi tenebras confecit densissimas.

Ipsum denique Medium Aevum philosophiam vidit nullam, quia Phantasia dominabatur in Rationem; igitur philosophi, quales tum fuere, pro Magis quam pro Sapientibus haberi, sapientes autem videri, quam esse maluerunt. Erat namque medii aevi philosophia *mysticismus*, cui haec fuit ratio, ut a divina, nescio qua, revelatione, tanquam ab optimo fonte et inexhausto quodam thesauro, omnia hujus vitae subsidia petenda esse crederet. Quae credulitas tanta fuit in singulis et universis, ut quae nunquam oculis conspexit homo, ea sibi per angelos et daemones, in somnio divinitus promissa, edicerent, jurejurando confirmarent. Unde mirum non est, quod, qui philosophiam tum profitebantur, artem etiam salutarem, theologiam aliasque artes, se omnem naturae scientiam divinatione seu inspiratione assequi posse, summa cum temeritate sibi persuaderent et aliis. Quapropter non quod verum esset, curabant; sed quod novum et inauditum. Unde disciplinae pariter et artes, si quis illas ex nobiliori principio noverit, illius philosophiae speciem prae se ferre debuerunt, si placere vellent aequalibus. Quae res tantam nacta fuerat auctoritatem, ut vel sapientissimi integerrimique viri miraculorum auctores, etiam inviti, fierent; quoniam res notas et humano ingenio cognitas, vulgares et utiles et singulis claras nemo; incognitas et abditas et arcanas et fatuas quisque acerrimo studio ardentissimoque desiderio insectabatur. Ex quo communi fonte haec repetenda sint, supra demonstratum est.

Haec igitur de illis aetatibus sufficiant : meliorem philosophiae conditionem ecclesiae Reformatio peperit. Philosophiae sanctissima provincia haec est, ut Rationem impedimentis et catenis, quibus ea vincta est, liberet atque, ad

absolutum, ad universale tendens, adjuvet: unde sequitur, eam munus suum ibi inchoare debuisse, ubi haec impedimenta fuere maxima et eapropter philosophiae proxima. Coepit igitur elaborare in Religione, quam ex orbe idololatriae atque caecae fidei traduceret in mundum idearum vivamque vitam. Libertatis religiosae sequela naturalis fuit Libertas politica; unde πολιτεία quoque philosophiae exstitit subjecta; cujus moderamine haec civitatis etiam sapientia, ab aridis notionibus immunis reddita, illius spirare animâ coepit. Quum vero nostra, dum medicinam adferebat duabus iisque diversis aegrotis, religioni et politiae, vim pateretur utriusque; fiebat, ut duplici contagione correpta totidem morbis adficeretur. Philosophia enim, ubi religioni navabat operam, continuo altius adscendens, relictâ rerum naturâ, in phantasiae orbes evagabatur (quae, ut scimus, mira fingendi licentiâ ornare solet cuncta, ineptiarum plenissima et nugarum, magisque ad ostentationem quam ad veritatem composita), infelicissimam nostri temporis progeniem enixa est, matri plane contrariam et oppositam, Mysticismum, nescio quem, orientali-occidentalem; qui nuper admodum cuncta ad se rapere conabatur; ex quo creatus est novus iste furor religiosus, pietatis simulatio, novaque servitus.

Quum vero, intellectis illis aberrationibus, graves errores vellet evitare; id egit, ut frigidissima abstractione mentis aciem ab omni harum rerum consuetudine abduceret vitamque vivam siccis theoriis in lapidem converteret; unde, ut vitae negatio, *prima causa fiebat conversionum et motuum*. Tum autem, ut vitam demtam revocaret, solis naturalium rerum anquisitionibus indulgens, inque iis unice veritatem rerum quaerens atque id solum, *quod ante pedes esset*, spectandum, *non coeli quoque plagas* sibi scrutandas percensens (ut fere *Ennius* ait ap. Cic. De Divin. II. 13), Materialismum sistebat incomtissimum et plane ridiculum, qui animos immortales, divinos esse negat.

Ut denique haec mala cuncta simul averteret; ipsa pertinere ad nullam partem decrevit, sed esse et haberi sola; nec antiquum aestimans, neque novum, nec absens, nec praesens, nec denique ipsam rerum hominumque veritatem et exsistentiam, nisi sua voluntate creatam; omnino propriis legibus agens, reliqua ad eas conformans. Unde, orto Idealismo (qui, praeter notiones rerum mente informatas, nihil quidquam *esse*, statuit), ratio exstitit omnium abjectissima, ex hoc fonte et omnium simul systematum incertitudine petita, *Indifferentismus* in Religione, Politia et Vita. Sic igitur philosophia, qua nihil majus et praestabilius hominibus dedere dii, uti corrupta, ita despecta esse coepit levitate, qua philosophi, quos vocitant,

sanctissima quaevis riserunt, polluerunt; moresque hominum et leges civitatum et religionis placita corruperunt, verecundiam omnem parvi habuerunt.

Quodsi nunc, tam diversis studiis agitata et distracta, sibique aliena et inimica reddita, unum alterumve errorem impugnare, omnino efficacitatem ostendere et auctoritatem interponere religioni, politiae aliisve rebus et artibus vellet; non solum ipsa singulis contemtui esse debuit; verum etiam nihil omnino praestare potuit, nihil creare, nihil efficere, *praeter pugnam* et *contradictionem*. Hinc sequitur : illam nihil esse posse in singulis rebus; neque hoc ejus esse officium, ut singulis vitae partibus occupetur; sed complecti eam debere *omnia simul*, *totam hominum vitam*, UNIVERSAM GENERIS HISTORIAM, h. e. esse ipsammet *scientiam absolutam*; concinere *Philosophiam cum Natura et Historia*, quae utramque perspiciat, aeternâ harmoniâ conjunctam; *ipsam denique suae naturae veritatem in utriusque adcurata cognitione cernere*. Hoc autem omne jam perfecit illa immenso ingenio HEGELII; elegantissime culto FR. H. JACOBII animo acutissimaque mente (qui eam in media vita ostendebat); parente et auctore omnium, quo nunquam quisquam in philosophando magis suus erat, SCHELLINGIO; quibus primum viam munire velle videbatur subtilissimus ille FICHTIUS (utroque tamen in irritum ducto a frigidissimo Intellectu IMMANUELIS KANTII). Hoc modo mutata nunc omnia. Homo singulus *absolutus* redditus, homo integer, rerum et sui conscientiam nactus; quae non est amabilis tantum et libero homine digna; sed certa etiam ad virtutem dux et comes : quae cum totum expleat animum, dubium est, plusne habeat gratiarum et commendationis, an solatii et beatitatis. Non potest non placere, quod ex illo fonte fluxit tam ubere, ut praeterea nihil desideres : dum antiquorum studia semper vacuum quoddam seu in corde, seu in mente relinquerent, ad excitandum satis, ad satiandum parum.

Eadem in Civitate cernuntur. Haec enim pariter non amplius est *in* principe; (l'état, c'est moi! ille non erubuit dicere); sed cives pariter non amplius *sine* principe esse volunt : verum princeps *et* subditi (non subjecti) civitatem efficiunt. Quod Cicero exoptavit tantum, id nunc oculis conspicimus, *Rempublicam, quae est Res Populi*. Civitates ipsae jam non mutuo metu continentur; sed mutua jurium relatione, eodem ejusdem absolutae mentis vinculo. Civitates jam nunc non intereunt; nullum bellum geritur occupandi, dominandi, destruendi causa, ut antiquitus; sed ad tutandas civitates, ad independentiam omnium servandam, propter civitatum trutinam. Bellis enim nunc sententia aperitur aeterni principii ethici, actus aequipollentiae

mutuorum *jurium*, absque ulla *potentiae* civitatum ratione. — Abierunt mira et portenta cum sagis et spectris: cognovit homo cum leges, tum vires naturae ita, ut jam nullas daemonum familiae concedat aut relinquat mundi regundi partes. Non minus, quomodo ipse cohaereat cum natura, agnovit; perspexit cosmicas cum Universo rationes suas, quin ipse sibi persuadeat, se *a natura* plane esse immunem, et ad solam pertinere *mundi animam*. Jus illud Naturae philosophia juris, fons legum, i. e. positivorum jurium, factum est: leges in *mores* abierunt; praeceptum fiebat *morale* ipsamet religio. Ipsum adeo divinum numen pro absoluta dignitate sua agnitum; superstitio et impietas et idololatria ad incitas redactae sunt, mox penitus interiturae: indifferentismus in iis solum superest, qui non sapiunt, et iis, qui omni sensu ethico destituti sunt. Cuique nunc est persuasum, illa omnia nihil esse, nisi *Unius Toti partes*, sine quo ipsa esse nequeant: Poësis in vitae sapientiam; Philosophia in Poësin transivit; utraeque coaluerunt cum *Scientia unica, cum Historia*. Corona, radix et truncus vitae arborem constituunt: dogmatica iners et mortifera e disciplinarum orbe expulsa est: vivunt omnia et pullulant et fluunt. Ipsum adeo jus illud, et ars salutaris, antea maxime constrictae et quasi congelatae, nunc historicâ ratione exponi et tractari, vitâ quadam insolitâ spirare incipiunt, non secus ac theologia et philosophia, i. e. ut vita ipsamet hominum.

Praedicaverunt quidem omni tempore Philosophiam ut *necessariam* scientiam, eamque eapropter, inde a renatis literis, honore disciplinae facultativae — dedecoraverunt, cum eam vellent ornare, pro *serva* habitam aliarum disciplinarum, non pro infinito spiritu et absoluto, qui omnes disciplinas et artes conjunctas ducere ad Unitatem historiae debeat et sola possit. Unde factum est, ut inter quatuor illas Deas (facultates), sicut pauper ipse Aristoteles, quartum nostra obtineret locum; dum Theologiae, cujus sensum illi habuere nullum, propter solam ejus famam sanctimoniae, primum; Jurisprudentiae, quae panem promisit et Circenses et vacuas sensu notiones, alterum; Medicinae denique, quasi hermaphroditae inter scientiam et experimentalem artem, in vita humana exercitandam, locum accenserent tertium. Quidquid denique ad illam trinitatem pertinere non videbatur, id pariter quartae, tanquam asinae familiâs, obtrudebant. Sic, quod nemo sibi animo effinxisset, factum est, ut hic philosophiae orbis multis pateret rebus, atque cum ultra modum esset impletus, stomachi pariter et cordis officio functus, reliquis sororibus optimum succum, quo eae alerentur, suppeditaret.

Interea tota haec, quam adpellarunt, philosophia iners mansit, quamdiu non vivâ animâ incalesceret judicis illius mundanae, sanctae et aeternae mentis Historiae. Ut vero primum hac anima moveri coepit, illico intellexerunt, rationem *illius* philosophiae, per mera verba dissolutae, non eandem esse, quam sequatur historia; sed potius ipsius historiae animam esse philosophiam aliam, unicam illam et veram; quae ostendatur *idea Juris* atque habitet in corpore, quod quantumvis licet maximum, ii non sentiebant, in *materia* nimirum *totaque natura*. Ab hoc inde tempore Jurisprudentia non erat, nisi quaedam emanatio historiac, in qua sola esse aliquid potest : medicina non nisi emanatio scientiae naturalis, quae hoc modo orta, h. e. cognita est a philosophia. Haec autem Philosophia nunc *fundamentum*, Theologia *culmen* fuit Scientiae; cujus auctoritate jam nec philosophi, nec haeretici comburuntur.

Sic contigit aetas recuperatae Totalitatis, in aeternum duraturae. Inconstantia, fluxa sunt et caduca, quaecunque insunt in Partibus singulis, e Toto suo decerptis : Graeci Romanique eorumque virtutes et vitia nunquam regenerabuntur. Firmitas rerum, constantia et perpetuitas in solo Toto habitat : Regnum historiae Germanicum, orientale negativum, in *positivum conversum*, totalitas conscientiam sui nacta — haec pariter ac Imperium Orientale, quasi *negativum Germanicum*, seu totalitas sui inscia, manebunt, interire nequeunt : hoc tanquam fons et initium; illud tanquam vis vitae tranquilla, tanquam *impletio :* inter utrumque fluctuat et bullat vita et pugna. Quum *homo* singulus idem percurrat stadium ; ipse, ut *individuum limitatum*, interire *debet* in pugnâ adversus Totum suum subeundâ : *populus* singulus, ut *totalitas sui conscia*, sed non minus a Toto absoluto suspensa, *potest* interire, sed ut denuo renascatur : *genus hominum emori nunquam potest*, quoniam propter mortalitatem singulorum suam mortem non videt, h. e. quia Totum semper est superius, ubi cum parte quadam sua digladiatur.

XII.

Si mundus antiquus rite vocatur *inorganicus*, in quo omnes, lege *assimilationis*, se in patris familiâs voluntatem insinuant atque circa ejus personam quasi conglomerantur — quod idem in regno etiam minerali cernitur, ubi singulae partes materiae, nondum sejunctae, certis formis, ex aeterna naturae lege, juxta se invicem sibi impositae sunt, altera ad alteram (μετ' ἄλλων) adaptatae, quin propriam vitam manifestent; verum ut soli gravitationis vi pareant eaque contineantur : — Si mundus posterior, per *magnas* Partes

disjectus, in quavis portione limitatum Totum, circulum quendam sive globum vidit; qui globi ipsamet formâ rotundâ sibi invicem reniti seque disjungere debuerunt; seu, ubi se tangebant, inimico studio compellebantur —: Sic tempus pariter recentius eandem quidem disjunctionem, idem proprium quarumvis partium et personarum ingenium habet perfectum: verum hi *minores* circuli concinunt, ut cantus fere musicus atque, velut ad harmoniam sphaerarum, ut in orbibus synthesis solaris nostrae coelestibus observamus, intra totalitatem suam moventur, alter alterius iter alacriter percurrens et secans, quin iniquo appulsu se ex ordine suo disturbent et confringant. Potius haec singulorum ingeniorum sejunctio (individuatio), mater boni rectique et nobilioris animi impetûs, tam est necessaria, ut citra eam nec voluntas, nec libertas hominis cogitare possit. Mutuam in gratiam haec libertatis certitudo et veritas tantum parit in homine totius generis (Totalitatis) studium; ut dubium non sit, quo magis civitas per singulos (i. e. liberos) homines dispescatur, eo majori singulum desiderio teneri universorum. Quo modo qui veteribus amor *patriae* dicebatur, ille nunc est amor *hominum* factus; sicut primum, ante quam totalitas generis sese evolverat, amor *singularis* (familiarum) accreverat in amorem *patriae*.

Quo major illa sejunctio liberorum, eo majores sunt necessitates eorum; eo verior libertas in altero conspicua (objectiva); eo interior mutua necessitudo; eo propensior homo ad auxilia et *officia* aliis ferenda; quoniam, quae sunt mutua, ea negari aeque ac praestari possunt. His elementis vita conflata est, quam *socialem* adpellamus, in qua, humanitatis sensu temperatâ, ingratum propriae utilitatis studium magis magisque diminuitur, seu potius *mitigatur* et *purgatur*. Absentia enim perfecta ejus cogitari nequit (nisi in tenebris Orientis); quia, ut alios diligamus et aestimemus, nosmet ipsi erga nos eodem studio adfecti simus oportet. Quae nostri existimatio quo fuerit interior atque perfectior, eo majori laude digna censebitur; eo purior nostra erit in alios continentia et caritas; eo verius nostrum de illis judicium. Quo igitur cultior fuerit proprietas ingenii nostri, eo facilius oriri universorum conjunctio poterit. Quae cum vera sint, *studium proprium* (quem Egoismum dicunt) nulla alia re continetur, quam desiderio, ut reliqui sentiant, cogitent et agant, sicut ipsi sentiamus, cogitemus, agamus. Unde consequens est: illud studium magis coli et emendari, quo magis ratio cogitandi de nobilissimis sanctissimisque rebus, quibus ingenium hominis ornatur atque ad humanitatis sensum adducitur, ab universis colatur et concinat cum reliquis. Altera ex parte, eandem ob causam, odium quoque

indelibile et inexorabilis quaedam inter homines inimicitia nec fieri potest, nec cogitari; quia nosmetipsi nos odio persequi nequimus; sed potius, ut a quamplurimis diligamur, vehementer optamus.

Haec socialis vitae ratio non domesticis cancellis circumscripta; sed in religionis quoque et scientiae studium facta est efficax. Illius rei exemplum prostat in *Unione diversarum ecclesiae reformatae scholarum*, apud Germanos nuperrime effectâ; quae est certissimum recentioris aetatis et proprietatis indicium. In qua re *modus*, quo illae coiverunt, ipso est facto memorabilior (ex sententia vera magni viri). Coaluerunt namque sine ullo strepitu, solâ duce illâ melioris frugis philosophiâ : quod quamdiu hae res sunt, nunc *primum* factum est. Nam religio ad *animum* pertinet et *fidem :* haec vero Unio *Ratione* efficiebatur, *ethicâ, necessitate* interius sensâ. Verum absque praevia discessione partium posterior illa unio *singulorum* fieri non potuisset, h. e. non sine scissione apertâ et pronunciatâ; non sine disjunctione secundum tempora, loca, res, popularitates et sententias diversas. Illa sola *hoc tempore,* hoc, inquam, ipso tempore, experientiâ trium saeculorum, quid faciendum esset, edocto, ad concentum duxit. Quodsi Catholicorum etiam Doctrina eodem modo per partes fuisset disjecta (quod partim quidem fiebat Jansenismo); per eam nulla unio, sed dilaceratio oriri in infinitum debuisset, quoniam ea, in sola fide et sensitivo sopore consepulta, ad claram lucem ideae pervenire non cupit. Doctrinae contra reformatae contigerat, tanquam primum regenerationis heredium, *libertatis interioris sensus;* quo ipso duce ad harmoniam et caritatem communem homo pervenire solet. Quod adtinet ad sapientiores utriusque Cultûs, illi nullâ unquam indigebant unione exteriori : unde hanc rem, tam extraordinariam tamque gravem, nemo mirabatur, sed tanquam *factum historicum* i. e. *necessarium,* intuebantur omnes.

Unionis literariae exempla esse possunt, praeter alia, cum *Academiae* variae superiorum saeculorum; *Societates literariae* variorum nominum, et recentissima ad aperiendos fontes historiae Germanorum Francofurtensis; denique Consortium Lipsiense Philologorum ipsorumque Librariorum.

Politia quoque exempla praebet non pauca. Huc accensenda : Abolitio servitutis glebae adstrictorum superiori saeculo; civitas cum Judaeis communicata; abolitio mercaturae cum Nigris factitatae; agnitio independentiae coloniarum Europae; jus civile in ecclesiasticos quoque potens; cultus et humanior quaedam disciplina militum, et morum emendatio ab ea re-

petenda, illorum etiam, qui in hostium terris versantur. Porro Leges mitiores redditae; verbera interdicta; poenae capitales et ignominiosae rariores factae; quoniam poena statuitur non ab irato homine, sed ex ideali jure, magis in delictum, quam in eum, qui delinquit, h. e. quoniam ex erectiori ideâ poena inprimis est vindicta *ob violatam legem* sumenda; deinde quia poenis emendare hominem, non cruciare vult legislator. Honor et vita summum bonum hominis; cui ablatum est unum seu utrumque, ei neutrum homo reddere potest: qui existimatione minutâ utitur, ei ademta est conditio emendandae vitae. Pariter deest nunc in poenis capitalibus vetus crudelitas, quam improbat idea juris, quae in malefico etiam humanam considerat naturam; (unde carnifex etiam non amplius infamis censetur). Bonorum publicatio hodie fere inaudita, nisi ea sit ad reparandum damnum instituta: punitur enim, qui deliquit, neque liberi ejus et uxor. Non minus extra usum venere tormenta, periculum ignis et aquae atque, mutuam in gratiam, Asyla. Ab Inquisitione et judiciis clandestinis abhorret idea, non magis, quam a cognitionibus et judicibus extraordinariis. Cuncta magis referuntur ad moralem sensum. Qui ipse se inhonestâ vitâ polluit (ganeo, adulter, mulier impudica), is infamiâ publicâ non indiget. Qui vero judicatur, ille popularibus legibus et judicibus utitur, nonnunquam paribus, semper aequis (h. e. iis, quorum ea res non interest, de qua agitur), adjunctis causarum patronis electisque ab ipso reo defensoribus: atque haec omnia maximam partem apertis januis fiunt; non ut dedecus rei evulgetur, sed ut aequitati publice satisagatur et relinquantur omnia sententiae communi et misericordiae universorum. — Qui haec omnia secum animo reputaverit, inter ea et placita Christiana magnam intercedere similitudinem non dubitabit.

Quod vero adtinet ad Civitatis rationes; nihil esse potest magis sibi diversum eo, quod de illius origine, ordinatione et constitutione statuerunt antiqui atque recentiores: quae dissensio tantum abest, ut vel hodie sit composita et terminata, ut nos quoque de ea re sententiam dicere non vereamur. Atque fuere nonnulli, qui *Necessitatem* dicerent civitatum parentem. Cicero (De Rep. III. 1) « jucundissimo inter se *Sermonis vinculo* colligatos esse homines » putat. Gallis haec omnia *Inventa* et *Pacto constituta* videntur. Hi igitur societatem ponunt ante societatem. Quodsi hoc *dementis* sit, illa Necessitas *veritate caret*. De Lingua vero? Eam *filiam* potius, quam *matrem* esse societatis, constat (sunt adeo *mutorum* animalium coetus); nunquam vero, quod sciam, filia peperit matrem suam. (De origine Loquelae

et Linguae alio tempore ipsi dicemus). Quid multa? Uterque, Romanus infantiae generis humani nimis *confinis*, et Gallus ab ea nimis *alienus*, de societatis origine statuere non *potest*.

Ortae sunt civitates ex *adfinitate* et *sanguinis cognatione*; igitur e *familiarum nexu*, qui est omnium primus et quasi seminarium civitatis. Vir enim cum Muliere *simul* totum hominem constituit. Pendet a matre foetus *funiculo umbilicari*; infans natus ab *uberibus*: mater *cum* liberis suspensa est a *patrefamiliâs*, qui in tota gente, cujus ipse solus personam agit, principium sistit *positivum*, *negativum* mater, ita, ut solaris et telluricus polus in parentibus, punctum indifferentiae (ut hoc utar) in *prole*, ex utroque natâ, cernatur. Sic fieri societas coepit. Verum nunc quoque nondum instat illa *necessitas*, sed *necessitudo* exsistit ex naturalibus bellis familiarum; quibus hae (h. e. patres-familiâs) *singularitatis* (individualitatis) suae nanciscuntur certitudinem. Inde efficitur sive *victoria* (igitur *subactio* devicti et *interitus* in victore); sive *bellum anceps*. Ad bellum homo semper est *paratus*, licet non ad idem *destinatus*. Pax fiat *necesse* est, conditio vitae et cultus: (qua re tota continetur *Necessitas*); pax mater est agnitionis mutuae, et jurium exinde, et societatis ad jura tutanda instituendae. Sic igitur data est et concessa mutua *tolerantia*: (qua re tota continetur *Conventio*, totumque *Pactum*).

Quam parcam veteres de civitatum *Formis* habuerint notitiam et vero etiam habere potuerint, facile probabimus. Antiquissimos populos (*gentes* erat dicendum) ad unum omnes a *Regibus* fuisse rectos, veteres perhibent; quibus adstipulatur Eusebius (Chron.): universum orbem regium imperium tulisse, Justinus refert (I. 1., e TROGO nimirum POMPEJO) et inprimis Cicero (De Legg. III. 2), qui illos populos eapropter vocat *barbaros* (De Finib. V. 22. Cfr. EURIP. Iph. in Aul. 1402. ARISTOT. De Rep. I. 2. III. 14) et ipsâ naturâ *servos*. Non minus apud omnes Graecos et Romae etiam regnatum fuisse, Dionysius Halicarnasseus addit (V. 74). Verum, ut inde ordiamur, Despotae orientales nec Βασιλεῖς fuere, nec *Reges*. Deinde scriptores illi minime intellexerunt *servitutem* ORIENTIS; quam igitur cum sua ipsorum servitute confundebant. Tum suos *Reges* ab illorum *Dominis* minime distinxerunt; quapropter illud ipsis accidit, ut Graecos pariter atque Romanos vetustos, aequo jure, *servos* fuisse putarent; quin tamen (ab hoc enim nimis abhorruit fastus illorum) eos *barbaros* dicerent. Denique nesciverunt, quid sub ejusmodi regibus cum Γερουσίᾳ facerent et *Senatu*; quomodo *Eupatridas* et *Patricios* redderent cum illis Dominis congruos. Quodsi igitur rem quamvis pro natura

sua intellexissent; non magis eos fugere potuit, despotam orientalem nec τύραννον Graecum, neque *regem* fuisse Romanum, sed *patriarcham;* atque orientales liberiores etiam fuisse in *Servitute*, quam in *Civitate* sua Romanos. Porro *regnum* illud nihil aliud fuisse, nisi potestatem quandam patriarchalem, ex Oriente tamen *transplantatam in occasum.* Cur Romani a *regis* nomine abhorruerint et regnum aboleverint; cur regem ultimum *Superbum* adpellaverint et Graeci dominos suos τυράννους? Quoniam firmiter sibi persuaserunt, Regem qualemcunque, seu Tyrannum, *necessario esse libertatis suppressorem; quoniam bonus esse* et *malus posset.* Quod autem ignoraverunt penitus, hoc est: Δεσποτείαν patriarchalem jam tum interiisse atque suffectas in illius locum Ἀριστοκρατίας. Et Romani quidem obliti erant, Romulum non principem fuisse in civitate *matre*, sed ducem *coloniae;* quae causa fuit, cur dux ille, jam rex factus, *a patribus se sejungeret;* igitur ipsorum exsisteret *hostis.* Unde Romulum illi, *orto tumultu*, inter Deos retulerunt, *Quirinum:* [hoc praegnans est: conspiciuntur enim in hoc negotio *Etrusci*, i. e. Ordo Sacerdotalis s. Lucumonum, qui sunt Patricii Romani (unde praegnans est illud J. Lydi, De Magg. Rom. in Prooem. ab initio: « *Sacerdotes initio fuisse, qui postea Magistratus reipublicae Romanae!* »), penes quos *olim* fuerat imperium idem, quod deinceps Romulus sibi arrogavit]. Utrum Codri *apotheosis* aliam causam habuerit, nec ne; vix potest dubitari: deerat enim *patriarcha* post eum *legitimus; secundo genitis* nemo voluit parere regibus. Exactis autem hisce Eupatridae et Patricii soli splendebant; illi nobilitatis famâ, hi auctoritatis potestate et *caritate*, i. e. patriarchali jure divino. De ea enim re dubitari nequit: ipse etiam Cicero (De Rep. II. 8) Patricios *a Caritate* Patres vocatos fuisse testatur; unde facile sequitur, eos *patres* fuisse *gentium*, *capita stirpium majorum*, *patriarchas more majorum*, (veros Lucumones Etruscos) i. e. orientali seu naturali more. In quo numero Romulus *non* fuit; sed is Bellatorum caput.

Romulum reliquosque reges cum universo deinceps regno abdicandos esse, per duo saecula *persentivere* patres; cur id faciendum esset, *scire* nequibant. Interea Graeci pariter ac Romani, Eupatridae et Patricii, pugnâ cum regibus subitâ, certitudinem sui nacti, *individualitatem* suam cognoverunt; cui nunc ex adverso positi erant alii, in quibus se suamque naturam intellexerunt, quibus renitendum erat, Δῆμος nimirum atque *Plebeji.* Odium et pugna illius rei sequela fuit. Quod hoc odium adtinet, *constantiores* fuere patres; in pugna vero, plebejorum *manus* fuere superiores. Natura medium suppeditavit, quo hoc odium aliquantisper sedaretur, haec

pugna quiesceret : — Servius Tullius Romanis, ut Solon Atheniensibus, *Timocratiam* scripsit. Erat magna utriusque plebis exspectatio, quam decepit tempus, inconsultis tamen legislatoribus. Ditissimi enim fuere Patricii; qui igitur pollebant plurimum in Timocratia : unde Athenis Pisistratus adparuit *Tyrannus*, mox *Democratia :* Romae (postquam Senatus, auctore Servio Tullio, quum differentiam inter Patres majorum et minorum gentium instituisset, fuerat debilitatus) *Tribuni plebis*, mox *turba forensis* dominari coeperunt; qua re hîc et illîc disjecta civitas ea facta est, quae ab historia censetur nulla. Coepit contagio, qua deinceps Graecia periit et (longo licet temporis intervallo) Roma. Haec tabes erat in Democratia involucris. Romam temporis ingenium voluit *Aristocraticam;* pariter civitates Graecas : Democratia *debuit* ducere ad Tyrannidem et *Dictaturam perpetuam.* [Quum Francia esse vellet Democratia, abnuit aetatis ratio; atque illa per Oligarchiam et per Dictaturam revertebatur ad *Monarchiam legitimam*]. Pessumdatâ civitate, accessere philosophi, qui *de Optima forma imperii garrirent.* Erat quaedam dubia recordatio *Monarchiae*, in qua inesset *rerum unitas; Aristocratiae*, in qua esset ingenerata rerum *constantia*; denique, haec enim ad manus erat, *Democratiae*, cui cognata esset vis et celeritas : quam bellam medicamenti formulam pro viribus commendare non erubuerunt vel recentiores). Inde vero sequebatur — Nihil, praeter argumentum pessimae opinionis eorum, qui *tribus* elementis, naturaliter sibi repugnantibus, civitatis beatitatem effici posse rentur; et alterum hoc : conclamatum fuisse de antiquo tempore vetustisque formis; tertium : philosophos non satis intellexisse, quid vellent. Quibus adjici potest quartum : verissimum indicium fuisse interitûs civitatis qualiscunque veteris; simulac ad philosophos, tanquam ad medicos esset confugiendum : illi enim boni fuere laudatores mortuarum.

Sic evanuerunt veteres Ἀριστοκρατίαι; cum iis mores veteres et Dii atque, necessario, amor patriae et prudentia civilis. Quo rerum intuitu verum est, πολιτείαν et sapientiam fuisse eandem : vere Plato hominem potuit adpellare « animal sapientiae civilis capax; qua sapientiâ ad id ducatur, ut faciat libenter (juxta XENOCRATEM et CICERONEM), quod alii lege coacti facere soleant ». Verum illam πολιτείαν tantum abfuit, ut illi cognoscerent, quantum nullam ipsos habuisse sapientiam, certum est. Leges autem, quae *cogunt*, mali ominis sunt. Illi vero tale quid voluerunt, quod ipsimet sibi ne philosophando quidem efficere potuerunt; ut nempe homo nancisceretur concordiam suae naturae et universorum, h. e. ut ad Conscientiam

Sui perveniret. Quo magis igitur haec talis sapientia veteribus incognita, seu saltem dubia esse debuit; eo illi majorem habuere reverentiam ἀνδρὶ πολιτικῷ; atque mirum non est, quod philosophus, qui tam acri et certo studio discipulos suos ad illam sapientiam informare cupiebat, *gravissimus et severissimus philosophorum* praedicaretur; (quod contigit illi *Xenocrati*: forte non majori jure, non majori in philosophiam et vitam utilitate, quam iis, qui postea Doctores *Seraphici* et *Irrefragabiles* vocitabantur). Pari modo Romano totus quidam populus πολιτικός, qualem vidit nunquam, licet suum esse crederet, populus *gravissimus* dici debuit; qui non alios proferret, quam *gravissimos* viros, in quorum numero censebantur Catones et Bruti; quos malim *sterilissimos* et *rigidissimos* vocari. Noverunt namque illi *civitatem solam*, neque vero se ipsos: unde homo interiit in cive adeo, ut nec ille, neque hic censeretur in rigida et frigida civitate Catonum. (Quum consulto me abstinerem, hanc Commentationem locis e classicis auctoribus veteribus et recentioribus citandis ornare; laudare placet *Commentationem*, praemio donatam, *De Formis rerum publice gerendarum*, Delwardii, egregii discipuli mei, qui auctore me et suasore, quaecunque huc pertinere videantur, diligenter congessit: in qua re id unum non est consecutus, ut *Theocratiam* veterem et *Monarchiam* recentiorem plane perspiceret. Prostat Comm. in Annal. Acad. Lovaniensis, anni MDCCCXXI — MDCCCXXII).

Verum enim vero quantum ab illa antiquitate differt hoc tempus! Nunc homo *civis* evadit, ut ad humanitatem informari omnesque vires suas explicare possit. Singulus ad perfectam sui cognitionem pervenit, qua, quae facit, sua causa facit. Verum eandem ob causam ipse se non cognoscit, nisi in alio, ad quem, velut ad totum aliud, fertur, quocum conjungitur origine, lingua, eadem patria, iisdem moribus, communi necessitate et consuetudine vitae. Quod maximum est, cum alio ille copulatur mentis intelligentiâ, quae, sicut est in quovis homine quaedam mentis mundanae pars integra, ita, recuperatâ tantum cum absoluta mente communione, perfecta esse potest. Quae res optimos cujusvis generis fructus tulit; quos inter praecipuus hic esse censetur, ut nullum amplius elementum repugnans in civitate sit; sed ut concinant ad idem efficiendum cuncta. Quod quidem negare nemo potest, nisi posthumus quidam historiae nugator, seu serotinus aliquis politiae locutulejus et reliqua id genus blateronum familia: quae in celebratis olim Graecorum Romanorumque temporibus adhuc circumerret, de Aristocratiis somnians et Democratiis aliisque ejusdem frugis Optimis civitatum Formis. Nulla amplius civitas in sophistarum incude formatur; verum quae

in ea sunt inveterata, ea suâ sponte repuerascunt, ut vitis juvenis e veteri ducitur, ut homo juvenis a natu majoribus educitur.

Sunt quidem tria hodie in Civitatibus, sed tria in Uno. Hoc est Commune illud et Absolutum, in cujus fundamento, habitâ tempestatum et cultus ratione, civitatis Aediles aedificant, quae salutaria videntur: semina spargunt reipublicae villici, quae naturae vi pullulant, et fructus ferunt laetissimos. Sunt deinde alii, quibus hoc est voluntate omnium demandatum munus, ut singula ex universali illo ducant et ex aequo judicent. Sic vita est in partibus, in toto; quae sejuncta nihil sunt. Tertium denique eodem modo habet *potestatem* summam, singulorum *voluntate* prognatam. Quam qui tenet, PRINCEPS vocatur.

Habemus igitur (peregrino tamen verbo, indicatam magis, quam expressam) MONARCHIAM. Oriens δεσποτείαν vidit, quasi monarchiam *moribundam:* aetas nostra potentatum habet, sed monarchiam *vegetam*, communi omnium vitâ et animâ spirantem. Illîc Chaos confusum, materia, *ex* qua homo prodiit ad libertatis conscientiam: hîc Ordo est perfectus, ideale Totum, *in* quod homo se insinuavit penitus, in quo vitam suam exserit. Haec igitur recuperata totalitas *ordine agilique vita* se commonstrat, quia partes, quibus constat, integrae partes sunt et sui consciae: quarum quaevis proprietatem suam adversus alteram, ipsi objectam, et contra Totum, in quo inest, tueri studet, ne ipsa ab illo absorbeatur. Hac re HONOR continetur, (quem jam Montesquivius vitae Monarchicae principium esse statuit); cujus ea est natura, ut extrinsecus ostendatur. Quapropter *propria existimatio* cuivis ejusdem civitatis Ordini, cuivis etiam Civi, habitâ meritorum ratione, tribuenda; iis vero, qui prae reliquis excellunt, *ornamentum* quoque honoris elargiendum est. Nam honor, agnitus in uno, simul est existimationis alterius confirmatio. Quam adcurate haec exprimant ingenium Germanicum, non est, cur moneamus. Vidimus enim, honoris principium, elegantiorem sensum ethicum, *recentiori* tempori esse ingeneratum. In hoc fundamento tota Legislatio nostra superstructa est, quae ipsa non est, nisi fructus principii conversionis idearum. In eo non minus nititur res Militaris hodierna, quae nihil aliud est, quam illius principii defensio. In eo conquiescit Opinio publica, quae non est, nisi idea illius principii, in latam vitam traducta. In eo denique inest tota πολιτεία recentior, quae est opinio publica, vitâ practicâ ostensa.

Quemadmodum civitas nulla *creatur*, sed *nascitur* quaevis sponte suâ:

eodem modo Princeps non *eligitur*, sed *est* jure nativitatis. Hoc plane Germanicum est et ubique valuit et valet — duabus tantum civitatibus exceptis, Liberâ Poloniae Republicâ et Regno S. R. Germanico, quae *electiles* fuere. Verum utraque toto coelo a se differt. Polonia non erat Germanicum regnum: quum eadem esset in septentrione collocata, in finibus fere Europae et Asiae, electilis ejus exsistentia, quasi antithesis civitatum vere monarchicarum, propterea adesse videbatur, ut civitatum reliquarum mentes, bellis perpetuis gestis, in se, tamquam in unum punctum, adverteret atque septentriones magis magisque cum meridie conjungeret. Quam provinciam quum illa administrasset, quin ipsa ad conscientiam sui pervenisset; factum est, ut regnum Poloniae, quasi struma civitatis, ut ganglion corporis politici, exsecaretur. Quidquid alii de hac regni dilaceratione querantur; certum est, non *debuisse* hanc talem rempublicam (nec *liberam*, nec *monarchicam*, sed ex vitiis utriusque conflatam) eâdem formâ tolerari amplius.

Alia plane fuit Regni S. R. Germanici *electilis* conditio. Hoc enim *hereditariis* conflatum erat civitatibus (praeter *ecclesiasticas*, quas eapropter delevit tempus) et arcte conjunctis. Praeterea hae civitates *caput* ejusmodi sibi sumserant, quod solum *moderaretur* res *omnium* communes; cui *auctoritas*, non *potestas* esset; ad *uniendas*, non ad *regendas* reliquas constituta. Erat enim ipsis persuasum, *cives* quidem posse principis potestati esse subditos, neque vero *civitates*. Sed altera ex parte, cum necessitatem foederis arctioris *sensissent;* neque tamen ignorarent, Universalem quandam Rempublicam Europaeam, in qua *inessent* civitates omnes, (qualem Henricus IV in animo habuit) *et quae a persona monarcha regerentur*, dementis esse: illae *independentiam servare singularum* et *unitatem simul efficere* se posse opinabantur. Quae res, licet ab ipsa *idea politica* propterea abhorrere non videretur, quod illae civitates fuere ad unam omnes Germanicae, h. e. *cognatae;* tamen, cum naturae civitatum omnino (quarum vita et res *absolutâ* continetur *independentiâ*), et vero etiam hujus ingenio temporis adversaretur, causa erat scissionis et interitûs jam inveterati Imperii Germanici.

Ille princeps *naturalis* (*Koning :* nulla lingua peregrina ejus nomen reddere potest) sistit, primum: *Unitatem* IDEALEM communis et supremae potestatis, civitatis et civium, atque interius cernitur tanquam *Suprematus regius* (souveraineté intérieure); deinde: exteris adparet tanquam *dominus* civitatis suae et *verus* ejus *possessor*. Inde consequens est, primum: in principis *persona* et *voluntate* positum esse ultimum et extremum rerum arbitrium, a quo nulla sit ad altiorem provocatio; deinde: principi jus belli et pacis

competere, quo civitatem *suam* contra reliquas defendat: qui est *Suprematus exterior*, tum modo totus et efficax, cum ad eum accedit interior ille. Illud arbitrium eorum, quae humanâ sapientiâ decidi non posse videbantur, veterum sententiâ tribui solebat *Oraculis* et *Sibyllis* (apud Aethiopas, Aegyptios, Graecos, Romanos, alios), seu *sacrae Sorti* (e. g. apud Hebraeos *Urim* et *Thummim*), sive *Equis sacris* (ut apud Persas et Germanos), seu *Druidis* (Gallorum), *Alrunis* (Germanicarum gentium), *Sagis* denique et *Magis* (mediâ praesertim aetate). Rex ille est *Dei gratia*, non hominum constitutione [« par la grace de dieu *et la constitution* » se Imperatorem dixit Napoleon, velut *κατ' ἀντίφρασιν*, ut lucum a *non* lucendo; simulque Majestati nocuit], ut *sacrosancta persona*, *nullis rationibus reddendis obnoxius* (quae obligatio in ministros regios translata est); qui *errare* nequit, nec *judicari* a populo suo (qui si hoc sibi arroget, relictâ unitate absolutâ civitatis, dilabatur necesse est; quod Franciae populo accidit, quum regem in jus vocaret). Potest Rex, quod hominis naturam superat, *voluntatis et naturae effectus inhibere*: nam ipse est utriusque perfecta unitas. Eapropter ipsi *jus gratiae* competit (quo delictum deletur jam commissum); potest *naturalem* filium *legitimum* declarare, *peregrinos* autem *indigenas*; *nativitatis nobilitate* donare eum, cui eam natura negavit; *honore condecorare equestri* virum, quem virtus nobilitavit: merita vero hominum censere, ab Ejus tantum idea pendet adeo, ut sit nefas, in causas inquirere actionum Majestatis. Quae homini dari nequeunt, cum Rege naturâ sunt conjunctae, *vires omnis civitatis*: a quibus singuli lege cohibentur, certaminibus et pugnis et vindictâ; ea regi ipsa nominis sanctitas et salus civitatis tribuit, e. g. jura belli. (Hac ratione Legatis regiis, si honor principis id postulare videtur, *Certamen singulare* competit; quod in singulis civibus delictum sit, in infinitum crescens).

Nomen regium et natura ejus est MAJESTAS, divinum in humano insitum; in naturâ mens; numen in persona hominis expressum; sensus naturalis in conscientia animi; recens et antiquum in totalitate et unitate manifestum. Ad hanc Majestatem Gradus ducant complures; commune per media nobiliora adscendat ad id, quod assequi nemo homo potest. Quapropter *Nobilium*, *natorum* seu *creatorum*, *Ordines* varii in Monarchia sint necesse est, et ipsi adeo ministri domestici Nobiles esse debent: (sed haec nobilitas aeque *idealis* est); ut fere genii et angeli, quibus haec maxime est significatio, per gradus indicant sanctitatem absoluti Numinis; *cujus spiritus in Regis caput, sacro oleo tinctum, descendit.* Sicut autem vetus tempus *fideli contemplatione*; medium phantasiae *vivis imaginibus*; recens *clarâ mentis*

intelligentiâ, quodvis *sigillatim*, distinguitur : sic *Majestatis* nomen unâ omnem trium illorum sanctimoniam tenet. Est enim Rex, ut *natus* populi princeps, *Patriarcha* (totalitas indistincta vetus); ens est ab intellectu *incomprehensibile, phantasiâ comprehendendum* (medii aevi : quapropter regibus Angliae et Franciae potestas tributa est, strumas sanandi; pariter columba sanctam ampullam ad Franciae reges ungendos de coelo detulisse credebatur). Est denique in Rege communis voluntas idealis voluntatum civium, sui consciorum; qua re oritur persuasio, regem, qui unus complectatur libertatem omnium, *ipsum esse sanctum : quae est totalitatis*, quondam disjectae, *recuperatio*. Est autem idearum omnium, quae mente percipiuntur, perceptu difficillima *Majestatis idea*; in quam simulac inquiris, ut est subtilissima, ita e manu ipsa effugit. Qui igitur, immani intellectu ductus, illud *Credere et Scire conjunctum* nondum purâ mente percepit; nae ille profanis manibus invadat sacrosanctam Majestatis ideam [quod tamen Gallicâ conversione factum esse, nemo nescit; ubi, licentiâ pro libertate assumtâ, cives in *humana* jura inquirentes, *divinum* in rege *numen* violarunt, commiseruntque crimen, cui unicum tantum per totam historiam par est, majus nullum. (Omnino cfr. Philosophorum coryphaeus, *Hegelius* : Naturrecht cet.)].

Ex his talibus monarchiis solis, tanquam totalitatibus integris et clausis, magnum illud systema civitatum politicum enasci potuit; *intra* quod illae totalitates *independentes* esse (independentia enim est civitatum conscientia et libertas) potuerunt, sicut singulus civis in *sua* civitate *liber* est. E *civitatibus liberis* solis, seu *pluribus* saltem, (quarum numerus immensus esse deberet, quia illae nunquam esse possunt *ampliores*) quasi e totalitatibus *sejunctis*, sui studiosis, invicem hostilibus et sibi oppositis, nunquam *Trutina* Europaea oriri potuisset. Sic igitur ex hac quoque parte Germanicum principium fons est omnis πολιτείας, atque ipsum adeo systema Feudale, quod multi conviciis consectabantur, intelligebant paucissimi, hujus systematis fundamentum fuit. Ut autem inest in hoc systemate civitatum independentia, ita in majestate involucris libertas est et constitutio. Est autem tempus Germanicum *aetas Constitutionum* : contra quam sententiam nemo cum aliqua veritatis specie nobis objiciet: *Tempus illud jam diu exstitisse, Constitutiones vero nunc maximè efflagitari!* Hoc plane abhorret a vero : constitutiones omni tempore fuere, tempore adeo Gothorum, in Hispania, in Francia in Germania, ubique. Repetunt jam eas, quae sive abusu in desuetudinem venerant, seu ipsâ legum longaevitate factae sunt perniciosae. Non illas volunt, quae fuere; sed eas, quae cum ingenio nostri temporis congruere possint.

Haec vero non a primo quovis impube nec peti, nec institui possunt; sed in solam regis Majestatem conveniunt.

De *Religione* et *Scientia* non dicemus *sigillatim*, verum de utraque simul: Utraque enim, non omni quidem tempore, una est (cfr. *Kieseri*, summi philosophi naturae scrutatoris : System des Tellurismus). Utravis in duas dilabitur partes, *Veteris* et *Recentis* mundi : ratio utriusque est eadem, ac *Materiae* et *Spiritûs*, *Realis* et *Idealis*, *Negativi* et *Positivi*, *Telluris* et *Solis*; *Credere* et *Scire*. Et antiquus quidem mundus cernitur *fideli quadam contuitione* Summi Numinis, quae *personas divinas* sibi effinxit, quas suo habitu exornavit phantasia quaedam ultra modum excitata. Est igitur in illo mundo conspicua *vita sensitiva*, cum in homine singulo, tum in populis universis : vires naturae in numina; Theologia in Mythologiam conformantur; mentis acumen phantasiâ continetur. Recentior mundus cernitur *intelligente intuitione* Dei, quae *unum* Deum cognovit, absolutâ ideâ conceptum : vires naturae *vires* sunt, quarum intelligentia est in singulo homine inque populis universis; Theologia autem cum Philosophiâ eadem. *Divinatio*, per immensa spatia infinitaque tempora provecta, ad *antiquum*; ad *recentiorem* mundum *intelligentiae certitudo* pertinet, non magis circumscripta. Ratio enim tempore est et spatio superior, quorum septa spernit et superat. Quidquid mundo antiquo adparet, qui nimirum primam modo et inferiorem vitae formam, orienti propriam, sistit, cum natura confuso; id omne spectatur tanquam *coelestis significatio* (Revelatio), auxilio fidei facta divinitus; igitur Intellectûs cogitatio (Reflexio) et Rationis idea nihil censetur, neque potest in lucem prodire. Quam ipsam ob causam omnia sensuum obtutu *ingeruntur; non interius concepta, sed extrinsecus allata;* non *ab hominibus excogitata*, verum *ab altiori quodam numine coelitus demissa* et eapropter pro *divino inflatu* habita. Libertas singulorum necessitate constricta; religio cultus est naturalis quidam altioris ordinis, ejusque leges traditionibus continentur; fides denique est penitior animi sub voluntate omnipotentis subactio. Contra, quae adparent recentiori tempori, ea omnia duce utuntur *mente intelligente;* quae agendi lex originem habet e cognitione legum naturae, quas Ratio, sui conscia, sibi habet subactas; quae ipsa se manifestat morali cognoscentis hominis libertate. Ille *sentit* praecepta Dei; hic eorum *certitudinem nanciscitur :* ille numen imagine induit et corporeum effigurat; hic idem percipit ideâ, omni corpore et forma liberâ. Illa aetas parentem habet orientem; haec occidentem, qui scientiam simul et leges ejus et rationes peperit; quas complectitur *Philosophia*.

Inde consequitur: duos quasi polos esse, sibi invicem adversos: Credere illud et Scire nostrum; quod (si utrumque usurpas sejunctim) illud excludit ab eoque abhorret. Est igitur immensa inter utrumque inimicitia; quam furor etiam religiosus et sacrorum irrisores, ex quo tempore Reformatio duo illa sejunxerat, abunde patefecerunt. Verum unde hic furor? Quaeritis? Quia pars utravis placitorum veritate alterius non erat perfusa, et uterque dimicator nescivit, alterum sine altero non magis esse posse, quam sine animâ corpus. Sunt autem partes illae unius Toti duae. Quis autem se totum possidere adfirmaverit, cum ipsi desit dimidium? Est igitur necessarium, ut ex duobus fiat unum, et hoc mutuâ ratione conjunctum. Illud *Credere caecum* pariter ac *incredulum Scire* veritate caret. Scientia igitur *credere*, Fides *scire* debet, ut concinat utrumque. Verum nihil est eâ re ad efficiendum difficilius erudito pariter ac inculto. (Cfr. Fr. Ancillon: Ueber Glauben und Wissen in der Philosophie. Berlin 1824. 8).

Quo igitur medio hoc efficiet homo? Auxilio matris communis omnium rerum, in cujus gremio sunt concepta cuncta, in cujus vita inest conditio vitae, veritatis et exsistentiae eorum, quae est omnium rerum maxime universalis — auxilio HISTORIAE. Haec ea uniat oportet, judex illa incorrupta, judex etiam judicum et regum et populorum. Vaeh misero, qui illius sententiam non perceperit, et dicto non fuerit audiens! Ipsa est omnis experientiae thesaurus longe ditissimus, per tot saeculorum spatia communi generis humani curâ et vitâ comparatus. Ut religio amplectitur animos hominum; sic historiâ continentur omnes eorum vires et doctrinae: ubique et perpetuo morum praedicans puritatem, factis ea et exemplis, non verbis tantum illos commendat: ubicunque actiones deprehenduntur sibi contrariae, et sententiae sibi adversae, et voluntates diversae; eadem exsistit conciliatrix amica et blanda; quoniam ubique patefacit et creat ideam pacis divinae eo, ut quae mala fuere et perversa, temporis diuturnitate et locorum intervallis imminuat, dissolvat et tanquam in calcem convertat: bona vero omnia, per innumera media perducta, depurget, emendet et in aurum quasi purissimum commutet: eo etiam, ut bonos universos, quantolibet illi temporum et locorum spatio distent, in unum lectissimumque coetum conjungat; in quo mutua consuetudine utantur; vicissim se erudiant et confirment in anquirendo eo, quod ubivis et quovis tempore *Constans* fuit et *Firmum* et cunctis aeque *celebratum*; quod cernitur Virtute et Sanctimonia.

His unice rebus Historiae laudes continentur, quam putidum foret, si vellem a detrectatorum male sanorum conviciis defendere; qui anilibus eam

fabulis refertam, seu iis unice compositam dicunt, ipsimet ἄμυσοι penitus. Multo tamen simplicius his temporibus existimari coepit de Historia ab omnibus iis, qui liberaliori institutione usi sunt. Omnino nunc suo habentur pretio quaevis disciplinae; quia nunc tandem, historia ipsamet duce et magistrâ, arctius earum consortium plurimis coepit innotescere. Atque est haec profecto temporum nostrorum felicitas et verissimum progressuum humanorum indicium, quod tam multi, tamque egregii historiarum conditores exstiterunt. Quodsi paullo luculentius depromserim, uti adhuc feci; facillime simul et efficacissime effecturum me spero, ut aliis persuadeam, ut porro procedant ad quasvis doctrinas majores, si artes bonae et humaniores literae ad philosophiam accesserint, eleganter tractandas. Quod nunc tantum facillime fieri potest, quod hodie artes quaevis non ad paucos, ut olim, pertinent; sed communis utilitatis sunt atque ad eruditionis pariter quam ad vitae elegantiam et dignitatem adhibentur. In hoc vero etiam deinceps explicando sequar eandem praecipue viam, quam in aliis quoque rebus declarandis mihi praescripsi; ut nimirum nihil proferrem, nisi ex ipso petitum *Hominum* INGENIO et *Historiae* NATURA; duce vero PHILOSOPHIA. Ducit enim haec, ope historiae, ad veri investigationem, quae in majoris indolis hominibus non artes modo peperit inventaque innumera; sed, ad praeclariora tendens, morum induxit venustatem et honestatem, virtutemque commendavit illam ut homine dignissimam, aequi justique sensum bonique adpetitum, pulcri moralis singularem illum amorem et, quo esse divinius nihil potest, *justae fidei* praestantiam, omnis *scientiae* fontem, *Credere* illius et *Scire* nostri harmoniam, ne dicam, unitatem.

Jam vero quaeritur, qua duce utatur homo, ut tanta assequatur et fere divina? Non unâ, sed duabus, iisque ex elementis duobus natis, ex quibus hic mundus ipse constat; eâ igitur, quae, in materiâ concepta, summam *vitae sensitivae* sistit, *Phantasiâ*, materiam extollente in altiores orbes: deinde alterâ, quae summam vim *mentis* manifestat, *Philosophiâ*, spiritum deducente in orbes materiae. Ubi hae duae concurrunt in medio atque manum quasi sibi porrigunt, *pax* est et ea beatitatis perfectio, ad quam tendit omne Scire nostrum ideamque perficit *Historiae*. Phantasia, quatenus in Arte cernitur, in pulcro illo, in poësi inprimis, inter tempus praeteritum atque futurum intercedens, utrumque conciliat, ac parat hoc modo mirabilem sensum et oblectationem *praesentiae*, idealem illam, in historiam mundanam unice convenientem. Historia enim, sensu absoluto usurpata, praesentiam habet nullam; praeteritum et futurum novit solum. Quapropter

illa nonnunquam sive e praeterito revertitur, sive futura cernens, tanquam providentia, comminatur malum; siquidem praesens genus obliviscatur, *aeternam esse Judicem*. Hoc illa exsequitur Opinione Publica, quam vocant, quae, licet solâ *ideâ* contineatur, sive propterea, quod *est idea*, nunc ut *vindicatrix formidata*; nunc ut *remuneratrix*; plurimam partem tanquam *adhortatrix* adparet. Ea enim est, cujus adspectu regum saepe solia contremuerunt; injustique usurpatores in pulverem dejecti sunt : verum ea etiam, qua populi et regna ab interitu vindicata; reges a malis consiliis et factis deterriti sunt. Unde fiebat, omni quidem tempore, recentiori multo frequentius, ut populi et principes ad hanc judicem cum summa sui rerumque suarum salute provocarent. « *L'opinion publique* (sunt verba Napoleonis, cujus in hac re magna est auctoritas : ap. Las Cases, Mém. de St. Helène, T. I. p. 307) *est une puissance invisible, mysterieuse, à laquelle rien ne resiste; rien n'est plus mobile, plus vague et plus fort; et toute capricieuse qu'elle est, elle est cependant vraie, raisonnable, juste beaucoup plus souvent, qu'on ne pense !* » Undenam igitur illa ejus *vis* et *auctoritas?* Inde repetenda est, quod est *idea* historiae, in unum momentum collatae, i. e. futuri et praeteriti temporis, in praesentiâ expressi : quae eadem causa est *veritatis* ejus. Unde illa ejus *mobilitas?* Quoniam idea non *iners* quiddam atque dogmaticum; verum *agile* est, *vivum* et *historicum;* unde simul illa *incertitudinis* species explicatur.

Quae cum ita sint; colenda est et alenda haec *Opinio publica*, ut quammaxime perficiatur; ut ejus auxilio colatur et alatur communis hominum mens. Neque tamen minus ea est moderanda quoque, summaque prudentiâ gubernanda (minime vero a principibus; nullo pacto ab eorum ministris : cogere enim nemo potest hoc numen, nec ei imperare); ne vagetur ultra omnes fines et terminos; ne eâ abutantur male feriati et nequam, qui politicos se audent vocitare! Cuinam igitur haec provincia est demandanda? Dicemus postea!

Hoc est tempus *Intelligentiae*, i. e. conscientiae sui et rerum, earumque cum illâ arcte conjunctarum; quae adparet tanquam vis mentis, se ipsam intuentis, et res extra se positas; quae, in quo statu est constituta, immobilis, de eo nec rebus depelli, nec vi mundi interioris commoveri potest; sed in utroque mundo concordiam creat et perfectionem; eâ utitur ipsa et cum aliis communicat. Ut enim in orientali homine animalis vitae adpetitus deprehenditur, quo ille vim alere vivendi suam et nutriendi et per frequentes familias increscendi avide concupiscit; ut in Graeco pulcri amor; in Romano

omnipotentiae adrogatio; in gente medii aevi mirabilium studium : sic adpetitus alter, qui aeque est omni generi inditus, praestabilior ille, in quo explendo omnem vim sentiendi et cogitandi exserit, cum Germanicae aetatis viro est conjunctus : verum nempe exquirendi, morales facultates aeque omnes explicandi, atque, dum mundi interioris et exterioris concentum efficit, ad verum vitae fructum perveniendi. Unde fit, ut in hoc solo pullulent et germinent et efflorescant omnes Historiae simul atque Philosophiae species : dum apud veteres ille mundus exterior ab hoc interiori sejunctus; hic vero, rerum inscius cumque illis nullo vinculo copulatus esset; Poësis, quantumvis maxime libera, vix a rerum vi se immunem reddere; religio corporeo habitu uti deberet. Sicut infans singula modo capit et tenet; maturior adolescens eadem institutâ comparatione percipit : sic veteres quamlibet artem dispescuere et singulas partes eximium in modum excoluerunt (e. g. Aegyptiorum medici ad varios morbos proprii). Quo autem modo variae disciplinae cohaereant; qua ratione cum universo mundo contineantur, cum Natura et Historia; quo nexu populi cum populis coalescant : id omne ne animo quidem sibi potuerunt effingere. Quae res eo est significantior, quo magis Historia, Philosophia et Poësis sibi sunt cognatae; ut nemo queat dicere, ubinam a se discedant, aut quo modo differant. Porro ternae illae adeo insunt in Religione unâ (hac nempe probe intellectâ), ut dici nequeat, utrum unîus quaedam pars major, an minor, et in quâ ea religionis parte insit. Omnes unâ arborem efficiunt conscientiae (i. e. Scientiae verae); cujus radices, truncus, rami, folia, flores et fructus carpi possunt et decerpi, ut singula separatim *cognoscamus;* neque tamen totam aliquis vegetamque arborem auferre; cujus fructus nemo decerptos atque in foro venales emere potest; quin totam arborem coluerit, irrigaverit et aluerit (ut ait RICHTERUS ille). Est enim hujus ratio eadem, quae intercedit inter Deum, mundum et propriam hominis mentem; quae licet sint revera *tria*, tamen intelligi non possunt singula; nisi unum sit cum reliquis duobus connexum.

XIII.

Foedus igitur Sapientum instituatur. Absque hoc universorum consortio singuli a se discedant et in errores innumeros incidant necesse est. Atque ubi Scientia tam altas radices egit, ut bellum componi non possit, nisi connubio partium; ibi pariter explosum est illud : « Errando discimus! » atque non falsa tantum veterum sententia « Errare humanum esse ! » ; sed

scelesta etiam. Nam ubi veri cognitio esse potest; ibi evitandi sunt errores; sedandi tumultus animi, cui natura patet ac mentis orbis; ne in utrumque abyssum delabamur. « Nescio (Cicero ait in Ac. Qu. IV. 3), quomodo plerique errare malunt, eamque sententiam, quam adamaverant, pugnacissime defendere, quam sine pertinacia, quid constantissime dicatur, exquirere ». Quod quantum negligatur, nemo nescit. Quis enim ignorat, recentiorem illam philosophiam, *instinctu* quasi temporis agitatam, per infinita spatia evagari, futurum et incertum quaerere, haec, quae nunc sunt, negligere, aedificium exstruere in — nihilo? Quis ignorat (ut hoc utamur) Idealismum Fichtianum vegetam vitam exurere, tanquam fragrantem deserti ventum; eamque convertere in inhonestum sui cujusvis studium? Quem latet, ideales illos demiurgos, proprio fastu inflatos, Deo hominibusque a se despectis irridere, utrumque deserere, sal terrae projicere, atque post se trahere sacrorum irrisores reliquamque atheorum turbam? Sic Fichtium illi disperdiderunt; dum alii, melioris licet frugis, stolidorum familiam contemnentes, tantum abest, ut placidum ipsis de lumine suo lumen accendant, quo illustrentur; ut potius fulgetris in eorum orbem vibratis praestringant oculorum aciem et occaecent. An igitur miraberis, quod creduli et pii, non sine humili quodam fastu, venenosos accusent philosophos; quod totum hoc genus hominum ut impium convicientur sibique firmiter persuadeant, aliter fieri non posse, quam ut iratum numen miraculis et signis instantem vindictam continuo manifestet, illosque de terra tollat? Non magis est, cur miremur, pios istos, ab aliis omnibus sejunctos, parique sui studio inflammatos atque seductos, sibi solos videri justos, civitatibus interitum, principibus conversiones minantes, seseque ipsos pro vindicibus divinae legis, pro instrumentis divinae iracundiae habentes, adversus principes tumultuari, seditiones disseminare et, ne dicamus, ab aliis abhorrere; verum summam intolerantiam in cogitando deque sacris rebus sentiendo patefacere? Quid mirum, quod alii, quibus de hoc mundo conclamatum esse videtur, se penitus immergant in phantasiae orbes atque, auxilio indignissimi cujusdam mysticismi, miracula efficiant sceleris plena; stupidam plebem in suas partes detrahant, ipsimet tracti et agitati ab expulso quondam et denuo proserpente Ordine inconditae ac improbae militiae Jesu, quae universos sibi adfiliatione adstringens, vitam subruere audaci conatur facinore?

Non melius contigit aeternae Scientiae. Idem ille ignobilis instinctus, pessimum heredium hominis, a materia suffultus, singulos iniquo studio dispescens, in illâ quoque habitat ejusque cultoribus : eâdem invidiâ cuncta

spernens, quae non cum sua natura convenire *videntur*. Unde bellum, inter eruditos saeviens ac diversas unius scientiae facultates, omni concordiae renititur.. Non difficile est invenire doctos (uti se adpellant), cuncta cum contemtu longissime a se abjicientes, quae non ad electam provinciam suam pertinere videantur; sive ea etiam, quae non ipsi forte enucleaverint, seu memoriae mandaverint. Odit Juris peritum Theologus : Medicus, utrique ridendus, neutri parcit : ipse cum reliquis Philosophum adgreditur; qui, quod justum sit, spernit hunc et reliquos; ipse, ut alii, jure contemtus ab Historico — et ab Historia. Sic accrevit intolerantia, veteri aevo cognata, recentiori, ut inferni fetus condemnanda. Nam hoc tempus ne tolerantiam quidem (quae vulgo usurpatur) ferre potest, quae nempe ei, quod ipsi non sit congruum, tolerando parcat. Vult enim haec aetas veram et erectiorem tolerantiam, eximio cultu vitae, augustiori specie inclutae, effectam: quae Verum, Bonum, Pulcrum, ubicunque illud sit, quaerat et aestimet; nec opinionem aliquam, nec speciem excludat; quae quod hominibus sit et gentibus privum, agnoscat et veneretur; nullo alio modo res judicans et homines, quam eo, quem scientia et bonarum rerum studia et moralis et popularis hominum perfectio praebeat et expostulet. Cum hac tolerantia arcte cohaeret nobilis illa intolerantia; sine qua prior ne cogitari quidem potest, et quae hoc maxime petit, ut ne illae, de quibus diximus, virtutes ab homine cultiori absint : qua illi debent esse animati, qui falsam tolerantiam expellendam sibi proponunt.

Verum ut adversario illi, cum naturae adpetitu conspiranti, resistatur et concentus inter homines paretur; esse aliquid debet, illius potestati non obnoxium; quod lumen suum, quasi sol, omnibus pariter lucens, universis impertiatur; quod, illo *singulo terreno* superius, odii et invidiae studium perdomare possit; quod, *ipsummet infinitum*, propter absolutam naturam suam, qua disjunctas ab instinctu partes ad vitae unitatem conjungat, nihil ut magnum agnoscat. Esse aliquid debet, quod, Dei instar, juxta se nullos peregrinos deos patientis; quod, ipsum constans et firmum, manens et aeternum, ex altiori speculo mundum intueatur, in quo insunt singula illa et distracta, inconstans illud et mutabile, multitudo rerum et varietas : quod denique, tanquam anima mundi, corporis totius membra vitâ perfundat et regat; quin in uno alterove sigillatim, sed ut in omnibus simul habitet; ut ex hac multitudinis et unitatis concertatione veram efficiat vitam, h. e. *utriusque Aequipondium*.

Hoc ens omnipotens IDEA est, principium semper mobile, semper ae-

quum, quod illam efficit in agendo aequabilitatem, in cogitando veritatem, in sentiendo temperantiam; cui omni tempore consilium certum est, quod sine nutatione sectatur; cujus voluntas firma, nullo impulsu exteriori, nullo adpetitu mota; sed interiori, cognitâ et certâ necessitate recta ad consiliumque suum exsequendum excitata. Quapropter siquis *ideâ* utitur duce et magistra, nunquam potest a proposito aberrare; quoniam quaevis impedimenta, ipsi oblata, non sunt, nisi variationes et declinationes mente praeceptae, quas simul adhibet illa ad metam propositam eo certius attinendam. Verum qui solo notionum intellectu ducitur, is quovis casu improviso impeditur, retinetur et, ab incepto itinere semel deductus, rectum cursum tenere non amplius potest. Quae sententia tam vera est, ut totae quaedam doctorum classes inveniantur, quorum vita omnis perpetua est illius commentatio.

Hinc sequitur, illam voluntatem non singulum adpetere et vulgare posse; sed universum et commune debere; quod est divinum in homine, in scientia, in hoc mundo, in arte et religione. Est igitur in idea continuum Absoluti studium, quod sicut a singulis rebus in errorem induci nequit, ita has singulas res, sibi saepe adversas, intelligit in totalitatis concentu, cui illa sola percipiendo par est.

Quo tempore idea dominatur in genus hominum, illud *Tempus* est Caritatis; quae nunc tertia vice e divina natura in naturam humanam emanavit. Ubi primum adparebat (cum praeceptum Salutis a J. Christo divinitus esset cum homine communicatum), Caritas videbatur universos homines uno vinculo pacis complecti. Factum est: sed erat ea Caritas divina, exterius, superne, coelitus demissum donum; nimis sanctum illud, quam ut in hominem convenire posset. Quum praeterea illa caritas *habitu religionis induta* compareret; eâ abutebantur ministri ejus atque fasciam rosaceam commutarunt in vinculum ferreum.

Quum eadem, secundâ vice, descenderet; corporea, sed aethereo corpore occultata, inter mortales versabatur. Erant illa tempora *Vatum*, *amatoriam poësin Romanensem colentium;* quibus fas erat, et poëtis fortibusque viris quasi jus proprium, amandi venustissimam matronam, mulierum reginam. Erat enim animi fortitudo eo major, quo castior ille amor. Hic vero extra orbem suum egressus, per somnia evanuit, ut virtus illa equestris per stolidos errones palantium Equitum.

Jam nunc Aetas est *Novae Caritatis* et *Novi quasi Foederis,* libertatis nimirum interioris, Justi et Veri; quae adparet, formâ magis septentrionali

et minus eleganti, *Philosophiae*. Quae ut primum in vitam et mores abierit, i. e. ut primum ab homine fuerit cognitum, in eâ sola *verum* habitare *Honorem;* id in homine efficiet, quod praecepta Christiana praeparaverunt, quod virtus equestris auxit, quod ut consequantur optimi quique omnibus viribus contendunt. Sed qui per eam non quasi spirat; ille non cognoscet eam; qui non ipse propria mente eam acquirit, a nemine habebit alio.

De hac Caritate nunc dicamus ulterius. Quaevis hominum societas eâ tantum exsistere et esse potest; ea enim est unicum fulcimentum adversus omnes fortunae temeritates et conatus inimicorum; quasi astrum, ad quod haec hujus vitae navis, procellis agitata, dirigit et tenet cursum suum per omnes aberrationes et fluctuum impetus. Caritas unitatis est vinculum; principium, quo studium incastum hominis tollitur, quin eo simul tollatur cujusvis proprietas. Quis vero melius eam describere poterit, quam Paulus ille Apostolus (ad Corinth. I. 13.) qui haec de ea perhibet: *ὥστ' ἀγάπην μὴ ἔχω, οὐδέν εἰμι κ. τ. λ.* (v. 2. 3. 4-9). Siquae tamen velit diuturna esse caritas, non potest, nisi ea sit in aliorum *existimatione* et *reverentia* innixa: quae ipsamet firma esse non potest, nisi inter eos, qui idem cupiunt, idem faciunt, idem efficere student, et quorum quisque pro sua virili parte, quae potest, ad communem omnium utilitatem praestat; et eadem de causa quemvis admiratur, qui non illa tantum, sed majora etiam efficit. Est igitur caritas agnitio dignitatis interioris aliorum, ab omni invidia aliena. Eapropter, a J. Christo commendata, novum tempus creavit: eapropter Christi religio simul est libertatis interioris fundatrix et exterioris generis humani, populorum et singulorum concordiae. Quodsi haec Caritas colitur; igitur meliores ad idem efficiendum copulantur et, quatenus fieri potest, iisdem principiis et mediis: aliter fieri nequit, quam ut illa existimatio, illa admiratio, ille honor aliis habendus, oriatur et colatur. Quodsi hoc fuerit effectum, morum puritas, idea justitiae, libertas illa et pax divina necessario oriri debet. Sic igitur bona existimatio, honor et caritas in idem conspirant, idem sunt (cfr. Paul. Ap. ad Rom. XII. 10, ubi *Honor* et *Caritas* uno versu conjunguntur).

Sic veri *investigatio* et *fides*, divinis habenda rebus, ex aequo aestimabuntur; hac sola mentis informatione *cogitatio* nostra cum *rerum veritate* congruere atque ad illud *Esse absolutum* adsurgere poterit; sic tandem a *notionum inertia* tuti ad *idealem*, ad *veram vitam* perducemur. Hac arte hunc mundum intelligemus, qui est; quin alium nobis fabricemur, qui erit nunquam. Haec illa est rerum *veritas*, quam sapiens, tempora praeterita et futura

cum praesentiâ conjungens, *in ea* videt et qua fruitur. Haec est Philosophia in Poësin conversa; seu Poësis veritatem philosopham adepta — *Sapientia*. Haec harmonia *mentis* et *animi* aliâs a se perpetuo discrepantis; unicum illud, sed idem maximum, quod ex his rebus terrenis supermanet et viam munit ad altiorem et sanctiorem vitam. Ut igitur olim Maximilianus Caesar Huttenum *Philosophum* lauro coronavit *Poëseos;* sic hodie videmus poëtas a *philosophis* Doctoris honoribus ornari. Quae autem unquam gens philosophum elegantiorem et civili sapientia prudentiorem, et vitae experientia magis versatum et naturae indagatorem vidit ingeniosiorem Goetheo *illo*, *vate Germanico?* Cui unquam tempori contigit mundi et generis humani perscrutator acutior Jo. Paulo Fr. Richtero, cum Satyrarum, tum Facetiarum scriptore argutissimo? Quis unquam *Naturam* et *Mentem* mundanam penitius habuit perspectam Hegelio, *philosophorum heroë*, quem *vere* absolutum vocaverim? Germanos proprios, et eos ex tanto numero paucissimos, nominavimus eapropter solos, quoniam *eorum* haec aetas est: plurimae nationes aliae viros habent et habuerunt non minus nobiles; et quaevis suos sibi in gratam revocabit memoriam.

Quid igitur? Nonne hoc modo *Plato* et *Aristippus* denuo redibunt in antiquam gratiam discipulorum ejusdem Socratis, et fratrem salutabunt uterque Socratem μαινόμενον, *Diogenem* illum? Diversae *scholae* diversos sistunt *individuos*; *Socrates*, seu *Philosophia*, *totum* sistit, in quo solo illi esse possunt. Disciplinae, artes, mores, religiones sunt *partes* diversae; sed *Religio* erit *Philosophia*, sive Totum illarum, *in Ethica*, quam sistit Historia, omnium disciplinarum bonarumque artium societas et cognatio. Atque si *Richterus* ille « plus esse, ait, eruditionis, quam eruditorum; plus virtutis, quam virtutis amantium », ex eo quaerimus (quin ei repugnemus; licet melius nobis videatur, si eruditio vera, quam eruditi, augeatur: tum enim illa in universis habitaverit): Ubinam illa eruditio et virtus illa? simulque respondemus: In *Genere universo;* quod nunc maxime coire velle videtur: sive, inversâ sententiâ, sic statuimus: Hoc ipsum certissimum esse indicium, omnes partes communi studio Totalitatis esse animatas, quod singula magis magisque se conterant et solvant.

XIV.

Illud Totum PHILOSOPHIA comprehendit. Quum vero idem sit compositum Natura et Spiritu et eo, quo uterque *copulatur;* exsistit Philosophia Naturae, Philosophia Spiritus et Scientia Logica: ad philosophiam Naturae

pertinet praeterea Scientia absoluti Spatii, MATHEMATICA. — Deinde Scientia rerum INORGANICARUM; quae dispescitur in *Mechanicam* (coelestem — terrestrem) et *Physicam Elementarem*; cum qua conjungitur *Physica singularum rerum* seu *individualis*. Tum Scientia rerum ORGANICARUM, quae continet tripartitum Naturae regnum, *Geologicum*, *Vegetabile* et *Animalis Organismi*. Duo haec dominatur atque cognoscit et unit TELLURISMUS.

Ad Philosophiam Spiritus, quae Tellurismum, ipsa altior, sibi subjicit eumque cognoscit, pertinet Scientia SPIRITUS SUBJECTIVI (cum partibus suis: *Animâ*, *Conscientiâ*, *Mente*). Deinde Scientia SPIRITUS OBJECTIVI (quae *Religionem naturalem* — Artis; *Religionem positivam* — Revelatam, atque *Philosophiam* — Puram, sistit).

His autem duabus partibus dux sit et comes perpetua SCIENTIA (non *disciplina*) LOGICA. Haec enim aperit τό ESSE IPSUMMET (cum *Qualitate*, *Quantitate* et *Modo*); exponit *rerum* SUBSTANTIAM (et earum *Exsistentiam* et *Adparitionem* et *Veritatem*); explicat earum NOTIONEM (qua *Notitia Subjectiva*; *Objectum* et *Idea* comprehenduntur). Haec omnia complectitur, *tanquam cultus humani cognatio*; *tanquam numen divinum, in genere humano conspicuum*; *tanquam similitudo generis totius cum Absoluto effecta*; *ut judex omnium, quae sunt, quae fuere et quae futura sunt*, AETERNA HISTORIA MUNDANA; quam exponit HISTORICE. Ex his denique una omnibus et singulis sigillatim partibus majoribus totae silvae enascuntur *Disciplinarum*. (Cfr. HEGEL, *Philosophische Encyclopaedie*; Heidelbg. 1817. 8; cujus editio altera ardentissime exspectatur: et opus supra laud. Cl. KIESERI: Tellurismus).

Universa Theologia, Jurisprudentia, Medicina, totusque orbis Artium et Literarum veteris et recentioris aevi veritate carent, nisi hac philosopha Historiae mente unitatem nanciscantur suam. Unde nihil esse potest perniciosius ista Scientiae dilaceratione per partes, omni anima destitutas: nihil etiam funestius isto furore encyclopaedico, qui apud nationes nonnullas adeo invaluit, ut ipse fieret pars quaedam ingenii earum. (De quibus si quis legere optima quaeque cupit, in manus sumat aureum libellum FR. H. JACOBII, qui inscribitur: *Woldemar*. Lips. 1826. 8. ed. ult.). Praeterea in colendo tempore nostro plurima posita sunt in justa aestimatione *aetatis Antiquae* et *Recentioris*. Plurimi enim quavis oblata opportunitate referunt, ut mirabile inprimis negotium, antiquorum illum cultum atque, licet nostra quodammodo censeant, (sunt adeo, qui *haec nostra* non legant), tamen maxime commendant veterum sapientiam, ut plane perfectam et omnibus

numeris absolutam : nec unquam silentio praetermittunt, si quando prae ceteris excelluerit aliquis illorum. Laudare quidem recte possumus majorum institutiones, magnaque potest in informando homine doctrinae auctoritas tribui; sed non plus tribuendum est, quam quisque meretur. Verum etiam est, veterum fuisse non paucos, qui cum mentis acie et perspicacitate, tum incredibili (hoc quoque concedimus) quadam et divina paene ingenii vi et magnitudine (sunt verba egregii viri, e Plutarcho repetita) ita claruerunt, ut quoties aliquis eorum scripta evolvat, toties ipse sapientior et melior etiam evadat. Qui si veteres laudent, quoniam quod eorum tempore excogitari potuit, id egregie effecissent; me suae velim adscribant sententiae: sin vero omnino nobis illos praestitisse adfirmare audeant et despiciant adeo nostra; ita ab iis dissentio, ut non solum inventorum et artium et disciplinarum numero, verum pondere etiam et dignitate nos praestare illis certe adfirmandum esse existimem. In comparatione autem temporum haec illi proferunt : Vetus tempus fuisse florens, absque macula — nonnunquam *aureum* adpellant : nostrum autem esse frugiferum, non sine robigine — mirari subit, quod non *argenteum* seu *chartaceum* vocent : futurum denique *flaccescens* fore, absque ullo pretio — igitur ne *plumbeum* quidem. Hinc itaque immensae laudes, quibus *ornant* primum; hinc sordida illiberalitas, qua *utuntur* nostro; hinc iniquissima negligentia futurae aetatis, *quam curat nemo*. Videmus autem, majores nostros hoc idem peccasse : si enim illi res *sibi* futuras non neglexissent et praesentiam *suam* non profudissent; sed, ut boni villici, bona sparsissent semina, quibus prospexerint suis posteris; quodsi fecissent illi, nos praesentiam haberemus paratumque tempus futurum; neque nunc cogeremur, vitam sustentare ex laudis odore majorum, qui nullius jam pretii est. Praeprimis tamen laetamur hodie *Graecorum* rebus; quia parvi pendemus nostrum tempus; quoniam in illis infantiae nostrae memoriam recolimus, qua homo simplex et sensibus obnoxius tantopere delectatur; quia festis omnia et musicâ et cantu resonabant; quia ars et scientia et tota vita Gratiarum ludentium formis indutae fuere; quarum venustas eo magis est conspicua, quod, patriarchali vitâ orientali ex adverso positâ, ipsa magis elucescit : verbo, quia tunc omnia erant *ad sensuum oblectationem comparata*, nihil *ad cogitationem* et *Scientiam*.

Possumus autem certo confirmare, quin in arrogantiae crimen incurrere vereamur : nostram aetatem, ne dicam, saeculum nostrum alia ad unum omnia quammaxime superare sapientiâ : quae res necessario et quasi naturaliter consequebatur; quia nostrum saeculum omnium est *natu maximum* (ut ait Rich-

terus); reliqua sunt gradus tantum inferiores totidem, per quos homo ad sapientiam adscendit : quapropter Orientales, Graecos et Romanos *juvenes* potius, quam *veteres* nominare deberemus. Undenam vero (quaerit ille et respondet) singularis illa vis, quam veteres in nostros animos exercent et magis etiam *gestis* rebus, quam *scriptis*? (Scripta enim eorum parum efficere, quantumvis denuo edita, correcta, emendata, commentariis illustrata, explicata et dilucidata, nemo melius probat, quam ipsimet illorum editores). Exinde illa explicanda est, quod res gestae nobis ante oculos ponuntur, iisque celebrandis concertarunt secum invicem cultissimi quique populi et doctissimi viri; nostras vero laudat nemo, nemo miratur, nemo probat, nemo describit seu arte illustrat. (Quae res tam vera est; ut quotidianâ adeo experientiâ confirmetur, qua docemur : stolidos quosque circulatores, cum se ipsi per omnia Diurnalia praedicent, praestare doctissimis viris, qui suas decantare laudes honesto viro indignum censent). Deinde quia, quo hae res ipsae magis sunt a nostra aetate et a nostra sentiendi ratione remotae, eo adparent magnificentiores propterea, quod Historiae conciliatricis ea est vis et natura, ut virtutes servet intactas, cum scelera, quae jam nullam amplius civitatem turbare, nullum amplius virum bonum commovere possunt, et ob hanc causam minora esse videntur, oblivioni tradat. Tum, quoniam nosmetipsi hodie omnia, quae fiunt et accidunt, clara mente perspicimus; quoniam vitia et scelera eo magis nos obfendunt, quo vehementius ab iis abhorret nostra, cultioris temporis, ratio; qua nemo propter virtutes suas laudatur aliter, quam is fere, qui rem ex officio bene gesserit : cum hoc ab homine sui conscio jure postuletur, ut bonum, quod noverit, id quoque consequatur.

Haec eadem ratio est aliarum rerum, ex antiquitate nobis superstitium. Sic enim artium opera fere omnia, quae habemus, ex optimo tantum Graecorum tempore sunt, et eorum optima etiam exempla, neque vero deformia seu male facta. Si quod tamen sit unum alterumve; audacter adfirmamus, illud Graecum non esse, non verum, sed adulteratum, sive ad antiquam tabulam statuamve a recentiori quodam opifice, extra tribum artem colente (sumus hi recentiores ipsimet) male expressum. Atque hoc jam *spatium* potest efficere. Homo enim septentrionalis mirifice de se actum esse credit, si qua bona fortuna statuam antiquam ipsi contingat spectare; cum Italus, qui nunc est, totasque urbes iis habet repletas, nihil aestimet. Quam rem etiam historia artium abunde probat, qua docemur, vix unum alterumve Romanum exstitisse artificem, qui antiquam artem rite didicerit, seu sta-

tuarius pictorve nobilior factus sit; quam ille gloriam facile et sine invidia relinquit peregrinis. Haec eadem ratio in aliis quoque rebus cernitur, v. g. in illa ipsamet terra et Urbe, in quam sanctissimus Pontifex dominatur, religionem et mores et vitae et rerum securitatem rarius coli et inveniri, quam in aliis omnibus, ipsismet adeo haereticis civitatibus. Sic facile errori veniam damus eorum, qui quotidie e cathedra festivo illo utuntur : « Veteres solos absque ulla controversia veros fuisse et esse humanitatis magistros » ! Sunt enim hi, qui ejusmodi velut e tripode edicunt, Humanistarum inhumanissimi. Sed haec quoque inhumanitas, ne dicam immanitas, non magis difficilis est ad intelligendum. Illi enim viri *auctoritate aliorum* suffulti hoc dicunt, non suâ : est haec traditio quaedam sacra, ab inde instauratis literis a patre ad filium transmissa, quam qui non credit, anathema est. Illi, qui haec praedicant, nec ipsi Graeci facti sunt (quae esset contradictio nimis aperta), nec in nostro tempore habitant (quod est nefas); quapropter de quadam humanitate eo vehementius clamant, quo minus rarissima haec avis in eorum conspectum venire solet.

Cur antiqui non idem cultus fastigium sint adepti, quod nos consecuti sumus? Quia *Scientiam* (i. e. totam) habere *nequiverunt;* quia fuere *infantes* et *pueri* generis humani, qui ne virilem quidem aetatem videbant; igitur ne virum quidem historicum intelligebant, nedum sapientem senem : quoniam denique Spiritus absolutus nondum cognoverat Naturam, quae illius Toti pars est integra. Est enim Scientia, ut natura, Epos quoddam, semper perfectum, nunquam perfectum, nunquam perficiendum. Natura *certo loco adstricta*, constans, immobilis, adparet in *Historia*, *certum tempus*, in *definito loco*, *sistente*, mobili illâ, nunquam quietâ, vitam impertiente. Verum *Historia* tantum *universalis* aliquid esse potest, sicut *Natura universa;* unde sequitur, *Scientiam* modo *totam* hoc nomen mereri. Quaevis pars ejus sejuncta rite comparatur cum orationis quodam orbe, e dimidio tantum descripto; qui indicare quidem, non declarare aliquid potest : Natura *antecedens*, Historia *consequens* est, Scientia *plane circumscriptum verborum ambitum* praebet. Sistunt quidem Historiae *partes* quasdam secundi ordinis totalitates, quia, quem tractant, homo ipse est totus. Idem in Natura cernitur. Sed utriusque partes illae similes sunt literis singulis, disjectis, syllabis forte, ne verbis quidem integris. Manent igitur ejusmodi totalitates siccae quaedam notitiae, arefactae quasi plantae (ut ille ait), quae in misello herbario conditae formam florum, non florem reddunt. Omnibus autem compositis illis et conjunctis *hieroglypha* muta loqui incipiunt; ideale

nascitur, perfectam Rationem humanam constituens, quod cum vivo et vegeto flore, odores spargente amoenissimos et colorum varietate et splendore insigni, potest conferri.

Ejusmodi *Pars* Historiae veteres sunt. Ipsis non contigit, historiam scribere justam : nobis contigit. Atque ne Arte quidem illâ, propter quam tam enixe illi laudantur, nos adaequaverunt : quam rem paucis probabimus. *Picturam* illi *topiariam* habuere nullam : haec enim *Totum ideale* expetit : nos habemus. Praestabant quidem arte statuaria et sculptoria; sed quum eam solam noverint, *quae praeterea ad individualitatem erat adstricta*, perficere eo facilius potuerunt, quum nuda corpora perpetuo ante artificum oculos et mentes versarentur. Verum illi imagines suas *sejunctas* (individuas) *alteram* JUXTA *alteram* effinxerunt (cfr. BOETTIGER, Aldobrandinische Hochzeit : Dresd. 1810. 4), absque ulla cognatione, quae arte possit effici : non minus spatia diversa actionum variarum *lineis ductis* expresserunt (i. e. *separaverunt*). Nos figuras in tabula *una*, ad *unam actionem* repraesentandam, *alteram* PONE *alteram* constituimus; ut verbo dicam, nos *optica* utimur arte (quam *Perspectivam* dicunt) et lucis et umbrae temperamento exprimimus : secus illi (cfr. GOETHE : *Winkelmann und sein KunstJahrhundert*, qui erit ed. ultimae T. XXXVII). Est vero haec ipsamet artis perfectio, divina harmonia et omnium partium unitas; quam ars praeprimis expetit.

Idem in *Musica* antiqua observatur. Multum illi gloriabantur *tibiâ duplici*, dextrâ et sinistrâ; (quae hodienum in gyrum torquet τῶν ἀμούσων Philologorum cerebella); attamen illi *duplici* tibia ne terrestrem quidem jucunditatem efficiebant, quum nos, *simplici* adhibitâ, totum coelum nobis aperiamus. Illi fistulam inflarunt, ut nostri facere solent pueri, seu bubulci cornu vaccinum : nam deerat ipsis *Fundamentum harmonicum, summa lex concentus musici* sive *Harmonisticum;* in quo est illa unitas, illa pulcri, sonis efficiendi, ratio, musicae perfectio, absoluta harmonia. Nemo illorum *instrumenta* musica nobis objiciat : si enim iis fuisset artis idea cognata, absque dubio etiam invenissent instrumenta ad eam exprimendam apta. Sic lyrae, ternis ab initio chordis obductae, *quartam* adjecerunt; et has *ternis* denuo auxerunt. Cur non *Clavichordium* etiam et *Organon musicum* invenerunt? *Quia* hoc — *Organon* est! Imperito opifici exquisitissimos date colores ac lucidissimos (hi vero non minus a recentioribus sunt reperti) : nihil efficiet. Quo enim signo agnoscimus Rubensios et eis similes? Quid? Nonne hodie absque coloribus, adhibito prudenter lucis et umbrae temperamento, summa quaeque exprimuntur chalcographiâ nostrâ? Sic poëtillae praesto

sunt eadem verba et, praeterea, *Gradus ad Parnassum*, quin aliquid auribus cultioribus dignum canat. Et hodienum integrae nationes sunt, quae absque sesquipedalibus verbis et epithetorum immensa mole congestâ neminem movent, atque ne his quidem adhibitis quemquam alium, quam stomachum lectoris. Contra *Goetheus* ille et ipsi similes e nihilo fere creant carmen, pectus commovens et permulcens, eique aeternae beatitatis sensum impertiens. Verum, Epos habemus nullum? Nullum! Vaeh misero; qui Epos hodie velit fabricari! Non enim *facimus* epea, sed ea *nascuntur*. Verum non etiam pueri sumus instar Graecorum! Cur Aeschylus Graecis magis placuit, quam nobis (quidquid clamitent delicati viri, quibus est ab humanitate *nomen* : nunquam ii Aeschylum perceperunt totum; etiamsi sexcenties: Bene, belle, mirifice! exclamaverint.)? Quia ille Graecus Graecis (non aliis, minime nobis) non scripsit tantum, sed edidit fabulas seu Tragoedias suas et in scenam induxit loquentes et agentes nobilissimos heroas, e *Graecorum* temporibus splendidissimis repetitos. Cur Aeschyli nostri unâ omnibus placent? Quia hi sunt vates, *universali ideâ inspirati*, i. e. veri, universum amplexantes, igitur ex ingenio universorum canentes. Age! Cantate nobis Novem Herodoti Musas, atque speculamini, an forte singultaturi simus? Graeci fecerunt utrumque!

His omnibus satis superque a me probatum esse spero, Scientiam nullo unquam tempore tanta in hominum animos vi fuisse, tantamque nactam esse claritatem et dignitatem, tantum denique habuisse ambitum, quantum habeat hodie. Neque minus manifestum est, eam, quo magis augeatur (augeri tamen continuo debet), eo magis dispesci in ramos innumeros. Horror quemvis perfundat necesse est, qui omnia retro saecula mente percurrens, immensam copiam rerum, indigestamque molem earum adspicit, quam nondum cognovit: simulque tristi certitudine angatur oportet, ea quoque, quae cognoverit singula, veritate carere cuncta, si non sint conjuncta cum iis, quorum nullam adhuc notitiam habemus. Accedit ad hanc miseriam furor ille antiquarius, qui vilissima quaeque, ab Alexandrinis Grammaticis jam pridem abjecta, ut primum iis potiuntur, continuo evulgant: misellum quemvis *Scholiastam*, minutissimam *Variam Lectionem* (nuper admodum *variarum lectionum* duo integra volumina, quibus ne verbulum quidem ab editore est adjectum, videbamus), et haec quidem cum *Commentariis*, *Commentationibus* et *Excursibus* denuo recoquunt et esurientibus vendunt; licet jam dudum intelligere debuissent, ne optimum quidem rite capi. Augetur calamitas studio incasto, panis, an gloriae? quod quemlibet impellit ad

scribendum eo vehementius, quo quis est junior; unde fit, ut omnes scribant ante, quam rem, de qua scribant, habeant cognitam et perspectam; ante quam cogitent, quae ab ipso dici possint, ea jam pridem ab aliis, et melius et sexcenties dicta esse. (Haec vero non in antiquaria tantum studia, sed in reliqua pariter, dicta sunt. Magnus ille FRIDERICUS II vere dicit: Depuis la renaissance des lettres, la passion d'ecrire s'est changée en fureur. Nous n'avons que trop de Memoires, d'Anecdotes et de Relations cet.). Ad quid igitur perditio haec? Vana sunt omnia; subductisque calculis ex incomta hac operum multitudine parum supererit, quod bonum atque ad discendum utile, parum quod ideae praestantia immortalitate sit dignum. Hoc vero cognoscere et capere quisque possit, modo ex incondita turba sit sapienter electum et depromtum. Ut vero nunc res est, per totam vitam suam iniquo labore et insulso studio vires quisque absumere debet, ut per omnes Praefationes et Prooemia, per Notitias literarias et Fontium expositiones, per Judicia veterum et recentiorum de scriptoris dotibus et virtutibus, per Metri et Styli inquisitiones et usus loquendi se expediat, h. e. per atrium in ipsas ingrediatur aedes: jam moritur vir, consumtis viribus, *consummatus Eruditus;* atque successoris est, denuo typis excudere, quae ille dederat, cum Notis Aliorum et Suis! Desperata res est et perditus labor! Quid? *Aurum* expromamus e scoriis, abjiciamus nugas et quisquilias saeculorum: tum laetiora capiet incrementa sapientia nostra! *Ciceronem* audiamus (De Off. I. 6) de hac re sic statuentem: « Duo vitia in veri cognitione vitanda sunt: unum ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere adsentiamus. Quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debent) adhibebit ad considerandas res et tempus et diligentiam. Alterum est vitium, quod quidam nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias. Quibus vitiis declinatis, quod, in rebus honestis et cognitione dignis, operae curaeque ponetur, id jure laudabitur. »

Adest tempus, quo Scire nostrum non minus quam Credere illud vitâ donari possit et debeat etiam. Tempus, quo cogitatio totius mundi, ejusque concentûs et immensae magnitudinis: cogitatio naturae universae animantibus plenae innumerabilibus, a se variis varioque consilio et ratione diversa instructis et comparatis; quorum quodvis suâ causâ esse videtur et tamen non, nisi cum omnibus conjunctum, esse, crescere et florere potest: cogitatio immensi et incomprehensibilis orbis et multitudinis disciplinarum et inventorum: tempus, quo pia illa et omnium bonorum animos erigens conceptio:

Numen divinum esse et esse necessario; animam esse humanam, et eam immortalem, pura mente percipiatur, intelligatur et casta fide certaque credatur. Quanta cogitatio ei, qui totam capere non nequit! Quam multae formulae, notiones, verba et systemata de his rebus composita sunt et edita; quin qui ea composuit, intelligeret seu cogitaret etiam? Quapropter minime mirandum est, quod illa omnia et necessitatem eorum, simulac homo cogitare coeperit, continuo negaret? Nimia enim sui existimatio quae non quasi *manu capere* potest, non mente sibi informare, ea spernit et horret atque ad rerum ideam pervenit nunquam propter incastum desiderium, cuncta arbitrio subigendi suo. Sic *nequibat* vita donari doctrina nostra. Sed fides quoque *caeca* non magis potest in vitam reverti; quia homini ingeneratum est inquirendi studium, quod videre cupit; non credere.

Hac de causa illud studium in antiquas aetates revertebatur, quibus satis continetur, in quod inquiri possit: sive futura tempora sibi sumsit elucidanda. Ipsa vero investigatio antiquarum rerum, ut mentem acuit, sic praejudicatae opinioni, quam de sapientiae suae magnitudine habere coepit indagator, lenocinabatur. Quae arrogantia eo magis accrevit, quo firmius sibi persuasit, se ab aliis refutari non posse. Praesentiam vero reliquit ille incultam; quia huic in antiquitate nullum fundamentum, in incerto autem futuro tempore nullus finis adparuit. Caritas denique communis, quae, tanquam idea, tria illa continere potuisset, e deserto pectore aufugit.

Quae cum vera sint, nunc nostrum est, Praesentiam parare generi humano; ad ea, quae habemus, ad initia et finem, addere, quae desunt, quaerere medium et summam circuli.

XV.

Quid hoc tempore sibi expetat Scientia; quid jam sit assecuta; quid adhuc ei desit, hac inquisitione satis nos docuisse credimus. Quae autem desint, ea eam assequi non posse absque omnium Literatorum Communione institutaque Civitate Sapientum, aeque diximus. Verum, *Quid* ab id generis civitate fieri *debeat*, enumeratu facillimum; *Quo modo* idem ab ea effici *possit*, ad dicendum videtur esse difficillimum. Male tamen promisissemus, si non praestaremus promissa. Age, porro procedamus atque, ut nihil confundamus, momenta in orationis contextu indicata, ordine exponamus luculentius.

In scientiarum cultu, hac aetate, cerni bullantia quaedam studia, turbines et fluctus insolitos, nemo ignorat; sicut manifestum est, eos aliquo modo

sedandos et intra terminos coërcendos esse. Scribendi furorem ac licentiam bona malaque proferre insulsaque miscere optimis, quibus ingenium ingestis in lectorum cerebella quisquiliis enecetur et divinum illud Scire nostrum ad vulgare manuariorum opus destituatur, queruntur non pauci. Mutuam inter viros doctos caritatem illumque concordiae amorem et modestiam, quae proprie humanitatem constituant, ab illis ejus cultoribus aufugisse locumque humanitatis usurpasse rusticitatem, odium invidiamque, aeque constat. Haec bella componi, livorem extingui, mala inhonestaque studia ad meliorem frugem adduci; bonis liberalibusque artibus elegantiam, doctrinae dignitatem reddi, mentis animique parari concentum debere — in haec cuncta, quo quis magis amore scientiarum exardescat, eo majori cum desiderio consentit. Ut verbo dicamus; id sibi cupiunt optimi quique, ut Literatorum communio certis constituatur legibus, constitutaque ita regatur, ut quae ab iis suscipiantur, rite fiant et ea ratione, ut praesens tempus excolatur et emendetur, futuro prospiciatur; omnino ut civitas literata Historiae paret praesentiam sive, quod est idem, ut doctrinam, quae indies magis dilabi et decoqui solet, traducat in vitam et mores hominum. Hoc enim sanctum numen non certo aliquo collegio artificum continetur, sed, ad omnes pertinens, prodesse cupit universis. « Omnes (teste PAULO Ap. I ad Cor. c. 14) unum modo corpus efficiunt, cujus quisque membrum unum est, quod ad totius corporis utilitatem efficax sit oportet. Praestantissimae ingenii dotes, cum caritatis et concordiae virtute comparatae, nullius sunt pretii ». Verbo : sibi soli sapere, quin lumen de nostro lumine accendamus aliis, stultum est; doctum esse et suam doctrinam tradere aliis, quin eam in vitam traducamus, idem est, ac virtute praeditum esse, quin eam ad nostram et aliorum beatitatem parandam adhibeamus. Praestat certe mediocris ingenii magister ingeniosissimi systematis auctori. Cur vero hic illum erudire recusat? Cur non Socratem imitamur, qui parum curans coelestia phoenomena, vitam et mores hominum sedulo inquisivit? Sic non ipsi tantum sentimus; sed consentit etiam nobiscum Tullius noster.

Quod sigillatim adtinet ad illum scribendi furorem *manuariorum eruditorum*, ne quae jam semel presserat et hebetaverat hominum animos barbaries, quae quidquid horridi et asperi potissimum amplexata, hebetis mentibus inculcavit; ne, quae non in medium modo aevum, verum jam prius in ultima Graecorum etiam, Alexandrinorum, tempora hominum induxit Grammaticorum perversitas, quae jam in majores quoque disciplinas se non sine quadam gravitatis, ne dicam, dominatûs specie insinuat, denuo

nostram quoque aetatem obscuret: prospiciant cultiores harum rerum magistri, ut arrogantiam moderentur, ad modestiam perducant, cuilibet homini et operi justum pretium, aequo judicio, impertiant: levitatem, quae in literas grassatur unâ, superbiam, quae despicit universos, alterâ ex parte contineant: insolentiam et licentiam reprimant, bonisque artibus et verae humanitati omni modo consulant. Videant viri sapientes, ut junioribus duces, provectioribus comites et amici exsistant, totamque scientiam, ne pigret et marcescat, cum temporis ingenio et cultus ratione reddant congruam. Denique doctrinae orbem, non lege et jussu, sed consilio et exemplo, pro quavis cujuslibet tempestatis ratione, aperiant, dilatent, circumscribant, ordinent et exornent. Praeprimis autem hoc sibi Literata Civitas habeat persuasum, non mentem tantum excolendam esse, sed animum praeprimis, non doctrinae unice dandam operam, non capessendum splendorem et, nescio quem, honorem: verum id prae ceteris agendum esse, ut doctrina desinat esse dogmatica, desinat paucorum esse dominium; ut potius cum omnibus communicata, communem universis utilitatem adferat. Quamdiu scriptores, docti, eruditi, seu quo alio nomine celebrentur, suam tantum captare gloriam perrexerint, reliqua, populum, civitatem, juventutem, primos ultimos, infra se habuerint, nec omnem operam suam contulerint in singulos et universos; quamdiu illi tituli permanserint nomina absque vi ulla et significatione; tamdiu doctorum familia inepta erit et inutilis, ne dicam ridicula.

Tempus est, ut omnes et singuli *fruamur* doctrinâ nostrâ, neque nos invicem eruditione obtundamus, malis artibus excruciemus, calumniis vexemus. Tum tantum genus humanum dignitate sua gaudebit, cum de illo omnium concentu fuerit certius; atque cum hac causa laetabitur, bonum erit. Sapientem sibi solum sufficere, continuo repetunt et suam cuivis doctrinam esse satis; aliis igitur, ut consilia consequantur ipsi sua, pariter dandam esse potestatem. Pessimum, si quisque sibi soli sapit et simul, quod illi inferunt, falsissimum est. Nam summa etiam perfectio Scire nostri, perfectissima pariter persuasio singularis veritate caret, quasi dimidia est, nisi eadem in alio, in omnibus simul habitet. Saepe sapere *credimus*, cum sumus insipientes, et quo celerius quaedam menti adparet cogitatio, eo firmius nos capit, eo verior ipsa esse videtur; verum eo etiam minus ex omni parte solet esse probata: quâ igitur adcurate perpensâ a critico viro, menda protinus prosiliunt in oculos, simulque certo facileque corriguntur. Quod omnibus pariter sapientibus praesentis aetatis verum visum fuerit; idem

per reliqua deinceps saecula verum esse futurum : quod plerisque fuerit probatum, idem pro regula esse proximis saeculis posse, apertum est : dum opinio *singularis* est et manet *Opinio ;* cujus vis et veritas accessione tantum aliorum augetur et confirmatur. Omnino eruditio quantacunque, in singulis habitans, illam potestatem non probat, quam rei sanctissimae omni jure tribuere solemus. Verum eadem per omnes gentes aeque distributa, easdem colit et fecundat ac ducit ad summa omnia, quae humanior cultus homini elargiri potest. Viri elegantioris et bene vivendi disciplina informati vestigia ubicunque agnoscuntur, uti vestigia hominis per desertum ambulantis.

Quodsi igitur aequabilis fuerit et cum aetatis natura conveniens cultûs et doctrinae ratio et copia; eadem non minus conveniet in omnes, placidoque et salutari lumine eos illustrabit; neque vero (quod nunc facit et saepe fecit) hominum animos turbabit, singulorum instar solis ictuum, improviso in tenebras conjectorum — ut fere in plantarum holocaustis, per fornaces calefactis, plantas videmus fornaci proximas flaccescere, remotissimas gelu perire; contra in caldariis, aëre tepefacto leniter incalescentibus, omnes aeque virescere et florere.

Nec tamen aequabilis tantum cultus in omnibus, sed universalis etiam in singulis esse debet : non quod viros doctos omnium scientiarum spoliis vellem oneratos, ut ornatos tamen esse debere existimem. « *Qui non est in omnibus aliquid, in singulis est nihil !* » Minime vero laudamus doctorum multorum voracitatem, qui, omnia se legisse, de se praedicant ac propterea alios, qui non eadem devorassent, despiciunt. Quis enim non videt, eos ingerere magis, quam digerere ; alios omnes imitari, quin exprimant, eruditissimi insipidissimi. « Verus sapiens (de Herdero ait Richterus ille) non nisi fluvios majores, sed eos omnes, in mare suum, coelum quasi e speculo reddens, suscipit. Multitudo eruditione constringitur, tanquam hederâ vitam exsugente; sapiens eâ circumfunditur, ut arbor vite uvis plenâ. Id ubique faciendum est, ut quae sibi videntur esse opposita, ea organice conjuncta reddamus nostra : sic cum audacissima de natura et numine cogitandi libertate, summa potest pietas et fides copulari et congruere, ne praesagiis quidem exclusis ». Sunt tamen, qui ita de hac re nobiscum dissentiant, ut in una disciplina addiscenda omnem unice operam collocandam esse censeant. Hi quidem omnes, qui *scientiis certis* (quas adpellant — sciences exactes) adhaerent, *Mathematici ;* quas omnium *utilissimas* praedicare audent. Attamen philosophia ipsa, quae minime servit vulgaribus usibus mathematicam multo praestat, quia majorem

vitae vim excitat, eamque mirifice collustrat. Mathematica homines *facit* sibi solis prospicientes, quaevis ad calculos revocantes, prudentes : philosophia *creat* cives *sapientes* ; quasi omnigenas, qui universis consulunt. Haec occultâ quadam potestate, *ideâ*, *totam* vitam colit redditque efficacem, immanemque hominem rudemque emollit atque ad comtiorem habitum conformat, ut fere puer conformatur in adolescentem pulcri studiosum, virumque prudentem ac sapientem senem. Illa vero *partim* et ad oculorum sensum *convertit* eum, ut fere convertimur, cum pro veste usu detritâ novam induimus, quae mox, nisi penitus feriemur, evadit sordida. Omnino mathematicorum genus omnes doctrinas velut dictatoria potestate, axiomatis, problematis et demonstrationibus circumscribit; neque unquam in hoc angusto circulo aeneo ideam vere divinam, quae est in philosophia et historia, ne per somnium quidem nanciscitur. Quapropter illas quoque elegantiores et humaniores artes cum suis studiis, tum omnino homine perfecto (exacto !) indignas censet. Suum profecto honorem deberi mathematicis, nemo negat : verum manifestum est, mathematicam esse scientiae *sororem*, non scientiam ipsam : scientiam veram non *calculi certitudine* contineri ; sed *ideae*, i. e. vitae, *magnitudine* et *claritate* ; aliâs communem computandi artificem praestare summo sapienti, et stupidissimum animal arithmeticum — philosophorum esse principem.

Minime tamen ob doctrinae, exemplorum et magistrorum inopiam; verum ob eorumdem abundantiam ejusmodi institutum, de quo dicere instituimus, summae necessitatis est. Perit enim immensâ immaturorum scriptorum nube elegans bonorum ac solidiorum sensus. Omnis redundantia vires obtundit : sed amnis etiam maximus, per campos effusus et vastans et oblimans agros, redit in alveum, modo in eum reducatur. Qua re indicare volumus : tempus esse, hanc doctrinam non solum quaquaversus distribuere inter cunctos, verum etiam solidiorem et meliorem reddere; bona, quae illa protulerit, servare, parerga et superflua procul abjicere ; omnes gentes eodem humanitatis cultu delinitas conjungere, ut hostes quoque, ubicumque advenerint, amicam inveniant, cui, ab ipsis colendae, sit parcendum. Ante omnia, quod habemus, nondum satis cognitum aut elaboratum, depromatur diligenter a singulis; communicetur cum reliquis. Pari studio patria cujusvis resque patriae collustrentur, ut singularum nationum splendor in historia earum luceat ; talique modo populus in populis suae vitae conditionem cernat ; neque amplius ignoret, contemtum et interitum unius parare dedecus et ruinam alterius. Ut denique civitates cultu eorum, quae sibi sunt propria,

intelligant, quantum bonum patria sit et libertas; ut pro utraque, pro cultu suo, caput quisque et opes et rem familiarem lubenter conferat. Qua re feliciter effecta conversiones aut nullae erunt, aut si quae fuerint, sapienter temperabuntur, ac fructus ferent et eventus habebunt salutares.

Non, profecto, satis videmus, quid habeant utilitatis nostra studia, uti nunc fiunt; quamdiu non universum cultum humanum amplectuntur et promovent. Quem si noluerimus, facile erit negotium, triennio, ut opifices solent, addiscendi in schola qualicunque circulatoris artem, aliâs difficilem, civitatum regendarum, juris dicundi, corpus sanandi, sacra faciundi; reliqua, inutilia illa et futilia, omnino non curandi. Hoc certe rei intuitu nec Historia, nec Philosophia, nec tandem reliqua Literatura elegantior ullius notae erit. Minime tamen verendum est, nos aliquando, quid de tanta doctrinae copia ac sapientia nostra faciamus, sollicitos esse futuros. Nemo enim unquam populus doctrinae abundantia periit; neminem ea unquam interimet, non magis, quam virtutis vis et efficacia hominem singulum : periere tamen gentes universae doctrinae levitate et negligentia, ut multi homines defectu virtutis. Totus humanitatis circulus, qui nunc maxime rotundari incipit (spretis enim omnibus adversariorum, qui culturam imminutam esse contendunt, rationibus in nostra perstamus sententia) ad hunc usque diem continuo auctus est. Quod autem interiit, non necessario, sed casu et aliis tempestatibus atque, firmissime adseveramus, ipsamet cultus imperfectione occidit. Emendatum et auctum genus humanum crescet et emendabitur, quin ratione cultûs nimis amplificari possit (quod perperam obscuri persuadere cupiunt reliquis tenebrionibus); potius quo magis colitur homo, eo vehementius cultiora adpetit. Circulus est, non ferreus, sed elasticus, qui quo magis impletur, eo evadit perfectior : neque tamen magis potest rumpi accrescente cultu, quam pellis puerulorum adolescentibus musculis, carne et ossibus.

Unicum, quod nocere reapse possit, a cultûs aequabilitatis in gentibus et hominibus perturbatione timendum est. Temporis autem ingenium nostri id maxime cupit, ut hiatus orti expleantur. Qua re sive omnino neglectâ, sive non certis regulis, prudenter et leniter effectâ, culmina alta in profundos ruunt abyssos. Contra cultus aequabilitas jurium creat aequalitatem, quia haec et ille ex eodem ingenii fonte manant. Non *rerum* et *agrorum* aequalitatem homo poscit, non aequalem civitatum *extensionem* πολιτεία; sed aequae libertatis et independentiae agnitionem omnibus viribus sibi parare quam ardentissime desiderat.

Colite, eadem ratione, populos et homines, atque, mihi credite, totum genus in hoc speculo cum summa animi voluptate se contuebitur. Haec sola *Respublica Universalis* exsistere potest, quoniam ad eam omnes gentes et homines feruntur; atque hujus reipublicae Princeps est — *Sapientia*, a cujus imperio nemo abhorret. Si quando populi quique in eodem cultus gradu versabuntur, iidem etiam eodem tenebuntur desiderio. Cujus rei exemplum prostat instar omnium : *Trutinâ* namque *Europae politicâ* factum est, ut jam nulla civitas alterius arrogantiâ absorbeatur. Atque trutina progeneravit *Jus* illud omnibus commune et agnitum; quod ipsummet ortum est e cultus similitudine, licet ille nondum sit adultus et per totam vitam perfusus.

Hic locus est, ubi loqui de *antithesi* recentioris temporis non ineptum erit. *Legitimitas* (quam vocant) *hodierna*, quae cum *idea majestatis* adcurate cohaeret, est *antithesis* historica adversus *Licentiam Demagogorum* (qui se per excellentiam vocant *Liberales*), ad servandam *Majestatis Sanctitatem* declarata. Qui hodie contra *Sacrum Foedus Principum Parisinum* (la sainte alliance) clamitant, veremur, ne, cur faciant, nimis sapiant. Ea enim est *antithesis*, *effrenatis tumultuum popularium auctoribus satoribusque* atque simul *arrogantiae usurpatorum* opposita — foedus Amphictyonum temporis politici seu recentioris; non inter Urbes et Stirpes institutum, sed inter Civitates Independentes. Sistit magnum illud principium, nunc primum pronunciatum, *Regum pacis* (*auctoritate seu armis*) *Moderatorum;* quae est propria hujus saeculi adparitio. *Aetas foederis* mater est; nasci idem *debuit*, licet ejus auctores neque de foedere Amphictyonum, nec de antithesi historica cogitaverint. Eodem modo *Mediata* principum minorum conditio, recens decreta, antithesis est adversus *Polyarchiam*, quae, ex Aristocratia quondam Feudali superstes, viribus et unitate privaverat Germanicum Imperium. Quaevis enim suo tantum tempore bona sunt. Atque nemo, profecto, nunc est, qui improbet *Saecularisationes*, Reformationis tempore factas; quae erant antithesis, omnipotentiae ecclesiasticorum opposita. Haec enim, in *Infallibilitatis* IDEA innixa et *Fidei obscurae*, in *Medium Aevum* conveniebat : *Recens Aetas*, *Scire absolutum* amplexa, *Majestatis* IDEAM peperit; quae horret Infallibilitatem, illiusque est antithesis — penitiusque intelligetur, quo magis *Credere* illud et *Scire* nostrum fuerint cognata.

Illa vero vitae perfusio penitus effici solo universali cultu potest; quâ perfectâ sententiarum et morum concentus erit pro trutina politica; libertatis aequilibrium pro necessitatis aequipondio; qua re, sublatâ necessitate

belli, aliam nemo persentiscet amplius, quam *pacis* necessitudinem. Sapientes enim duo non litigant; de pace non cogitant, quia bellum cogitare nequeunt : utrumque, *res* et *vocabulum*, evanescet. Sic philosophorum desideria, sophistarum promissiones poëtarumque somnia explebuntur et Historiae circulus clausus adparebit, h. e. historia habebit Praesentiam suam : unde illa vitae moderatio, illa agendi aequabilitas, illa harmonia vitae, καλὸν illud, *Sapientia*, orietur. Nemo, dicis, nostrûm hoc tempus videbit? Non interest: videbunt posteri; sed ut illi messem faciant, serendum nobis est. Volumus igitur Mundi universi concentum, et eum quidem unitate cultus, igitur scientiarum concordiâ; quam citra cultorum ejus communionem arctiorem assequi nequimus. Quid igitur praeprimis requiritur, ut illa unitas oboriatur? Quum haec unio sit cum *interior*, tum *exterior* quaedam; quarum illa *Rempublicam Literatam*, haec *Ordinem Equestrem* postulat; in totidem Partibus de utroque agendum est.

PARS PRIOR.

DE REPUBLICA LITERATA UNIVERSALI.

CAPUT I.

PRAEPARATIO.

§ I. DE POTESTATE PRINCIPIS IN SCIENTIAE CULTUM EFFICACI.

Consiliorum mentis humanae finis est virium suarum explicatio. Summum sibi aperire cupit homo, *se ipsum*. Suam ipse sibi naturam subjicit, quam intelligat; ipse sibimet finis evadit, quem consequatur, ultimus. Hoc consilio ductus *res* quasvis subjecit sibi. Vult Infinitum quoque et extra sensuum potestatem positum consequi. Verum ipse non est nisi pars quaedam Toti alicujus : mens singularis pertinet ad mentem totius generis : continetur et cum Infinito illo et cum hac mente hominum totâ, quadam ratione mutua. Illud adtinere nequit, nisi hoc simul sursum attollat ad illud : quod attolli non potest, nisi illud quodam modo descendat. Vult homo vitae, igitur scientiae, Unitatem quaerere; quae est in Deo, qui se in universo genere hominum, pariter in universa scientia manifestat. Quod igitur ut adtineat homo, primum quaerit in definito indefinitum (*Scientiâ*); deinde cum hoc humanarum tantum rationum specie ab ipso percipi possit, indefinitum in definito exprimere conatur (*Arte*); tum quae illîc quaerit et hîc consequi-

tur, ea ipsum reddunt de virium tenuitate suarum certiorem : quopropter incomprehensibili se Numini totum dedit et huic necessitati volens obtemperat (*Religione;* qua ducitur ad sensum moralem, i. e. ad universitatis ideam). Hoc tertium, haec libera agnitio imbecillitatis suae, quae ipsum necessario divino numini substernit; illud Socraticum « *Scio me scire nihil* » adeptu est difficillimum, neque potest omnino adtineri, nisi unito primo et secundo, junctâ scilicet Scientiâ et Arte.

Quod ut homo *in Civitate* adipiscatur, princeps ejus experiri (praeter vim) omnia debet. Ut vero idem, e totalitate sua, *universis* impertiamur *Civitatibus*, easque sic uno humanitatis vinculo conjungamus, *consentientibus* Augustis, auxilio *Instituti nostri* vehementer desideramus. Hoc Institutum, pro studiorum suorum ratione, secundum tria momenta, et haec iterum conjuncta, consideranda sunt.

Civitas adest civium ergo. Homo civis evadit, ut homo esse possit. Is autem fieri vult omnibus nominibus; igitur Scientiâ, Arte, Religione. Quae cum ita sint, Scientia ipsa, licet omnium rerum maxime libera, ab omnibus immunis, idealis; tamen secundum naturam civitatis et populi excolenda est. Primum enim homo rationibus mutuis cum aliis initis de sua natura certior reddendus est; qua ducatur ad cognitionem suimet, ad harmoniam sui et rerum mutuaeque sui et illarum rationis. Quum haec adipisci sola civitatis conditione queat; consequens est : artes quoque et disciplinas ad civitatis conditionem esse colendas; ut genus hominum, per eandem civitatem unitum, ad illam concordiam perveniat. Priusquam enim totum quoddam, e variis partibus constans, oboriri possit, Partes illae perpoliendae; deinde eaedem inter se invicem comparandae; denique harmonice uniendae sunt. Porro quae a singulis elaborata exstant, sicut *e* populo promanaverunt, ita *in* populum reverti, talique modo cum omnibus communicata uniri debent. Quapropter ex hoc capite bonae artes non solum pendent ab instituta disciplina civitatis, verum simul necessario curam expetunt et subsidia principis. Tum libertate sola non semper effici possunt omnia; quia eruditus aeque ac rusticus vitae necessitatibus est adstrictus; in quibus superandis princeps eum adjuvet oportet. Quarto, cum sit necesse, ut unus non sibi soli sapiat; neque fieri possit, ut omnes per se erudiantur : principis est, curare, ut unus magister evadat multorum. Denique, cum unus et solus totum orbem artium et disciplinarum amplecti nequeat; sed plures et omnes, qui ingenio et animo ad id praestandum donati sint, eum percolere debeant; hoc vero

fieri non possit, nisi unitis illorum voluntatibus, viribus, opibus et auxiliis; principi haec quoque cordi sint.

Hinc sequitur, summum civitatis moderatorem ad eam rem bene administrandam, duas personas agere debere, COERCITORIS et ADJUTORIS; ut tamen coërcitor non magis utatur violentia, quam adjutor beneficiorum profusione, qua inhonesta sustententur otia. Accedit tertium, et hoc facile princeps, quo nihil simplicius et difficilius simul inveniri potest; ut nimirum civibus omnibus perfecta concedatur libertas in eas res inquirendi, ad quas suâ quisque naturâ fertur. Summa namque prudentia opus est ad efficiendum, ut quilibet teneat auream mediocritatem, quae est inter nimium et parum. Quartum denique eo consistit, ut ii, quibus cathedra publice confisa sit, quibusque nec disciplina desit, nec tutela, sedulò custodiantur, ne in munere factitando evadant laxiores; ut in discipulos justi, in docendo cauti, civitatem revereantur ejusque saluti informandâ juvente consulant.

Potestas *coërcens* duplicis generis est. *Primum* ea, quae concessam libertatem moderetur et gubernet. Nam potest fieri, ut aliquis, per aliquod tempus, repentino quodam impulsu ad rem suscipiendam feratur, viribus suis graviorem. In quo casu a suscipiendo munere publico, ad quod sustinendum natura denegavit vires, quisque amovendus est (sic e. g. valvae Academicae, nostrâ quidem sententiâ, claudendae sunt, quicumque primoribus tantum labris literas artesque gustaverit), ne caninam eruditionem suam, pesti aeque putandam, cum magno literarum et civitatis dispendio impertiatur aliis. *Deinde*, qui ingenii habet satis et diligentiâ utitur cum eo congruâ, qua excellere in aliquo disciplinarum genere possit; is, quae cognovit et cogitat, nunquam in se ipsum recondet ac sepelibit; verum in publicam lucem emissis certam vim exercebit in populum ingeniumque populare. Quum autem, praeter Socraticorum opinionem, fieri non nequeat, ut in corpore pulcro foedita habitet anima, i. e. ut mens acuta et omnibus artibus perpolita conjuncta esse cum pravo animo possit: hic certe princeps coërcitoris personam tuebitur. Verum in hac quoque re diversimode distinguendum est. Ac primum quidem, si huic tali viro professio publica fuerit demandata; eâ ille privandus et ad alia negotia adhibendus est. Si vero idem scriptoris tantum munere fungatur; *Censura* opus est, sed providâ illâ et justâ. Deinde hoc quoque accidit, ut ille sit sive scelestus et profligatus nequam, — quo rei intuitu, cum non nisi perdite agere possit, plane abjiciendus: sive gravibus erroribus deceptus — tum corrigendus est atque ad meliorem frugem adducendus.

§ II. DE CENSURA ET PRELI LIBERTATE.

Quis vero erit aequus harum personarum et rerum judex? Quis decidet primum: Utrumne scelestus ille, an errore tantum captus sit? Deinde: An omnino in eum alterutrum cadat? Tum: Quid tandem cadat in Censurae orbem? — Quidquid *Religioni*, *bonis Moribus* et *Civitati* adversatur, repente respondent. Certe! Verum quid jam illud est? Quam late hic patet arbitrii campus; quam diversae circa hanc rem sententiae hominum; atque hae denuo, quam sibimet exsistunt *tempore, rebus* ac *ingeniis* adversae! Nonne quo quis est magis in aliqua re suus, quo est omnino ingeniosior, eo facilius in suspicionem cadit stolidorum? Ex hac consideratione quarta oritur quaestio: Quis igitur Censor erit? — Priusquam ad hanc quaestionem respondere liceat; quaerendum est: Quatenus imperans se in hanc rem interponere debeat? Deinde praefandum est de Censura ipsamet.

Princeps se huic rei eatenus admisceat; quatenus Ille, cujus ipse personam hîc tuetur, rerum omnium Creator, mundum gubernare instituit ex sententia Senecae: *Semel jussit, semper paret!* Institutum igitur creet ille, intra cujus orbem *sponte sua* moveantur reliqua. Quam ob rem Institutum ipsum tam sit perfectum, ut possit esse diuturnum; tam late pateat, ut ne qua universi pars alteram iniquo studio tangat; sed ut singulae et universae optimo concentu eant.

Quod adtinet ad *Censuram*, sunt, qui absolutam scriptionum vulgandarum potestatem pro machina habeant, qua totum potentiae arbitrii aedificium evertere, lucemque incendere et cultum libertatemque mirificam se posse confidant. (Haec quaestio praesertim a. MDCCCX, d. V Febr. in Parliamento Communium Anglicano, a *Sheridano*, tractata est). Alii eandem pro fonte omnium malorum habent: (ii inprimis, qui apertos hominum oculos animosque luci et cuivis meliori adpetitui obturare amant). Aliis ea mater est motuum ac fluctuum civilium omnium, qui Europam dilacerarunt: (iis nimirum, qui clam agere ex suo commodo, quam ex utilitate communi malunt). Aliis denique (omnibus, qui sanae mentis et sanctioris animi sunt), videtur, conversiones e ruina suppressae libertatis preli accrevisse. Bipartita igitur sententia est. Utrius sententia probanda sit? — Utriusque! Quis enim dubitat, Gallos (ut hoc recente utamur exemplo), Materialismo tum vehementer addictos, nequissimam ejaculasse doctrinam? Verum ille Materialismus (ne dicamus Stercorismus) preli libertatem non matrem habuit; potius ipse, *opportuno tempore*, prelo potuisset facile extingui et verri penitus. Ut

autem tum res erat, idearum igniculi sub cineribus latentes projecti sunt in vulgus, *ad eas nondum praeparatum*; jam vomes incensus perseminatus est per horrea aridissimo foeno plena : nihilo secius tum quoque horreum claudentes prelum prelo subjiciebant, i. e. infelici instinctu abrepti, ut imminente periculo facere solent miseri, omnes et singulos ad *solam* illarum scriptionum lectionem quasi adigebant : (unde fiebat, ut semper Triumviros illos unâ et simul nominatos videremus, *Helvetium, Roussavium, Voltairium*); in quibus spiravit blandum illud et nocivum, libertatemque promittens incastam, scribendi genus. Potest hic rerum status comparari cum statu Herculis in trivio, ut tamen Herculi Gallico sola blandiretur *Voluptas*, NON OBLOQUENTE VIRTUTE. Sic boni viri impediebantur, quominus malos scriptis confunderent : mali pariter coërcebantur, ut non, ipsâ insaniae superlatione, vacuitatem et levem idearum suarum protervitatem ostentarent penitius — donec omnia interius incensa, quum *Volneyus*, impunitate preli proclamatâ, repente fores clausas aperiret atque subito, aëris adflatu, exardescentibus flammis, totum illud systema inveteratum unâ cum custodibus suis; qui ipsi se, ut, de instante periculo certiores facti, infernas umbras furentes justis institutionibus obstringere possent, opportunitate privaverant, obliti illius : *Discite, o posteri ! aetatis ingenium !*

Hinc facile efficitur verum de hac re judicium : *Preli* LIBERTATEM, *non* LICENTIAM *preli*, nec SERVITUTEM *ejus, bonam esse*. (Cfr. JEAN PAUL, Freyheits-Büchlein, praes. p. 72-77 et : Abschn. V). Non etiam difficile erit intellectu, qualis, nostrâ sententiâ, *Censor* esse et *Censura* debeat. « Veritas, perperam accepta, supprimenda est, quoniam in errore versatur : error enim intellectus, nullus est. Censoris igitur est, id agere, ut ne quis verum false interpretetur; in veritatem ipsam, intellectam nimirum, imperium ille nullum habet; alias enim ipsi jus daretur, errores seminandi. » Hunc casum, quisque videt, in tabulâ Censoriâ, supra allatâ, in qua enumerantur Religio, Mores, Civitas, non contineri.

Adjiciamus statim alterum, non minus ibi omissum, et tamen tribus illis momentis simul accensendum. Leges videlicet XII Tabularum, quam raro etiam capitis supplicium minatae sint, hoc tamen statuebant : *Si quis occentavisset* (*actitavisset* juxta alios) *sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri....* « et hoc sapienter (ait CIC. De Rep. IV. 4) : *judiciis enim magistratuum, disceptationibus legitimis propositam vitam, non poëtarum ingeniis* (igitur melius legitur *occentavisset*) *habere debemus : nec*

probrum audire, nisi ea lege, ut respondere liceat et judicio defendere ». Nos quoque habemus poenas, in famosorum libellorum auctores et calumniatores statutas; sed habemus etiam proprium *poëtarum* genus, malos scilicet auctores et praesertim bonorum *Censores literatos* (alii *illiteratos* volunt). In hos autem poenam scriptam, quod sciam, habemus nullam. Attamen hosmetipsos saepe non honorem tantum publicum et privatorum enecare; sed saepius vim potestatemque ejus salutarem infringere ac praesenti et futuro tempori inutilem reddere, nihil magis constat. Non igitur temere cum *poëtis* unâ videmus recensitos *occentantes* seu *actitantes* (qui forte ipsimet *Rencensentibus* nostris respondent adcuratius; cum *mali auctores* similiores esse videantur *poëtis*). Illi enim scribunt seu petulantiâ, seu consuetudine scribendi, seu cholera, seu pecuniae siti aut fame, seu stoliditate ducti, et cacco impetu scribunt, quae alteri ipsis cantaverunt. Hi vero occentantes seu Recensentes eo sunt perniciosiores et magis detestandi, quia velut e tribunali judicant. Quis vero est, qui (anticriticâ forte?) *respondere* ipsis possit seu velit etiam; quum hoc, quod *judicio* fieri nequit, illi vel ament praeprimis? Quis unquam institutum Censorium pro *disceptatione legitima* habuit? Quum igitur illi agniti sint a nemine, sequitur, quamvis criminationem eorum publicam esse *obtrectationem*. Quam igitur necessarium sit, ut certis et sapientibus legibus, quibus quisque se continere possit, ejusmodi tribunal *publicum* et *legitimum* instituatur, vident omnes. Quae res eo clarius elucebit, si verbum adjecerimus de *auctoribus ipsis*. Plato (De Legg. XI. p. 935) cuique *poëtae* (*scriptori* dicamus) et *artifici* (*musicum* ille vocat) nomen laedere civis qualiscunque (igitur Reipublicae Literatae non minus) statutâ poenâ interdicit. Quam vero male habent scriptores, qui nunc sunt, haud pauci collegas suos et siquis alius eis in campo literario obviam fertur! Quum tamen Graeci suis scriptoribus adeo indulgerent, ut iis, quae vellent, in singulis etiam hominibus perstringere concederent; voluit Plato noster (De Rep. VII. p. 817), ut de fabula edenda primum cognoscerent magistratus. Praeterea illa Comicorum licentia (nostros comicos nemo obliviscatur, qui ipsi se adpellant Censores) Athenis gravioribus aliquot clausulis salutaribus restricta exstitit; quibus cautum erat, ne quis totum omnino populum conviciis peteret (Xenoph. De Rep. Athen. c. 2, 18. — Idem exemplum nostri quoque sequuntur, eo solum casu excepto, cum in singulos furendi deest opportunitas). Sed quantopere sibi Comici nostri placent, ubi totos populos adoriri (*principes* non audent) possunt! Neque etiam desunt, qui eorum argutias laudent et mirentur. Inprimis tamen proprium populum (in qua re

Germani praestant reliquis) certatim et cum quadam animi oblectatione prostituere amant coram popularibus et peregrinis. In qua re non raro tam sunt aequi, ut vel laudent peregrinos, ut eo magis, contrariis juxta se positis, elucescant convicia in patriam effusa. Potest tamen nihil inveniri nequitius ejusmodi homine, in Deum patriamque impio, cui praeterea sanctum esse nihil potest. Nemo quidem dubitat, esse in populo suo homines nequam. Universum autem populum ut ineptum declarare idem censetur, ac frigido animo ei summae ignominiae notam inurere; omni existimatione peregrinorum eum privare; civibus sacrilega manu fidem, spem, caritatem et pietatem in patriam ex intimis visceribus evellere. Quodsi peregrini adeo, quos propria patria, ob ingentia crimina in eam commissa, exspuerat, in terra hospitali, quae ipsos naufragio adpulsos ex eoque salvatos cum generosa hospitalitate exceperat, facere et impune facere audent, foedissimum quodvis nomen, ad ejusmodi delictum notandum, non satis tetrum esse potest! — Quis jam erit ille magistratus Platonicus? — Videbimus postea!

Tertius casus, in Censurae canone aeque neglectus, est de *Juventutis Informatione*. Cujus rei nemo est tam imperitus, ut nesciat, vitia e cathedris commissa, uti majoribus poenis digna, ita summâ prudentiâ cohibenda esse. Haec seu in teneros puerorum, seu lacertosos adolescentum animos, ex quibus postea nec vi, nec arte exstirpari queunt, vim exserunt eo majorem, quo magis auctoritate doctoris, quae ad pietatem accedit proxime, efficacia quadam mirabili augentur et confirmantur, ac per saecula, ne dicam, perpetuo accrescunt et serpunt latius. Manu quasi sua doctor tractat historiam et vitam praesentis, ejusque auxilio, futurae pariter aetatis. Quos igitur ea feret fructus, cum primo cuivis advenae, qui pecuniae seu alia siti, neque vero nobiliori humanitatis amore ductus, ab omni disciplina immunis, eam suscipere potest, relinquatur? Si praeterea hic ipse magister homo scelestus seu, quod accidere potest, clandestinis et patriae adversis sodalitatibus adscriptus, sive iis praefectus fuerit: nonne hic ejusmodi homo discipulos aeque perditos sibi creabit, quibus aliquando ad mala consilia sua exsequenda utatur? Nonne hic vivam alet civitatis pestem? Si denique hic ipse homo peregrinus adeo fuerit; quo modo patriam ille juventutem educet ad patriae salutem sustentandam, iste, inquam, quem forte propria patria pepulit? Quis vero providebit? *Princeps*? Non potest; nec debet etiam ipse, suo arbitrio, doctorem qualemcunque judicare. Non magis hoc judicium relinquendum est cuivis, seu uni viro. Sed de hac re infra dicemus uberius: ubi simul declarabimus: quis sit judex hominem inter atque serpentem!

De Censura nunc, quam incepimus, ad finem dicamus. « *Censuram esse posse, quin ea literarum profectibus noceat; eamque Politicas tantum ideas circumscribere : ceterum menda in lucem protrahere, modo id cum modestia agatur, cuivis esse liberum* » — : hac sententia censuram plerique defendunt et — accusant simul. Falsa sententia, si ut *conceptio*; non vera, si *ex idea* usurpatur : haec enim iniquum studium, quo *Religio* et *Mores* excluduntur, condemnat. Falsa est secundum tria argumenta (quae uberius prostant in *Iside Okeniana*; 1820. IV. p. 181 sqq.) :

I. « Quia literae qualescunque totum sistunt inseparabile; inquisitionesque literariae ab omnibus terminis iniquis abhorrent ».

II. « Quia Censurae unius opponuntur Censurae aliorum, publicae et (in quovis lectore) privatae; igitur hae censurarum curvarum angustiae timorem ejusque sequelas progenerant ».

III. « Quia quodvis institutum Censorium magistratibus suppeditat mediorum adfatim, quibus Principi verum celari non nequit (quae res in quavis bona civitate est insignis abominatio); quoniam igitur civitatem per Castas dirimit, quae eo sunt perniciosiores, quo magis inter se, cum detrimento reipublicae, non interruptâ iniquae dominationis catenâ, cohaerent magistratus civiles ad unam societatem, adversus singulos et privatos conjuratam, connexi, mutuamque sibi suam impunitatem tuentes ».

Verum quidem est, quod ajunt, hominem, si in cultu suo adeo profecisset, ut errare non amplius posset, a Censurae quoque legibus pangendis se esse abstenturum. Verum non minus constat, eundem hominem, cum ejusmodi leges faciat, ponere : homines omnino, literatos prae ceteris, (exceptis tamen istis legumlatoribus) esse sceleratos; atque eo titulo, ne illi perdidi esse queant, alii eos iniquis cancellis circumscribere audent. Verbo, ne male facere homo possit, illi *eum agendi potestate privare* se posse credunt. Quibus ratiociniis his respondemus Quaestionibus :

I. An illi nesciant, quemvis *clam* agere et *male* agere posse, atque ut clam agat, ab illismet *cogi* : clandestina autem peccata omnium esse perniciosissima?

II. Quo tandem pacto illi libertatem humanam (quam ipsimet sibi *tantam* arrogant) in tuto collocare reantur? Nobis enim (et plerisque) firmiter est persuasum, ubi sit libertas *errandi* (error enim non scelus est), ibi non deese libertatem, errantem corrigendi : utraque vero re coli hominem. Cum ubivis et omni tempore liberum esset cuivis, *cogitare*, quae vellet; cur igi-

tur non liberum sit, *scribere*, quae cogitet? Scimus, nostrum saeculum quemlibet et quodlibet morari solere, cui desit scidula portorium solutum testans; sed id quoque non nescimus, saeculum laudatum reddi indies pauperius, quo plura exigat. Perdit enim hoc modo omne commercium, cum literarium, tum physicum, atque aufert (ut ille ait) pro vectigalibus debitis pecuniam tantum mulctatitiam, propter non soluta impositam. Verum quantus in hac mentis violentia horror; quam etiam terribilis homo est post fractam catenam!

III. Quo jure illi se Christianos esse profiteantur? Christi enim doctrina nititur in cogitandi credendique libertate; quoniam cordis est, non intellectûs. Hoc Sacerdotes nobis, illud Censores retinent. Si, profecto, Romani in Christianos egissent, ut nostri agere in scriptores solent, pagani permansissemus stolidi et servi versuti. Quid? Christum abnegatis, instar Petri, salva specie Christianismi? An ita estis omni sensu destituti, ut non videatis, ipsum adeo Diocletianum Censorem cogitandi libertatem extinguere nequivisse (quam inique egerit Censura Juliani in Christianos, pariter obliviscuntur); neque magis, quatuordecim deinceps saeculis elapsis, Philippum Frigidum; nec Curiam denique Romanam?

IV. Ubinam tandem illa moralitas, quam laudatis, cum cogitandi agendique libertatem supprimitis? An forte in memoriam vobis revocandum est « illâ interdictâ *statum naturae* reviviscere, e cujus legibus quisque, *quae pro vi sua possit*, auferre studet? Tum autem mentis ratio et animi persuasio esse desinet et excusabit omnia *necessitas* : tum filius proditor erit fratris et patris, ut ipse capiat quantocyus heredium eorum!

V. Cui rei argumentum adjiciamus omnium fortissimum hoc : *Voluntatem* humanam se regenerare tantum in sese : voluntatem cujusvis ab omnibus esse tutam; quod si quis integro animo volverit, de Censura non cogitabit amplius. Praeterea leges omnes, cum positivae, tum naturales *ad agendum* impellunt : censura actionem supprimere conatur; igitur legem jubet, humanae naturae adversam. Cogitationum et voluntatum *servitus* ad *infantiam* generis humani, ad *dominatum Asiaticum* pertinet; unde ibi leges deprehenduntur in utrasque datae : earum autem *libertas* ipsismet aetatis recentioris mundique *Europaei* progressibus tribuenda est : quae vicissim aetas matrem habuit libertatem illam, ab inde Reformationis tempore partam. Ipsa adeo sapientia politica ex hac vagina prodiit. — Porro in Orientis Infantia nemo libertatis desiderio tenebatur; igitur eadem, ibi quidem, nulla vi suppressa

est : qui autem nos privare eâdem cupit, ille sapientem virum in ludentem destituere infantem studet : quod non magis effici potest, quam ut sapiens, etiamsi voluerit, stupidus fieri queat. Qui igitur hunc arcum intendere ultra jus fasque voluerit; ille certe non arcûs, sed sui corporis nervos rumpet. Accedit, ut homo, pro voluntate sua, Summo Bono, quod sibi ut aeternum exemplum proponit, similis evadere studeat, uti reapse ad S. Numinis similitudinem creatus est; ut igitur Summo etiam Malo renitatur. De quo inimico suo ut victoriam reportare possit, omnibus viribus opus est. Qui igitur voluntatem subigere cupit, ille se diaboli socium adversus divinam in homine mentem, adversus Sanctum Universi Spiritum declarat. Praeterea quaevis id generis lex censoria *mendacium* jubet; a quo, ut supra demonstratum est, ingenium Germanicum, i. e. Temporis nostri, abhorret quamvehementissime.

Universum denique illud et interius ingenii ad humanitatem conformandi studium, quod est verissimum divinioris in homine mentis testimonium, preli illiberalitati repugnat; quia voluntas necessario ad novas e veteribus producendas ideas impellitur. Quas *vetustas* ideas cum abjicere *nequeat* voluntas (sunt enim eae ipsi quasi succus nutriticius), quum ex iisdem, *velut e fonte perenni, novae ideae promanent;* igitur mens humana *ulterius tendere* DEBEAT : sequitur, impedimenta struere voluntati velle insani esse; illis impedimentis perterreri neminem *posse*, quamdiu fieri nequeat, ut omnes ideas ingeneratas, totamque praeteritam mentis mundanae aetatem deleamus; i. e. quamdiu debilis mens singularis, quae a mente universali gesta sunt, infecta reddere non valeat. Accedit harum omnium rerum *conscientia*, qua sola homo cultior idearum creator evadit. Haec conscientia in minoris ingenii hominibus necessaria evadit *mentis constantia;* igitur in homine ingenioso illa necessitas constans et haec vis creatrix *simul* inest, si quidem in majori unâ contineatur minus. Illa vero vis creatrix non se recondit in ipsa se, sed extra se exire, se manifestare debet. Quod facere non alio medio potest, quam linguae et scriptionis auxilio. Insuper cogitatio quaevis ad omnes pertinet, non modo ad sapientiores. Et hi mutuam in gratiam, divino instinctu excitati, ideas suas cum aliis volunt communicare, ut illos erudiant, ut colantur ipsimet aliorum auxilio. Medium ad id efficiendum in promtu est, *Prelum Typographicum*, quod nemo premere audeat. Quum ars typographica in publicam lucem prodiret; nemo de ea perdenda cogitavit; ne tum quidem, cum Ecclesiae Reformationem juvaret : quis igitur nunc idem conabitur? Quodsi vero tunc quoque voluisset, nemo *potuisset*

efficere; non magis, quam qui Reformationem horrentes, cum vellent, opprimere potuerunt. Igitur hodie quoque manebit intacta divina Ars nostra tamdiu, quamdiu nemo humanam naturam volens exuere poterit. Attamen ea, testis est quotidiana experientia, non omnibus est relinquenda. Custodiatur; sed *modo non solito* et *ab aliis plane custodibus*. Priusquam vero ad hanc priorem respondeamus, transeundum nobis est ad alteram partem nostram.

§ III. CONTINUATIO PARAGRAPHI PRIMI.

Principem in rebus ad literarum cultum pertinentibus seu coërcitorem seu adjutorem se praebere posse diximus. De posteriori nunc dicamus. Potest juvare bonarum artium cultores bifariam. Sive enim pueros erudiendos, sive provectiores eruditos sustentabit. De juventute quidem constat, eam omni modo incitandam esse eique auxilia ferenda. Quam tamen rem ita intelligimus, ut ipsi fiat *opportunitas* virium omnium exercitandarum, quibus aliquando par sit popularibus colendis. Male nos intelligeret, qui a principe nos postulare crediderit, ut quemvis juvenem, casu et fortuna oblatum, *nutriat* atque sic tota quadam imperitorum nube, quae aliquando patriae oneri sit futura, terram suam obscuret. Potius in hac re sacrum principis officium esse adfirmamus, coërcitorem quam adjutorem exsistere, ne inepti Musarum sacrarium invadant atque pauperes, *quia sint pauperes*, ut aliquando habeant, unde vivant, ingenio et mente vacui, in literarum se campos intrudant ac viribus manibusque suis agrorum et opificiorum culturam privent. Neque magis etiam divites, *quia sint divites*, igitur a civibus nutriri non cupiant, sine inquisitione praevia, ad literarum studia admittendos esse censemus. Nam hi quoque cives boni et utiles fieri et debent et possunt; neque ullo pacto, ut denuo ineruditorum doctorum familiam augeant, admittantur oportet. His impedimentis salutaribus Literatorum civitas mirifice purgabitur.

Ne vero ulla fiat injuria, cuivis vires suas experiri, ingeniorumque acies omnium, quantum fieri possit, exercitari et quisque facto demonstrare non nequeat, quo veriori animi instinctu sit animatus, copia facienda est: quae res, dubium non est, quin in bonis *Paedagogiis* publicis rite instituatur. Re declaratâ, optimi tantum et ipsâ naturâ ad eam rem destinati, ut aliquando aliis exsistant magistri, ad cultiorum artium institutiones admittantur, stipendiis subleventur, et (non praemiis illis et numis aureis, sed) honoribus excitentur.

Quis vero hanc juventutem Principi ad cognoscendum repraesentabit;

quis digniores ex ea juvenes judicabit; quis denique, quo aliquis excitamento indigeat, explorabit? Hoc, videtis, non ab ipso principe, nec magis ab illis fieri potest, qui adhuc illo munere functi sunt.

De Eruditorum ipsorum incitamentis, haec in promptu habemus: Eruditos primum bifariam distinguendos esse. Sunt enim illi sive *doctores*, juventutis institutores; sive *auctores* scriptoresve; pari honore utrique digni. *Auctor* tamen is est, qui in qualicunque doctrinae parte versatus, eam ingenii acumine ita elaborat et scriptis exponit, ut opere suo et *honorem* patriae et *utilitatem* adferat. De *Utilitate* consentiunt omnes; secus de *Honore*. Nihilo tamen secius Honor patriae aeque est necessarius, ac Utilitas, atque populus, in qualicunque vitae parte inglorius, qui cogitari potest omnium est miserrimus. Monere supersedemus, hoc loco sermonem non esse de *praeconibus* et *buccinatoribus* laudum publicarum. Porro ad doctorum coetum inprimis pertinet, qui *animos* civium percolere secundum ingenium populare nititur. Doctus denique is est, qui universalitatem cultus popularis, ratione spatii, atque totalitatem Scientiae, ratione temporum, ad concentum absolutum, mundanum, ad unum genus humanum ex multitudine populari efficiendum, conformare studet.

Qua igitur ratione ipsis adeo doctioribus animi addi a principe possunt? Ne credas, de rebus me *necessariis* verba facturum esse, de librorum, instrumentorumque collectionibus et reliqua hujus generis suppellectili. Multo etiam minus id dicere animus est, doctis non solum, quae ad summas vitae necessitates pertineant, suppetitanda esse eatenus, ne fame pereant ac cum annis pannis quoque sint obsiti, neque de victu angantur. Hoc enim ita promtum est et propositum, ut nulla demonstratione egeat; et ipsa quoque honestas, ejusmodi viris necessaria, imperat, ut non solum vitae usibus non careant, ut potius honesto et congruo rerum usu pares sint multis illis, qui, plus habentes, sciunt parum et merentur nihil. Quodsi vero hinc inde *quidam* flebili voce, *publice*, queruntur de largis et nimis commodis doctorum salariis; haec inconsiderate, cum odio et invidiâ prolata, nullâ observatione digna habentur. Scire illi nequeunt, doctores neque tabernarios aut nundinatores esse, nec fabricatores quoque posse; atque praeterea non cellam tantum vinariam, ut illi solent, sed bibliothecas quoque ornandas habere: neque denique eruditionem suam in triviis collegisse; verum multorum annorum, sanitatis quoque et rerum pretio continuoque labore sibi parasse.

Saepissime verum doctorum virorum incitamentum jam eo continetur, ut

non impediantur in boni verique anquisitione et expositione; eo igitur, ut Censura sit aut nulla, aut aequissima. Porro vir doctus, licet ipse sibi sufficiat, nullo splendore extero captus, nullumque desiderans sui ergo; quum se ubique primum *esse* sentiat; non esse tantum, sed, *qualis* sit, *adparere* quoque debet. Cum enim ille multiplici cum aliis ratione contineatur; etiam, cum iis comparatus, personam suam tueatur necesse est : *dignitas* ejus *interior* testanda est *honore exteriori*, ut, quos erudire velit, eorum existimatione et reverentia utatur. Unde sequitur, praeter voluntatis significationem principis, praeter illas necessitatum largitiones, praeter cogitandi scribendique libertatem, *honores* praeprimis in doctos viros convenire. Eos, praeter principem, neminem praebere posse, manifestum est. Quis vero judicabit, in *quem* illi conveniant maxime, et *qui* honoris *gradus* ?

Hac via in illud Dissertationis momentum incidebamus, quo Quaestionibus adhuc oblatis simul et unâ respondeamus omnibus. Quaecunque igitur a nobis proposita sunt, ea consequemur INSTITUTIONE REIPUBLICAE LITERATAE, OMNES ET SINGULOS POPULOS COMPLEXAE. QUAE RESPUBLICA ESSE NEQUIT ABSQUE ORDINE LITERATORUM EQUESTRI; QUI ILLUD INCITAMENTUM HONORIS PRAEBEAT ATQUE, INTERIUS CONJUNCTISSIMOS, HABITU ETIAM EXTERIORI AD UNUM IDEMQUE CONSILIUM EXPLENDUM SOCIOS OMNES CONNECTAT. Praemissis aliquot Observationibus, his Quaestionibus penitus respondere poterimus : *Quis in Civitate Literata sit Civis ? Quas res illa amplexetur ; quid ipsi sit praestandum ? Qua ratione eadem contineatur cum populis et principibus ? Quae sint Civium Munera, Partes, Officia ? Quomodo Civitas et Populi Singuli ad unam Rempublicam Humanitatis conjungendi sint ? Quae sit Literatae Civitatis Constitutio, Orbis Efficientiae, Dignitas atque Potestas ?*

§ IV. ANIMADVERSIONUM QUATERNIO.

I. DE CIVITATIS LITERATAE RITE CONSTITUENDAE NECESSITATE.

Est quidem haec universorum vox atque sententia : libertatem solâ hominum *individualitate* exsistere et efflorere. Verum non minus constat apud universos, eam perfici non posse *citra totalitatem omnium*. Primum igitur singulus *esse* et *censeri* debet; tum tantum cum reliquis conjunctus *vires suas exserere* potest. Haec enim sola communio et consuetudo aliorum *cognitionem sui* et *rerum* creat et colit, dum individualitas non nisi quandam *conscientiam* praebet, qua menda solum *aliorum* percipit, non *sua;* igitur trahitur ad contemtum imbecillitatis et imperfectionis humanae eum in modum,

ut homo ab homine magis magisque abducatur et ad incastum sui studium indolentiamque adducatur. Cum enim homo alium hominem intuetur, sui ipsius oblivisci solet. Quaevis occupatio secreta, quodvis studium divisum hominem a se ipso abripit et oculum interiorem ejus obstringit; cujus denique plane ignarus ipsa adeo vestigia perdit. Omne vero conjunctum et commune *singulum* reddit *sibimet;* solum Infinitum *intra justos eum terminos includit.* Absque hac conscientia sui *et* aliorum libertas cogitari non magis potest, quam generosa rerum contemtio; sine illa nullus adpetitus sanctior rerum majorum, nulla animi adversus fortunae temeritates constantia. Quare verissima est illa sententia : Hominem eos pro optimis habere, quibuscum iisdem studiis sit conjunctus.

Quod autem homines *literatos* adtinet, nulla etiam veritas minus efficax inveniebatur. Adhuc enim docti viri hujus rei contrarias partes tuiti sunt, licet in ejusmodi studiis versati, quae hominem cum homine arctissime copulare debere videntur. Cujus rei haec causa est, quod literati, in suo quisque recessu, suo tantum ingenio indulgentes, quasi *soli* canebant, quum singuli ad certamen musicum (sic recte *literarium* cum Graecis vocamus) conjuncti, perite concinerent. Sed deest Odeum, deest certamen et magister symphoniacus, *Apollo.* Interea manet tamen integra sententia illa. Et cum quaevis, eaque minima, nostri in alio homine similitudo sit grata; quanto magis idem studium, excolendae eadem ratione scientiae, omnes literatos conjungere debeat! Et hoc quoque firmiter nobis persuademus, eos eo majori se amicitia esse amplexuros; quo magis alter ab alterius consiliis sit alienus : quoniam eâ differentiâ propriae libertatis et individualitatis magis gnari, invicem erudiri alter ab altero et mutuo auxilio majores et perfectiores fieri deberent. Quisque alterum ut necessariam aureae ejusdem catenae partem censeret, sine qua ipsemet cum illa non contineretur. Reprehenderent se invicem amicorum instar, ut se emendarent, talique modo cum *superiores* se unus alteri, tum *pares* simul conspicerent. Omnino in societate modo hominum ad humanitatem duci homo potest : propria studia et librorum lectio multum quidem, nec tamen omnia efficiunt : praeparant quasi agrum, sed sementem ab hominibus exspectant ipsis. « Summa etiam praestantia (ait *Richterus* ille) hominem non captat; aliâs princeps nullus odio esset subditis : verum quem aliquis sibi devinxit homo, ei praestantia quaevis mirificam vim addere solet. » Quapropter ipsamet scientia, licet eadem sit nobilissimum donum et revera divinum, tamen societate humana, cum ipsa est in vitam traducta, multo evadit pretiosior. Hinc consequitur : primum, vitam esse colendam; deinde,

scientiam augendam; seu potius vitam auxilio scientiae, et ea quidem ejus parte esse perpoliendam, quae ad vitam accedat proxime: nam doctrinae immolare vitam, repugnat. Ultimum autem cujusque societatis consilium est mutuus sociorum cultus. Magnis exemplis opus est, si quis ad majores cogitationes erectioraque studia pervenire cupit; aliâs optimas vires temere perdit. Est autem scientiae cultu nullum homini consilium antiquius; quoniam in eo reliqua insunt omnia. Quapropter necesse est, ut optimi optimis consociati, mutuis auxiliis erigantur, conjunctis viribus agant, ut commune illud consilium exsequantur.

II. De Communi Animorum in Literatis Consensu.

Insipientium et eorum, qui stupiditati quam sapientiae magis favent, clamores et timores satis pervulgati sunt, ut non ignoremus, communionem omnium unius populi eruditorum, ac rursus consensum universorum totius Orbis literatorum, in suspicionem malorum moliminum trahi posse. Attamen nihil potest esse ejusmodi clamore magis vacuum; quum e consensu omnium *doctorum* non pernicies, sed sapientia accrescat; haec autem periculosa nunquam, salutaris omni tempore esse revera debeat. Est vero etiam inanis ille timor, quum non *clandestinam*, sed *apertam* eorum societatem velimus; quae certe minus esse suspiciosa potest, quam sexcentae sodalitates clandestinae, quas tamen a plerisque civitatibus videmus seu toleratas, seu custoditas. Praeterea horret animus a societate vel sapientum, si qua fuerit privatorum arbitrio, non principum auctoritate instituta. De periculoso ceterum consensu; facile nos expediemus *Herderi*, sanctissimi et humanissimi viri verbis; qui de hac re haec fere effatus est (cfr. Herders Biographie von Ring, in illius Opp. T. XVI, p. 271 sq. Karlsr. 1822. 8): « *Inter sapientiae studiosos alius consensus communis cogitari nequit, quam consensus sapientiae; unde amica oboritur communio hominum, tranquillae et efficacis diligentiae causa instituta; nobile certamen inter socios de quovis bono et pulcro exquirendo, de quavis gravi et gravissima virtute exsequenda. Hic est amabilissimus amicitiae nodus dignissimorum quorumque coram Deo et hominibus.* » Omnino meminerint illi, *nullam esse veram amicitiam inter malos.* Si quis mavult antiquorum testimonia, Tullius ille nobis praesto est, quem cogitatio, in quavis republica reperiendi unicum virum, virtute insignem, legislatorem aut reipublicae satorem, summo gaudii sensu adfecit; quapropter ille gratissimae voluptati indulsit, eas civitates enumerandi (De Rep. III. 3). Verum enimvero quanto majus nostrum gaudium sit, cum in quavis civitate

(et earum quidem numerus hodie multo major est, quam Ciceronis aetate!) non solum complures videamus viros, qui sive fuissent legumlatores, seu certe hoc munere cum omnium salute fungi possint; sed etiam totidem viros, doctrinae copia et varietate et ingenii acumine in omni artium et disciplinarum genere praestantissimos, atque philosophos habeamus, quibuscum antiqui nec numero, nec mentis profunditate comparari queunt! Accedit altus, et ejus quidem nobilissimi principis, sententia, qui « *Philosophos*, ait, *optimos esse reges* »; cui, profecto, non dissentit tertius ille, qui « *Omnes reges esse debere philosophos* » sustinet.

Quodsi igitur universâ unius populi sapientiâ conjunctâ, et rursus sapientum universi orbis in unum collatis viribus et voluntatibus exsistat civitas; quanta, quamque felix cogitatio, quam veteres ne animo quidem sibi informare potuerunt, bonis omnibus contingere debeat! Quam denique beata sit literata et quaevis alia civitas, in qua sententiae veterum philosophorum maxime contrariae, *De Vera Vitae Sapientum Ratione*, concinant et in ipsam vitam transferantur! Nemo enim hodie sapiens interrogat: *Utrum in philosophum conveniat, rem publicam curare* (de qua re sollicitus erat *Aristoteles*; de qua secum pugnavit *Themistius*; quam improbavit *Aristippus*; probavit *Antisthenes*; quam ipse *Plato* propugnavit et aggressus est; quae denique placuit *Ciceroni*, qui Consul sententiae probabilitatem extra dubitationis aleam posuit: cfr. De Legg. III. 7). Hîc βίος πρακτικός *Dicaearchi*, juxta vitam θεωρητικὴν *Theophrasti* latum campum habet. Hîc sapiens ille *Socrates* vitam *humanam* suam, turbis et aerumnis vacuam, atque *Peripatetici* « Nectar et ambrosiam latices epulasque Deorum » gustare non nequeunt; quin maculentur *Epicuri* stercore, aut experiantur morosae, acerbae et jurgiosae *Xanthippes* convicia et *plebis Atheniensis* levitatem. Unicum hodie aegerrime ferimus, quod plerumque et plerique insipidi de rebus scribant publicis, tamque multi sapientes eas scribant magis, quam gerant. Hoc igitur volumus, ut institutâ illâ communione πρακτικὴν addiscant vitam et communi consensu suo stolidos a scribendo cohibeant; omnes vero, intra illam totalitatem, vitam suam exserant, eique saluberrimis consiliis prospiciant.

III. De Societatum Clandestinarum Inutilitate.

Civitatem Literatam et Ordinem Equestrem nostrum *publicum* et *manifestum* esse debere, supra dictum est. Haec manifesta ratio ejus sit principium et fundamentum. Lucem quaerimus, eamque accendere omnibus adnitimur. Hoc faciendum est ipso *meridie*, ut jubet Tempus: delictum sit, si clam agere

velimus. Apertae sint inter diem et noctem inimicitiae; manifestae inter Ormuzdum et Ahrimanum pugnae. Hic Ordo, haec Civitas antithesis nostra ultima sit, quibusvis celatis et nocturnis artibus opposita. Sic victoria continget nobis, sic probe eâ utemur. Lojolitae, omni tempore celati, semper aliud cogitantes, facientes aliud, tempestatum turbis per aliquod tempus repressi, adhuc sibi sperant, denuo caput attollunt : finem tamen adpropinquare, reluctantes licet, sentiunt. Age, faciamus, ne temere sibi metuant. Peribit scelesta Societas, ut primum Ordo noster fuerit declaratus; cujus illa immenso pondere opprimatur oportet. Quae pressit ante, jam prematur ipsa : serpens astuta, quod attollit caput fallax, cum eo demergatur perpetuo! Nec tamen aliquis credat, superstites socios principiis valedicturos esse turpibus, antequam ipso etiam corpore fuerint sepulti! Verum hoc a supremo numine decretum est, ut hi pauci usque ad finem luant poenas delictorum omnium, ab universa Societate adversus jura humana commissorum — sicut Judaei, inertis et frigidae Legis sectatores, supersunt, ut expient vetustorum temporum traductam in saeculum recentius perversitatem. Mox, sensu diverso, alius *Ordo Devicti Draconis* illi Societati, bono ordini adversae, oppositus elucescet splendidius; atque hic noster erit. Faciendum autem est, ne posteri aliquando querantur, nostrâ culpâ mores eversos esse.

Omnes quidem Ordines clandestini, ab inde mysteriosis illis, religioso-philosophis Pythagorae atque sacris Oraculorum Ordinibus Sacerdotii vetusti; ab inde Instituto Clinico Aesculapii et Amphiarai usque ad Ordines Illuminatorum Liberorumque murorum Structorum, ex instituti sui ratione, idem sequebantur consilium « *erudiendi et ad humaniorem naturam adducendi humani generis* ». Verum omnes etiam typum ostendunt originis suae (Antiquitatis nimirum) et patriae (Orientis), atque illo solo tempore boni fuere et salutares, e verissimâ sententiâ : *Sapientiae beneficia non in vulgus effundenda esse; quia qui bonis non recte utatur, ei bona mala fiant.* Horrendum adeo illud et nocturnum Judicium Vemicum bonum *fuit,* quoniam venenum aliquando pro remedio est. Quis vero nunc istam voluerit jurisdictionem sicariam? Omnibus temporibus viri contigerunt sapientes, qui aetate suâ superiores, praevidebant id, quod esset futurum, atque salutaria praecepta sua, quia propter communem omnium obscurationem publice proponi nequiverunt, ac ipsimet existimationem suam fortunae committere noluerunt, *consciis electis paucioribus et initiatis,* praeparaverunt, quae ore discipulorum ad futura tempora transmitterentur. Hoc *tum* bonum erat et laudabile : bonum est, quidquid tempori est consentaneum. Verum quaevis positiva praecepta,

etiam jura, leges et mores atque ipsa adeo conscientia hominum; simulac a tempore abhorrent, necessario evadunt perniciosa. Nobilissimum, summum, splendidissimum bonum Scientia; cujus hoc est ingenium plane privum, ut velit *communicari* CUM OMNIBUS, et hoc quidem MANIFESTO. Ubicunque enim fax ejus adparet, ibi illa, in quantalibet tenebrarum densitate, diem creat. Cognoverunt eam multi, sentiunt plurimi, desiderant omnes : et mutuam in gratiam ipsamet complectitur universos cum Ordines tum Sodalitates.

Hinc sequitur, hac tempestate, Ordines Clandestinos omnes esse *inutiles* et propterea *nocituros*, quia (uti jam *Cicero* abhorrebat a *nocturnis sacris :* De Legg. II. 14 sq.) adversantur temporis ingenio nostri. *Potest* nunc *publice* fieri bonum; quod eapropter eo etiam *laetius efflorescet*, *liberalius ac uberius*. Quod vero clam agi non minus *possit* malum, id nunquam fieri *debet*. Dicam, quod de hac re sentio, liberius, cum in hos Ordines nec amico, nec inimico studio tenear; quare, qui iisdem favent, mihi permittant vividis coloribus repraesentare mala; quae communis hominum observatio notat quotidie. In quovis igitur homine, clandestinum Ordinem intuente, exsistere solet quaedam de *consilio* ejus suspicio et justa quaestio, quam responsum sequi solet hoc, omnibus usurpatum : Ordines clandestinos aut *nullum* habere consilium, aut *pravum* sequi, aut *bonum*. Primum *ridiculum* sit et eapropter minime tolerandum. Alterum *crimen civitatis* et *humanitatis*; ergo poenâ dignissimum. De *bono* denique, quum *publice* fieri *debeat* fructuum uberiorum et exemplorum causa, id occultatione totum perit. Male tamen fallitur, qui hoc unicum crimen nocturnis sacris et, propter occultationem, non temere, sed ipsamet experientiâ duce, a plerisque objici credat. Etenim praeterea, quod illa *aut* utilia esse, *aut* perniciosa, pro antistitum consiliis, *possint*; praeterea, quod ejusmodi societas in civitate publica *clandestinam civitatem tueatur involucrem* — quae res ab hac aetate historica majestatis crimine censetur —; hoc quoque ipsis consilium attribuunt : « Illas id agere, ut socios mutuis auxiliis, commendatione et aliis inhonestioribus mediis ad summa quaeque in civitate promovendos adnitantur ». Hoc autem bifariam fieri potest : SIVE ut omnino *rerum gubernacula aucupent* : unde servitus civium reliquorum, non sociorum, atque adrogantia improbissima tyrannorum oriatur necesse est. SIVE eapropter fieri solet, ut socii socios *adjuvent* tantum. Verum in hoc casu denuo haec adest pugnax tricornis : *Sive* illi adjuvabunt homines PRAVOS et INEPTOS; *sive* PROBOS et IDONEOS viros; sive *bonos malis* MIXTOS. Primum insignis fuerit nequitia adversus civitatem et cives non socios. Alterum, aeque improbum, insuper horrendum sanciverit princi-

pium : « commendatione cuncta, virtute nihil effici », simulque dehonestaverit ipsosmet ornatos dignitate viros. Tertium irrisio fuerit ipsius principis, quem Privati in eligendis populi rectoribus optione privaverint inque eum indignam tutelam usurpaverint. In omni ceterum casu Societas Clandestina potestatem sibi arrogat, quae in unam Majestatem, neque vero in sejunctum quoddam Collegium convenit. Accedit, verus Aetatis Recentioris horror, Castarum illa ratio, qua odium socios inter et reliquos cives immensam universalitatem nanciscitur civitatemque scindit in partes hostiles. Oritur denuo e duobus tertium, invidia ecclesiasticorum, qua adversus socios clandestinos indelibile exardescit odium religionis ergo; quia ecclesiastici Ordinem, clam agentem, cum sibi, tum fidei oppositum credunt. Ut denique malo jungatur pessimum, id sequitur, ut quilibet, ad sua consilia consequenda, qualemcunque sodalitatem instituere aeque se posse sibi persuadeat. — Quae adhuc de clandestinis Ordinibus in universum protulimus, eadem fere Herderus ille de *Liberis murorum Structoribus* sigillatim sentit (Vid. Adrastea, B. II. p. 164), agnitâ licet salutari quondam eorum auctoritate.

IV. De Instituti nostri et Aetatis Ingenii Concentu.

Cuilibet hodie scribenti accidere solet, ut si quam cogitationem proferre, nondum plane protritam, audeat cautionibus non adhibitis, sive in arrogantiae suspicionem cadat; sive, mirabili lectoris inconstantiâ, non probetur, si non plane nova et inaudita proferat. Qua re diligenter ponderatâ, egregie nobiscum actum iri credimus, si auctoritatibus in auxilium vocatis poterimus probare, quae proponamus, *vetusta* esse et *novissima* simul. Illud autem probabimus eo, ut similes aliorum, eorumque magnorum virorum, conatus in medium producamus. Quod cum ita sit, praesto est *Klopstockii* magnum nomen, qui *Rempublicam Literatorum Germanicorum* instituere sibi proposuerat, spisso de ea re libro conscripto; *Campanellae*, qui *rationes civitatis Solis*; *Baconis*, qui *Atlantida*; *Woltmanni*, qui *Civitatem* et *Universitatem literariam*; *Zinzendorfii*, *Wesleyi*, qui *Civitates morales*; *Weishauptii*, aliorum, qui *Ordinem Illuminatorum*, *Liberorum murorum Structorum*, *Ordinem Pegnitzensem*, *Communiones fraternas* et ejusmodi seu descripserunt seu instituerunt. Timemus tamen *doctos*, qui illos illorum conatus stolidos seu temerarios adpellare consueverunt, atque Klopstockium non *doctum*, sed *poëtam* tantum fuisse edicunt; unde illius consilium cecidisset in irritum. Atque hac re nolens etiam me continere deberem, nisi meâ gratiâ inferre haec possem : primum, si Klopstockium illi horreant poëtam, non tamen contemnendum esse *Leibnitzium*, qui cum totum, quod cupiebat, efficere non

posset, parte tantum unicâ (*Academiâ Berolinensi*) indicavit, quid universa institutione a se propositâ fieri potuisset. Deinde Rempublicam Literariam Klopstockianam eapropter eventu caruisse, quia nimis angustis circumsepta esset cancellis; quod nunquam accidere nostro Instituto poterit, quod universalitate sua reliqua omnia et complexurum sit et superaturum; igitur, quae reliqua ad unum omnia praestare nunquam potuerint, effecturum. Sed est nobis alia auctoritas et ea quidem longe praestantissima, quae mihi nunc cummaxime, opportuno certe tempore, contigit et quam vel spinosissimi harum rerum contemtores et Principes quoque Augusti eorumque Ministri eâ cum reverentiâ accipient, qua est dignissima.

Princeps enim Europae illius temporis longe nobilissimus, non annis tantum Nestoriis, verum sapientia quoque civili et animo in subditos vere patrio, jure celebratus, cujus grata memoria apud omnem posteritatem erit diuturna — CAROLUS FRIDERICUS, *Magnus* deinceps *Badarum Dux*, quo tempore sapienti consilio *Foedus Principum Germanicorum* scindebatur, sibi proposuerat, quam longo tempore foverat, cogitationem ad exitum perducere : « Instituta nimirum arctiori inter cultissimos Germaniae viros communione, Principum Augustorum Auspiciis, CONSENSUM COMMUNEM ANIMORUM PERCOLENDI ET EXCITANDI; » quoniam apud Illos Principes constabat : *a solo hoc meliori animorum consensu pendere firmitatem et salutem Principum, Civitatum et Foederum Politicorum.* Hanc ideam elaborandam et digno modo exponendam Divus *Carolus Fridericus* magno *Herdero* tradidit. [Cujus rationarium habemus, sic inscriptum : *Idee zum ersten patriotischen Institut für den AllgemeinGeist Deutschlands*, (in Opp. ejus T. XXVIII. p. 503; cui titulus : *Früchte aus den goldnen Zeiten des XVIII Jahrh.*). De qua re cfr. Joh. v. Mueller's Werke T. XVI. p. 315]. Neque defuere huic sacro consilio reliqui principes, quorum majores, inter quos honoris causa nominandus est *Magnus* ille FRIDERICUS II, *Borussorum rex*, jam doctissimos Germaniae viros elegerant, qui, *Herdero praeside*, propositum finem consequerentur. Imminens Gallorum conversio has quoque rationes in irritum vertebat : sed certo potest adfirmari, istas turbas nunquam devastasse Germaniae pagos, si illud Institutum jam ante istas tempestates exstitisset. Ad hanc talem auctoritatem ne verbulum quidem adjiciam, nisi hoc : me in consilio meo, Instituti nostri rationes scribendi, penitus illa re esse confirmatum atque adversus cujusvis cavillationes, si quae fuerint, corroboratum.

Jam vero his omnibus observatis breviter respondere possumus Quaestio-

nibus supra propositis. Ad primam Quaestionem : Quis sit in Republica Literata Civis? haec habeas : Omnes omnino, qui scientiae dignitate et substantiâ rite perspectâ, illam e nostri temporis rationibus aestimare, in vitam traducere inque eam efficacem reddere poterint. In hoc tamen Responso insunt *momenta duo* eaque *gravissima*; quorum unum attinet ad *Scientiam ipsammet integram, universalem, absolutam*; alterum ad scientiam, *quae proprie vitam et cultum singularum civitatum Popularem sibi perpoliendum sumit.* Licet unum sine altero nihil sit; tamen Civitas inde enascitur duplicis generis : altera *Popularis* sive *singulis populis priva*; altera *Universalis*, quam cosmopoliticam dixerim, *in omnibus simul populis habitantem.* Illa *Rempublicam* poscit *Literatam, quae ingenium populare ejusque consensum sibi efformandum proponat*; altera *Civitatem Literatam universalem*, quae *communem illum animorum consensum in omnibus unâ populis parandum et servandum nitatur.* Adpellabimus priorem ACADEMIAM, civesque ejus ACADEMICOS; alteram REMPUBLICAM LITERATAM ORBIS UNIVERSI, ejusque cives ΚΟΣΜΟΠΟΛΙΤΑΣ.

CAPUT II.

DE ACADEMIIS OMNIS CULTUS POPULARIS ALTRICIBUS.

§ V. DE ORBE EFFICIENTIAE ACADEMIARUM.

Factâ divisione nostrâ Quaestio illa in hanc convertitur : *Quid sit Academia; quid praestare debeat; quis Academiae civis evadat?* Verum hoc loco statim et velut in atrio nobis declarandum est : minime nos eas Academias velle, quae nunc sint; sed eas, quales esse debeant! Quantum enim Academiae artium et scientiarum, quas habemus, abhorreant a nostrae aetatis rationibus, vident omnes; dicere nemo potest.

Ejusmodi igitur Academias, quarum hodie magnus obfendit numerus, volumus nullas; quoniam penitus degeneraverunt et, ubi sunt, inhonestae malaciae exemplum vel aliis praebent. Non magis *instaurare* cupimus vetustas; quia illae ingenio aetatis nostrae adversantur. Nam nimia orbis sui extensione nec tenere omnino, nec praestare potuerunt, quae sibi proposuerant; sed rerum copiâ, quas amplexatae sunt, ipsae distrahebantur adeo, ut, quo tenderent; mox, ubi inciperent, nescirent. Quapropter nemo mirabitur, quomodo factum sit, ut centrum pariter deesset, circa quod se moverent.

Lex igitur prima nostrae Academiae sit *Pindarica* illa (Nem. III. 53): 'ΟΙΚΟΘΕΝ ΜΑΤΕΥΕ: PATRIA *nimirum et Patriae* SALUS, CULTUS *et* MODERAMEN

consensus popularis. Ubique *domesticum* primas teneat : deinde colatur, non certe *peregrinum* (hoc enim adhuc nimis est *hostile*), sed *antiquum* ; quo doceamur, quo modo illud nostrum, auxilio hujus, excultum et evectum sit: igitur *Antiquitas Orientis*, *Graeca*, *Romana*, et haec eodem ordine. Si hac methodo sensum *universalitatis* nacti fuerimus, absque dispendio sensus *popularis*; tunc *peregrinum* addatur, nostro tempori aequale : quod jam nec individualitati nostrae, nec antiquitatis studio nocebit. Quod enim flumen primum descendebat in profundum, illud deinceps dilatari potest absque inundationis periculo. Sic igitur primum antiqua ad popularia; deinde peregrina ad vetustiora atque ab his demum ad nostra referantur. Vita namque epico carmini est comparanda, cujus initia repetuntur a *praesente* vita et actione nostra; deinceps recolitur *infantiae* memoria; e qua transeundum est in turbines vitae exterae et peregrinae aequalium. Si quis vero cum ultimis cultum orditur suum; ipse peregrinus evadit, non absimilis spumae, quae, in superficie natans, mox a fluctibus absorbetur. Ejusmodi homo nunquam in patriam redit : si vero agere cupit, *ubinam* et *in cujus gratiam* agat, nescit; errat tanquam exsul in medio solo patrio ; totalitatem vitae nunquam intelligit, licet motibus ejus hinc inde trahatur. Qui vero patriam habet et novit, ille peregre proficisci potest; Ubique-natus nunquam domum revertitur : occidit vitae *lassus*, quia vagabatur absque consilio vitae; neque vero vitâ *satiatus*, quia vitam nunquam gustavit. Malum est nostri temporis signum, quod nec patriam habemus, nec amorem patriae : qui fructus est pessimus scientiae, quam cosmopoliticam *vocant*, per glaucoma errantis, e nulla patria egressae. Veteribus patria pro Universo erat : pro eâ illi fortiori animo mori consueverant, quam nos pro nostra vivere solemus. Unde ille eximius ardor et vere divinus repetendus est cum poëtarum, tum civium, qui pariter eo incaluerunt; illaque caritas ejus tenerrima, quam ne mente quidem nobis effingere valemus. Unde Cretenses (teste *Platone*) patriam vocaverunt μητρίδα καὶ πατρίδα, quam pietate utriusque parentis colerent. *Ciceronis* autem sententia : *Omnes omnium caritates patria una complexa est.*

Patria igitur vitae reddit praegnantiam suam : reddant *Academiae* patriam nobis et Historiae *praesentiam*. Hac cogitatione ducti nostrarum Academiarum rationes describemus ac propriam ipsis provinciam indicabimus; legesque et statuta depromemus, quas secutae finem illae propositum adtinere possint. In qua re simul opportunitas erit indicandi : Quis earum Civis fieri debeat.

Non singulum modo hominem, sed quemvis etiam populum suis uti pro-

prietatibus, vix est, cur moneamus. Hae proprietates, quibus ei nihil esse debet antiquius, *ingenium* ejus constituunt. Nationes plures, ex eadem Gente ortae, magnopere sibi sunt ingenio suo *similes;* nec tamen eapropter plane *aequales:* natura enim et vices ejus cognatas distinguunt maxime. Haec observatio in omnes aeque nationes Europae recentioris cadit. Similes tamen solae arctius coire et conflari possunt. Ante omnia tamen singulae *sigillatim* cultum adipisci *proprium* debent et, eodem tempore, *pari modo*. Quodsi jam certum et altiorem cultum nacti sunt; illa similitudo magis magisque succrescit, usque ad eum finem, dum inter cognatas ad *aequalitatem* proxime accedit. In hoc autem erectiori fastigio sanguinis cognatio, morumque ingenuitas et lingua etiam ipsa desinunt esse *media Conjunctionis;* sicut non minus harum rerum repugnantiae atque ipsamet religio desinunt esse *causae Sejunctionis*. Nunc humanitatis rationes, necessitates eaedem et eadem studia, colligant omnes ad unum foedus fraternum; homines et populi et nationes diversae ad unum coalescunt *Genus humanum*. Magna horum vinculorum momenta sunt MERCATURA (exterius), AGRICULTURA (geographice stabiliens) et SCIENTIA (interius — efficaces).

MERCATURA, profecto, ejusque benefacta illam conjunctionis immensam utilitatem maximopere repraesentant. Ejus auxilio *ubique* est, quod est *alicubi;* eâ et excitantur et satiantur adpetitus nostri; ea populos tranquillos retinet et simul locupletat; eadem hominum industriam certissime remunerat et unit eos, viresque omnes, cum mentis tum corporis, explicat et exercet, ut concinant virtute et fortitudine. Ipsismet adeo vitiis ea utitur, ut fere sterilem quoque agrum colere solemus, cui, ad mitiorem naturam adducto, bona semina mandamus, ut ferat fruges meliores futuris saltem temporibus. Omnino mercatura in quovis vitae negotio summa quaeque efficit, urbes condit et splendida palatia et naves onerarias; artes colit et sustinet et excitat cum utiles illas, tum jucundas; patriam ditat iis, quae ex peregrinis terris nascuntur, eamque exhilarat: justitiam fidemque mutuam, etiam in peregrinos, colit eamque vel barbaris inculcat. Servilem animorum metum paratâ opulentiâ delet, sensumque libertatis conscientiâ humanae naturae nobiliori creat. Haec omnia et plura etiam efficit et conficit mercatura. (V. HAMANN's Schriften, Th. I. St. I. Berl. 1821 — 1825. VII. 8).

Ipsa tamen sine libertate esse nequit; libertas ipsamet nihil est absque intelligentia ac sensu erectiori dignitatis propriae. Citra utramque deest purior illa fides divinis habenda rebus; deest pariter aequa civium existima-

tio; in quarum locum se intrudere solent timor iste servilis et stolida superstitio. Cuncta bona haec Batavorum unitae quondam Provinciae Septem solâ sibi mercaturâ paraverunt; cujus rei splendida adhuc vestigia supersunt, nunquam interitura. Hoc constat apud universos : non minus verum est, nec tamen pervulgatum satis, bona illa nec parari, nec servari posse *sine erectiori mercantium cultu*, *absque moribus sanctis et integris*, *absque scientiae cultu et liberalitatis elegantia*. Ad mercaturam igitur excitare, eam opibus juvare et auctoritate; artes ad eam necessarias diligentius percolere; materiam mercatoriam e naturâ depromere et arte augere et emendare; potestatem facere singulis, omnium rerum mercatum instituendi — haec magna pars est provinciae ab Academiis administrandae. Qui vero has partes susceperit et rite exseruerit, mercaturamque pro virili parte sua sustentaverit, publico honore dignus, *Civis Academicus erit*. (Vide de hac re Xenoph. Ration. Redituum p. 921 Leuncl.).

Quemadmodum scientia *e moribus patriis* prolici; ita mercatura *e solo patrio* pullulare debet; ut negotiatori stabile sit domicilium, ut de suis populoque suo sollicitus, e sua terra fundamentum et initia repetat commodorum divitiarumque suarum. Tali modo rusticus quoque, cum frugum fructuumque soli sui atque laborum pretium agnitum novit, censebitur cum ab universa civitate, cujus opes, incrementa et salus in Agricultura nituntur; tum a negotiatoribus et civibus reliquis, tum ab eruditis : atque sic agrestis homo suapte sponte, propriis viribus, ad aliquod dignitatis fastigium evehetur. *Agrorum* igitur *cultus* altera est Academiarum cura. Qui de eo promovendo insigniter meruerit, publico honore dignus, *Civis erit Academicus*.

Adhuc tamen plerumque vera sunt, quae Simonides querebatur (cum Hierone *De Regno* collocutus, ap. Xenoph. p. 916) : Quo nimirum aliquid sit in republica utilius, id potissimum aemulatione carere. « Cives enim, ille ait, ad id profecto, quo opus esset, celerius impellerentur, si quidem *honoris* quadam cupiditate ducerentur : iterum citius pecuniam conferrent, quando sic usus postularet : et, *quod quidem fructuosissimum est, quamquam per contentionem agi minime consuevit*, IPSA AGRICULTURA *magnum incrementum sumeret, si quis per agros, vel per vicos, optime terram excolentibus* Praemia contulerit, *adeoque civibus, qui totis viribus in id incumberent, multa bona conficerentur. Nam et proventus augerentur et* Modestia *multo magis occupationum comes esset : ne dicam, etiam* facinora minus *in iis, qui opus faciunt, exsistere*. Quodsi etiam *mercatura* aliquod commodum adfert; *major merca-*

torum numerus excitabitur, *si is, qui plurimum negotiatur*, *adfectus* HONORE *fuerit*. Quod si futurum pateat, ut qui *sine aliôrum molestia* proventum aliquem reipublicae excogitat, *et ipse ornetur*, ne illa quidem consideratio relinquetur. Denique, summatim ut dicam, si in omnibus perspicuum esset, *non cariturum honore, si quis boni alicujus auctor exstiterit;* multos hoc etiam impelleret, ut studiose boni aliquid investigarent. Jam si multis commoda reipublicae curae sint, necesse est, magis aliquid inveniri et hominum studia excitari ».

Hoc modo exsisteret *Ordo* quidam *Negotiatorum* et *Rusticorum nobilium*, qui omni ratione habita melior etiam esset *Nobilitate Militari* et *Nativitatis*. Hoc modo hominum communio non solum fieri posset; sed deberet etiam. Ut enim totum esse sine partibus nequit, eodem modo partes absque toto nihil sunt. Atque hac re salutaris illa contentio populorum magis etiam excoleretur; quia natio nulla est iners quoddam et clausum, sed vivum continuo se regenerans. Hoc denique modo vita quoque maneret in Universo vegeta; quum popularitates cum generis totalitate continuis certaminibus exercerentur : altera ex parte natio quaevis absque ulla interruptione secundum proprietates suas se repraesentaret et nihilo tamen secius genus universum ex illis perpetuo excoleretur. Hoc Reipublicae Literatae, illud Academiis ad efficiendum tribuitur.

Tertium denique momentum est SCIENTIA, quae, respectu Academiarum, eam tantum partem doctrinae universae complectitur, quae Patriam proxime spectat; in qua praecipua *illius consensus communis popularis* capita continentur haec : HISTORIA PATRIA, LINGUA, ARS, RELIGIO et MORES PATRII ac JUVENTUTIS INSTITUTIO; quae cum conjunctae ETHICAM PATRIAE NATURAM constituant, a nobis sigillatim tractandae sunt. Incipiemus autem ab ipsa *Historia patria*, cujus potissimum auxilio populare ingenium ad conscientiam sui pervenit atque summum fastigium nanciscitur in GLORIA POPULI, ita, ut simul nationum reliquarum et aequalium vitam et res perpetuo ante oculos nostros ponat. Unde hoc caput, quod reliqua simul complectitur omnia et sumit, longe est gravissimum.

§ VI. DE HISTORIA PATRIA.

HITORIA PATRIA! Quanta vox, et in hac voce, quae rerum praegnantia! Sed ad eam ex umbraculis chronicorum et scriniorum publicorum privatorumque atque otio eruditorum in solem et pulverem producendam, eamque

oratione digna exponendam, viro etiam opus est summo, nobilissimo, sapientissimo, qui singulari diligentia usus in pervestigando, pariter sit perfusus ideâ ingenii popularis et totius temporis, quo vivat, et omnium aetatum, quas describat. Eum igitur princeps eximia cura et prudentia adhibita, e summis terrae suae viris, unum depromat constituatque consensûs popularis magistrum, rerum patriarum conditorem et doctorem; atque hunc talem Historiographum, egregio opere feliciter perfecto, sanctissimo nomine Patriae Amici condecoret. Ejusmodi enim negotium hominem expostulat, in graviori aetate virili semper adolescentem atque cum sapientia experti senis agentem; qui vero etiam, dubium non est, quin omnes hostes patriae interiores (et eapropter exteriores) fuget atque perdat. Huic viro primae in quavis Academia partes demandandae sunt, primus ipsi dandus locus et ordo. Quantos ille heroas regiosque manes, vi magica sua ex iniquis injustae oblivionis tenebris in lucem productos, exemplo proponeret popularibus! Quae vitae ratio pulcrior esset, nobilior et dignior! Unus in quovis populo sufficeret: qui vero ne hunc quidem unum procrearet, quam miser ille esset populus! Inventus autem ut ornamentum pretiossimum, ut gemma princeps in corona regia, foveatur et censeatur. Cum eo, ejusque auspiciis, in res patrias inquirere, cujusque Academici civis est; quem igitur honorem nanciscetur, quisquis in iis elaborandis egregie fuerit versatus.

Mundi judex historia! Quemadmodum singulis, ordinis nulla ratione habita, coram judice ordinario comparendum est, ut reddant rationem de rebus a se commissis; eodem modo quisque populus, citra ullam exceptionem, ad supremae illius judicis tribunal constitutus, declarare debet, non fere, uti nunc, seu alio tempore, sed quo modo *omni aetate* vixerit, remque suam peregerit; quid effecerit in communi totius mortalium generis cultu constituendo; quid ingenio et animo populari conformando prospexerit; quo modo muneris partes sui in toto emendando administraverit? — Populus, historiâ suâ destitutus, perditus est in magno cultarum gentium orbe; contumeliosa interit oblivione; contemtu infinito premitur. Nihil ille erat cum iis omnibus, qui in ingloria exsistentia ejus vitam inanimam suam quasi per somnium duxerunt. — Pari infortunio adficiuntur populi, qui, licet summo studio rerum tempestatibus consuluissent, in magnoque opere cultûs humani strennuos se praebuissent, nec tamen habuerint, a quibus egregie gesta dignis monumentis historicis servata et celebrata sint. Quidquid moliti sint, quidquid peregerint, id omne perditum est; temere absumtae vires; inutilia studia ad cultum proprium, vana etiam ad cultum aliorum

collata. Sic deprehenditur immensus in ipsa Historia Mundana hiatus, cuncta sejungens et perturbans, quasi e medio divini ingenii libro hinc inde evulsa essent folia.

Ejusmodi populo non praeterita tantum latent; sed ea quoque eum fugiunt, quae nunc sunt, quia haec non nituntur in illis. Neque grandia facta majorum, nec sapientia principum instituta praesentium rite potest judicare seu amare; quoniam, per quos gradus ipse, agens seu patiens, ad hoc fastigium adscenderit, ignorat. Est enim non absimilis homini, qui, somnio nondum peracto, repente e somno excitus, in novum quasi mundum conjiciatur: in quo habet satis, ut meminerit, *se esse*, sed parum conscientiae, qua videat, *quo modo* et *qualis* fuisset antea. Eapropter, cum veterum et recentiorum rerum nexum habeat nullum, nullo pacto consequitur, ut intelligat, secum nunc melius agi, et ipsummet factum esse meliorem et antiquis sapientiorem.

Inveniuntur revera populi, qui, licet ingenio et virtute et vitae nervis satis instructi, sibimet ignari sunt; quorum praeterita vita continua crapula fuit; qui nunquam sui juris, nunquam compotes sui, ut tempus ferebat et publicarum tempestatum ratio, pilae instar lusoriae, per manus semper peregrinas successerunt. Qua re id accidit, ut perpetuo, more parasitorum, magnitudinem aliorum populorum, quam ceterum censere nequeunt, admirentur et ab ea sint suspensi penitus: ut historiam magnae alicujus nationis, in qua interierant, cum stolida quadam animi oblectatione tanquam suam intueantur atque eo etiam furoris occaecati progressi sint, ut credant, cum illo se populo quondam floruisse; in eo solum splendorem et gloriam suam esse collocatam, extra illum se ne esse quidem posse. Patriam igitur illi habent nullam atque, toti peregrinis substrati, nec ab illis censentur, neque hîc aliqua existimatione digni sunt. Sic frontem illi penitus prostituunt. Verum pullulat in hoc agro germen venenosius et largas segetes producit, odium scilicet et contemtum in cognatas stirpes et nationes. Quorum malorum fons quaerendus est in medii aevi tenebris, in Anarchía Feudalì, quâ pestilentiâ ejusdem nationis urbes singulae, ne dicam oppida et vici, infesto studio se invicem sejunxerunt. Deinde accedebat furor religionis male intellectae fanaticus; quo alter invadere alterum solitus, parricidii crimen sanxit. Tum civium scissiones et partium studia. Hunc denique inimicitiarum abyssum magis etiam effodiebant tempestatum fluctus. Quum vero deinceps *post gravissima tempora* unirentur diversi; omnes sibi persuadere coeperunt,

malum ipsummet *infelici unione* obortum esse. Silent annales! *Quo modo* et *quando* haec omnia evenerint; e quibus *causis* sint repetenda, nulla eos pagella docet: unde recens memoria rerum vel magis accendit, tanquam infuso in ignem oleo, discordiarum flammas. Verum partium odia, atrae morti aeque putanda, simul testimonium adferunt stoliditatis cuncta obscurantis. Hinc mirum non est, quo modo fiat, ut hi populi, vero *libertatis* sensu privati, abripiantur *licentiae* furore, locutuleji excordes, sine cultu, sine ulla doctrina, erectioris ingenii expertes, absque dignitate vitae et bonitate morum. Sic populos novimus, de conversionibus garrientes et tumultibus quasi aliti et nutriti; quibus omnes legum termini angustiores et tamen mundus ipse latior exsistunt; qui de vetustis privilegiis fabulantur et juribus, quae habuere nunquam, seu quae saltem nunquam intellexere; qui perpetuo praeteritarum rerum tenentur desiderio, progrediuntur nunquam; qui circa fana bacchantur cum excessu furoris, seu impii sunt ad insaniam, sine spe, sine caritate.

Quodsi vero Historiam populus habet rite conscriptam, desinit, ipse a se alienus, peregrinis adhaerere. Nam qui in propria patria antea erraverat, nunc domum deductus et quasi sibimet redditus est, seque, tanquam in speculo, intuetur in *propria* naturâ suâ: ad suum exemplum informans mentem suam, propria dignitate erigitur, patriamque cum amore sincero amplectitur; ad quam revertitur ipse et refert cuncta, quam tuetur et tenet usque ad interitum: pro cujus salute libenter mortem ipsam oppeteret; sed eapropter nec ipse cadit, nec patriae videt ruinam. Nunc tandem inter ipsum et reliquos populos illa oritur antithesis, cum, objectis illis, de natura sua evadit certior; nunc peregrinae vitae elementis et morum et linguae et legum et religionum abjectis, cum aliarum nationum cognatarum proprietatibus coalescit: oritur foedus fraternum, unitas firmior, virium cognatio. Ex altera parte volens sibi in immenso rerum orbe aptos terminos ponit, legi *ex ipsomet natae* lubens se subjicit, propriisque viribus, quasi columnâ suffultus adolescit, fastigiumque cultus popularis adtinet et ex hac propria altitudine liberum circumfert oculum; quin id amittere periclitetur, quo membrum fit necessarium et singulare totius catenae populorum.

Porro populus, qui Historiam habet nullam, non magis est *Philosophus*. Qui enim suam vitam non cognovit, rationes vitae alterius non intelligere; qui se suasque partes non habet perspectas, nullo pacto totum inspicere potest; qui non ipse se percoluit, quomodo is de reliquis, de Universo

philosophabitur? Qui longum culturae filium non ex se duxit; is nec moribus propriis, nec igitur ingenio utitur suo, nec popularitate. Qui res patrias ignorat, populi libertates amare nequit; qui vero civilia haec jura non probe didicit, is licentiam anhelabit improbam. Cui ignotae sunt libertates ecclesiae suae, ille Romae, velut pice alligatus, adhaerebit peregrinae, ejusque erit, quantumvis licet ipsius libertatis filius, mancipium ineptum. Qui majorum vitia non vidit, nostratium non capiet virtutes. Et ipsa adeo invincibilis illa vis, quam antiquitatis rubigo juribus praebet atque honori, in illum potestatem nullam exserit, in cujus historiâ nulla viget antiquitas. Hinc autem accidit, ut id genus populus, in plures partes disjectus, ut quis primum se infallibilem declarat, in ecclésia et civitate, doctrina et arte et Politia, ei adstipuletur; simulque superciliose et superbe incedens levitatem suam pro sapientia, servitutem et licentiam pro libertate, superstitionem pro pietate, servilem aliorum imitationem pro ingenua et a se exculta arte praedicet.

Philosophiam atque Poësin sorores atque Historiae filias rite adpellant: nec tamen illi errare videntur, qui illas hanc genuisse dicunt; cum ternae hae se invicem creare et educere soleant. Quapropter ubi duae non adsint, tertiam abesse unâ cum omni Artium sensu, manifestum est. In quo autem deest hoc numen trinum, ab eo abest mens numinis. — Quae adhuc a nobis dicta sunt, satis probare videntur necessitatem historiae patriae conscribendae: simul autem argumentum suppeditant, ipsummet propriae utilitatis studium principibus suadere, ut eam elaborandam auctoritate et opibus curent (cfr. Notam 11). Historiam ipsam unus exponat et efformet Historiographus ille e materiâ, a reliquis civibus Academicis, laboriosis velut apibus, allatâ, secundum ideam Temporis Historici Germanici; quo omnis omnium fere populorum, qui nunc florent, historia concepta est atque creata.

§ VII. DE LINGUA PATRIA.

Si Patria primas tenet (*esse* enim homo debet, priusquam *unâ sit* cum aliis); alterae autem partes peregrinis rebus reservandae sunt; si Historia patria, quae addiscatur, omnium dignissima est; sequitur: *Linguam* etiam *patriam*, quam non *vernaculam*, sed significanter *maternam* adpellamus, aliis praestare omnibus; ad cujus adcuratam cognitionem quisque inde a pueritia est adducendus; quam contemnere, seu negligere adeo, nefas est. Illa enim forma est et velut quoddam corpus aethereum, quo se populares sententiae et ideae manifestare unice possunt: ejus tantum ope mens homi-

nis, tanquam lacte materno nutrita, ad humanitatem et civitatem adducitur; ejus tantum auxilio caritatem declarare interiorem illam homo, coelestes et reconditas cogitationes aperire vates et philosophi possunt. Eam solam propter ipsammet discere debemus et docere; reliquae linguae ad unam omnes *media* sunt ad hujusce cognitionis elegantiam adtinendam. Sic Philologiae studio mores et ingenia aliorum, eorumdemque *veterum* populorum, facta, vices et vitae rationes cognoscere cupimus; quae cognitio necessaria quidem est et jucunda; sed tamen ob eam maxime causam, quia continet antecedentia membra, quibus rerum nostrarum conclusio conficiatur. Propter mera verba Philologia non adest. E multis, qui Philologos se vocitant, vix unus invenitur aut alter, qui hoc nomen mereatur. In sexcentis aliis tantum abest, ut multi sint, qui ex uberrima linguarum notione aliquid boni essent aucupati, ut plerique *maternae* adeo linguae usum et fructum amitterent. Philologia maternae linguae vera est; quae viridem vegetamque arborem primitivam et reconditas ejus altissimasque radices exquirit, e quibus innumeri rami, folia, flores et fructus producuntur. Hujus arboris radices Academici cives irrigent, ramosque fortiores diligenter et perite collucent, quo laetius et fortius accrescant, novasque formas novis sententiis suppeditent; sicut fons uberior quidam continuo frigidam largiri potionem solet sitientibus. Praeterea religiose colendae sunt *cognatarum* linguarum stirpes, ut materna lingua cognatis elementis adductis augeatur et ornetur; neque vero alienigenis maculis adspersis dedecoretur. Sua contribuens sororibus, mutuam in gratiam ab iis recipit, atque hoc modo cum eis arctius copulatur multiplicibus et tenerrimis morum, cultus, sententiarumque vinculis doctrinaeque rationibus. Atque ea re orbis intelligentiae quorumvis populorum mirifice extenditur ita, ut expositâ simul Historiâ patriâ, cum cognatis historiis conjunctâ, sororum concentus penitus perficiatur atque ex hac unitate vis major succrescat. Quicunque maternam linguam ignorat, ipse sibi est ignarus; perdita est tum indoles ejus, tum proprietas, cultus et libertas. Est enim in materna lingua tanta vis et virtus ingenerata, tantusque patriae institutorumque patriorum amor, ut illa sola jam sufficere videatur, ad proprios populi mores vel interius ab alienigenis populis distinguendos et sejungendos.

Contra in peregrinis linguis, cum veteribus, tum iis, quae adhuc in usu sunt, quanta depravatio, quam frigidus et ingratus notionum dominatus, quam misera ingeniorum chondrosis! Sunt tamen populi, quibus tam male accidit, ut lingua materna, i. e. lingua *genitrice* destituti, propter quamvis

notionem novam Athenis et Romae ostiatim stipem colligere et voces debeant; ubi tenue porrigitur beneficium, ossa et panis plebejus, e quibus Academicorum familia, in schola Rumfortiana sua, apparare solent insulsa juscula in beneficium pauperum — in spiritu. Ut paucis dicamus; si quis populum diuturnâ servitute sibi substernere cupiat, linguam suam, maternâ ipsi ablatâ, cum eo communicet. Contra si quis populus, sub ipsa hostium manu, libertatem retinere cupiat, suam is linguam teneat, peregrinam quamvis a se longissime propulset. Quid vero dicamus de ea Germanicae alicujus terrae calamitate, in qua magni promissores, pessimarum methodorum instrumento, *Gallicam* linguam, tanquam *maternam*, in exemplum etiam proponunt? Nonne hi hostibus patriae acerbissimis aeque sunt putandi; eo magis, cum Germanicae linguae ratio, ea inprimis, quae apud majores obtinuerat, cum efficacitate verborum, tum simplicitate omnis conformationis praestet?

§ VIII. DE POPULARI ARTIUM CULTU.

Ars singularem quandam vitae sanctitatem indit, et cultores artium atque amici sensum pulcri gustumque purum ostendunt, qui singulari honori sunt cum gentibus reliquis, tum populo, ad quem illi pertinent. Nobilitant hominem artes, quae eum, cum terrenâ materiâ divinum exprimunt, ultra has res evehunt. Nihil etiam magis cum proprietate cujusvis populi cohaeret, quam artium studia; nihil penitius ex ipso populo nascitur, inque ejusdem mores revertitur; nihil igitur colendum adjuvandumque magis et simul custodiendum est. Verum quidem est, bona artis opera moribus nunquam adversari, quippe quorum exemplum est καλόν illud, infinitum in finito expressum. Si tamen artificium quoddam impuras ideas excitare possit, alterutrum verum est (ut ille ait): cogitationem nimirum immundam sive in animo intuentis habitare; sive illam titillationem elegantiori tantum et magis erudito oculo cerni; in quo casu nocere illud nequit. Artificium vero, cujus argumentum non fictum, sed e vita populi depromtum sit; cum eapropter in eundem se maxime insinuans, impuras ejusmodi illecebras ostentat, nullo pacto edendum aut videndi cupidis exponendum est. Altera ex parte hoc persuasum sit omnibus, Artem artiumque studia in animo humano ingenerata esse, ex eoque cum artifices tum fautores artium suam repetere naturam; igitur utrosque exsistere necessario. Unde sequitur, nec posse, nec debere civitatum moderatores parvi pendere Artes; tum ut quaevis singulorum indoles explicari et cuncta civium nobiliora desideria expleri non nequeant;

tum vero etiam, ut haec omnia intra morum popularium terminos efficiantur. Debet igitur princeps partim juvare, partim moderari artium studia; neque tamen ipsemet, sed, licet auctoritate suâ, per eos viros, quibus cum artis sensus, tum populi ingenium cognitum sit et exploratum; ergo per electos illos et sapientes Academiae cives. Penes eos enim solos constat, quodnam ingenium ad Artis honorem et fastigium accedat; quodnam Artis opus hoc nomen revera mereatur; utrumne in eo illud ethos sit expressum, quod salutari aliqua in civium animos potestate esse possit; utrumne patriâ sit dignum, dignum, ut populo ad intuendum proponatur; utrum populo gloriae esse, et honori possit artifici; utrum religionem patriae et mores dedecorans, alienigena colat numina; utrum denique animos inflammare ad patriae amorem, fiduciam reliquasque virtutes civicas possit; utrum res patriae celebret an vero minus? Non enim magis ad virtutem allicere Artes possunt, quam ad ignaviam, socordiam, abjectaque studia, ad viriles animos et patriae deditos enervandos ab eaque alienandos.

Nec tamen in hac disquisitione *Artis* vocabulo *Plasticas* tantum artes intelligimus : statuariam, picturam, musicam, architectonicam solas; verum de quovis artificio loquimur, sono et sermone, colore et penicillo et corporibus expresso; igitur de eloquentia atque poësi, libera et ligata oratione compositâ, de Philosophia pariter ac Historia, Theologia et Technicis artibus; omnino de qualibet forma, qua mens mundana se tanquam mens popularis patefacere soleat. Quodsi igitur, curâ principis, artifici et anquisitori facta sit opportunitas addiscendi, quae sint maxime necessaria, eaque mente sibi informandi et animi sensa formis exprimendi; si materia ipsi non desit — facta historica, traditiones mythicae, historiae artium — et haec universa ad unam patriam relata; si artifices, propositis a principe praemiis et honoribus, ad certamen provocati riteque parati et ad opus accincti, non sint impares doctrinae et religioni, virtuti patriae et gloriae populi arte sua illustrandae; ipsisque subsidia, otium et libertas sit concessa, ut ne sublimior eorum cogitatio emoriatur, neque manus ipsa rebus iniquis aliisve impedimentis cohibeatur : tum denique sapientum tribunal provinciam administret suam. Cujus hae sunt partes praecipuae :

I. Ut, priusquam artificium quoddam in publicam lucem prodeat, severâ censurâ adhibitâ sive menda ejus aut vitia exploret; sive si quae bona fuerint, ea consiliis prudenter datis ad majorem perfectionem perducat.

II. Ut judicet, utrum opus tanquam libera productio ex ipso artificis

ingenio natum sit; atque, populi indolem revera exprimens, rursus ad eam percolendam facere possit, nec ne?

III. Utrum opus aetate nostra et, quod cum operibus aliarum nationum, ejusdem argumenti, de praestantiae laude concertare possit, dignum aestimetur; utrum, inprimis, moribus emendandis, virtutis, fortitudinis amorisque patriae studio excitando sit aptum?

IV. Quibus omnibus ac singulis rite perscrutatis et probatis, artifici Honor est tribuendus et Insigne Civium Academicorum (*ipse* decorandus est, non opus ejus, ut perperam fieri videmus); apud principem laudandus; opus ejus in populi conventibus, templis seu aliis monumentis publicis deponendum est; ut illud possit efficere, ut populus operis auctorem cognoscat et revereatur. Opus autem ejusmodi nunquam populo suo auferatur (Vid. J. H. LUDEN's Staatsweisheit; P. I. § 150 sqq).

§ IX. DE RELIGIONE ET MORIBUS PATRIIS.

Quemadmodum Artis subsidio Sanctum coelitus descendit, quod contempletur animus et a quo sublevetur; eodem modo Religionis beneficio terrenus homo allevatur atque sanctus redditur. In qua tamen re adcurate distinguendum est inter *Religionem* et *Religiones*. Prior enim universum complectitur, absolute verum, immutabile illud, sicuti a divino numinis filio singulari benivolentiâ hominibus manifestatum est; illud, quod temporibus est et locis et humanâ sapientiâ superius. Alterae Opiniones religiosas et varias Scholas sistunt, per quas illud unum et universale, pro temporum, locorum et rerum varietate, populorumque diversâ naturâ et civitatum etiam formâ discedebat, atque continuo ad mores et cultûs rationes mutari solet. Ortus et occasus, boreas et meridies hîc quoque jura tuentur sua. Ut summatim dicamus: Religiones labuntur cum tempore; cognoscuntur historice; vicibus sunt subjectae; mobile sistunt in immutabili illo. Religio nunquam violari potest ipsamet; potest tamen in Religionibus; non scriptis quidem, (ad ea enim respondetur), sed verbis, oratione, doctrina. Quae cum ita sint, tribunal exsistat sapientiorum, quibus id muneris demandetur, ut omnem curam adhibeant:

I. Ut Disceptationes de Religione instituendae cum honestate et solidioribus argumentis adhibitis fiant; ii vero, qui eas susceperint, nec inhonesta nomina, nec iniquos cruciatus subeant.

II. Ut Religio, i. e. Cultus divinus popularis, inprimis si arctius, ut debet,

cum civitatis salute cohaereat, non despiciatur : cultus enim singularis extra civitatis nexum esse nequit.

III. Ut Religiones, i. e. Sectae diversae, non confundantur cum aeterna Religione; sed ut etiam, ob eandem causam, inquisitio in illas instituenda cuilibet concedatur.

IV. Ut igitur non dominatus quidam ecclesiasticus, mortiferaeque notiones dictatoriae se intrudant in locum Religionis, quae, in puro animo habitans, *sancta ethica* est.

V. Ut denique summum cultus humani fastigium in sapiente opinionum tolerantiâ adtineatur; cujus ope quodvis singulare revertatur ad universale. Quae ut adtineamus, inquisitione historicâ de Religione et Sectis diversis, de Ecclesia et Opinionibus ecclesiarum, carere nullo pacto possumus : quae tamen ut rectum cursum teneat, Academicorum civium moderamine utatur. Quale denique sit illud inquisitionis genus; an frigidum plane et nullis ingenii erectioris igniculis animatum; seu *quatenus* illud sit? Quid omnino illos terminos egrediatur, an minus? Quatenus haec et ejusmodi cum aetatis ingenio congruant? Ad haec non unus quidem et solus respondere *Censor* potest seu debet; verum haec judicabit multorum et excellentium virorum consensus.

Hoc loco a me impetrare non possum, quin observem : Theologis omnium scholarum id praeprimis agendum esse, ut diversas omnium partium opiniones non solum enixe cognoscant, sed ut historiae potissimum religionis et ecclesiae, quam studiorum Theologicorum partem principem esse certo comperi, naviter operam dent. Timendum non est, ne his studiis sectarum puritas imminuatur. Sectae enim primum per se *impurae* sunt; deinde, si quae earum pars illis studiis imminuatur, eandem iisdem subsidiis aliunde accreturam esse, patet; tum vero omnium legum prima est lex cultus et libertatis humanae, quam sequi omnium partium homines debent; ita, ut neminem in eligendo cultu religioso, qualicunque formâ illum exercere voluerit, cohibeamus. Hanc legem a quavis civitate tuendam esse, per se constat : esse tamen posse certas rationes, quibus civitas quaedam ducatur, ut certum tantum cultum tanquam *publicum* agnoscat, non est, cur moneamus; cum gradus ipse cultûs gentium et situs quoque terrarum naturalis summi in hanc rem momenti sit.

Princeps vero Academiarum negotium constituit Morum Publicorum Disciplina. Recentiora tamen tempora, non sine magno ipsorum opprobrio, non

sine aperta adversus ingenium suum repugnantia, *Magistros Morum* nullos vident; omnino neminem hodie, nisi forte is sacerdos fuerit, de moribus hominum esse sollicitum, apud omnes constat. Sacrorum autem ministros illos respectu tantum sacrorum, non humaniorum et civilium rerum id agere, aeque manifestum est. Unde illa oppositio Religionis et Morum et singularis adparitio exstitit, homines, quo deteriori morum pravitate sint notati, eo magis religionis cujusdam et sanctimoniae speciem prae se ferre. Inrita religio est et lex et doctrina omnis, nisi eadem morum bonitate commendetur. Sunt quidem mores doctrinae et legum fructus; sed non minus hi ipsimet auxilio tantum illorum ad maturitatem perveniunt. Et hoc adeo verum est, Religionem, Leges, Artes et Doctrinam perniciosas evadere, cum non moralitate utuntur duce et magistra. Ubi vero mores sunt integri, ibi (ut hoc utamur exemplo) liber quoque, pravo consilio de re turpi scriptus, non nocebit, sed tanquam exemplum pravitatis vel utilis esse potest; ut apud Spartanos factum esse videmus, qui, temulentiâ servorum in exemplum propositâ, de foeditate ebrietatis ipsi fiebant certiores. Summum principium ethicum, *negativum* quidem, ab ipso Religionis sanctissimo auctore statutum, illud est: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias!* Cui vero nunc alterum, *positivum,* addendum est Terentianum: *Homo sum, humani nihil a me alienum cupio!*

Hoc ethos minime continetur *pietate* quadam religiosa; sed integritate et aequitate *in agendo manifesta;* in emendando singularum rerum studio; in voluntate civium, capitis ac fortunae periculum pro patriae salute obeundi; in concentu sententiarum veteris et recentioris aevi efficiendo; in juventute intra familiam ad civitatem et humanitatem educanda. Id igitur moralitas efficiat, ut quae alteri ab altero praestita sit beneficentia, eam homo sic accipiat, acsi sui ergo fuerit peracta; ut injuria unîus excitet contemtum in omnibus; ut in hac virtutis maxima exercitatione suum quisque et reliquorum honorem civium et vitae elegantiam et pulcritudinem collocatam sentiat. Hac ratione civitas exsistet, qualis ut sit, optamus; inque ea patriae amor repuerascet, qui hodie ad fabulas pertinere creditur.

Princeps omnis immoralitatis causa est in abjecta *adulatione,* qua alii in munera publica irrepere; alii ineptos, cognationis seu amicitiae commendatione ducti, ad ea promovere cupiunt: unde administrorum in cives contemtus, ordinum civitatis variorum despicientia, ignobilisque oritur inter cives contentio. Ad hanc causam primam accedit altera, quae originem ducit

a cultu imperfecto atque ad certa solum munera figurato; qui parit odium, invidiam, injustumque judicium de iis ferri solitum, qui institutione alia, eaque forte tenuiori uterentur. Cui adfinis est tertia, superbia gentilitia, qua qui semel sunt imbuti, majorum meritis contenti, de propriis parum solliciti esse solent. Quarta denique cernitur in sordibus et illiberalitate mercantium (quae universas adeo gentes infecit), matreque fraudis et fallaciae, quae id efficit, ut propriae utilitatis cupidissimi, insatiabili avaritiâ omnes mercaturae fontes, absque ullo aliorum et patriae respectu, ita exhauriant, ut ipsamet mercatura pereat livoris malignitate. Nihil igitur illi fiduciam publicam aestimant et singulorum fidem, honestatem, continentiam et, quae jure et parsimonia nancisci nequeunt, ea creditorum per simulatam inopiae speciem fraudatione, seu furtivâ mercaturâ, peste moralitatis publicae, factitandâ usurpare solent. Hoc insanum quaestûs studium, nunquam de posterorum salute cogitans, aequales etiam, lucri majoris causa, perdit et ipsos rerum fontes obstruit, cum solùm exhaurire eos nequeat.

Praeterea error gravissimus omnes fere cives occaecat, ut credant, leges solum adversus *improbos* esse latas. Quae mala interpretatio plerosque, vel justos aliâs homines, eo adducit, ut leges, cum impune fieri potest, negligant et, sicut improbi, eas declinent; cum tamen exploratum sit, leges ob bonorum commoda et salutem esse : quae sententia, si in universum sit accepta, bonos confirmare, improbos ad meliorem frugem traducere possit. Quapropter inprimis familiae, quibus virtutum exercitatio est quasi ingenerata, summis honoribus habendae sunt; in iis enim virtutes sunt hereditariae, et exemplo ejusmodi orbis familiaris tota quaedam civitas potest coli et emendari. Quae cum ita sint, pater familias, caput ejusmodi gentis virtute conspicuae, Insigni Academicorum civium decorandus et principi et civibus publice laudandus est. Academia, ex optimis civibus collecta, reliquorumque cultui diligenter prospiciens, summa quaeque et mirabilia fere efficere debuerit.

§ X. DE DOCTRINA POPULARI.

Cum de Doctrina Populari dicere instituimus, tantum abest, ut queramur, quasi non sit in quovis populo doctrinae satis; ut potius nimis esse eapropter opinemur, quia eadem non in vita, sed in literatorum modo labiis habitat; quia ingesta, neque digesta est. Iterum altera ex parte id etiam deest, quo populus excolatur, quo ejus proprietas retineatur et alatur. Hoc igitur nimis, et hoc parum etiam congruum reddere et conciliare; quod desit indicare et addere, supervacaneum abjicere, bonum in locum ejus sufficere, Acade-

micorum civium est. — Populi longe plurimi historiam habent nullam propterea, quod materiam copiamque, unde illa scribi possit, nondum paratam habent: plerique illustribus factis indigent, quoniam eorum notitiam habent nullam, a quibus antiquitus res praeclare gerebantur; multi vitam suam sapienter ordinare nequeunt, quia, quo modo viri egregii ante ipsos vita fuerint usi, ignorant. Atque hoc rei intuitu quatuor maxime sunt, quae Academiae sibi ad elaborandum habeant proposita.

I. Ut MEMORIAS *magnorum virorum* historice et chronologice colligant, easque, si quid nostrae aetati fuerit incognitum, explicent et evulgent: quemvis etiam, magnis rebus functum, adhortentur, ut Memorias rerum a se gestarum, sive quibus gerendis interfuisset, ipse *scribat;* quas illae, nisi ipse edendas curare maluerit, auctore obito, seu opportuno alio tempore, quo edi absque offensione privatorum et cum salute publica possint, typis exscribendas tradant. Memoriae enim, hac aetate recentiore, historiae verae tanquam matres habendae sunt.

II. Ut MONUMENTA *aliave* DOCUMENTA ACTAQUE *historica* non solum e publicis, verum etiam, quoad ejus fieri poterit, auctoritate, opibus, amicitiis, propria diligentia et voluntate Academicorum civium adhibitis, e privatis quoque scriniis depromant atque, ordine chronologico disposita, in tabularium velut commune, ad quod aditus pateat cuilibet rerum anquisitori, congerant et digerant. Praeprimis tamen Academicis civibus nostris ad tabularia privata adtendendum est; quae non raro majoris etiam pretii sunt, quam ipsa publica.

III. Ut VITAS *excellentium patriae virorum,* quae quidem scriptae sint, colligant et publici juris faciant; quae scriptae non sint, scribendas curent: id quoque agant, ut aliis etiam persuadeant, ut suae vitae rationes, consilia, gestaque chartae mandare velint. Tantum enim interest, cognoscere, *quo modo* quis ad aliquod magnitudinis fastigium se evexisset, quantum est jucundum, scire, *illum excelluisse.* Praeterea cuivis homini sacrum esse debet, rationes vitae reddere suae. Vitae autem hoc modo compositae tanquam flores haberi possent historiae popularis. Antiquitus hominis ingenui censebatur esse (cujus rei causa fuit major singulorum existimatio), si quis vir magnus suas ipse laudes praedicaret. Hodie Ciceronem etiam vituperandum censemus, quod idem, summo licet jure, faceret; tamque sumus lepidi, ut hoc unum ei vitio vertamus. Nemo, profecto, nunc se laudare audet, praeter eum, qui forte in scriptis diurnalibus suas res gestas (et a se judicatas) laude quadam efferat,

quin tamen profiteatur nomen suum; quae ibi certe nulla est modestia. Unde, non injuria, nemo jam id generis laudibus et judiciis ullam fidem habet. Quodsi vero magni viri vitas suas posteris velint a se scriptas relinquere; Plutarchum nancisceremur veteri illo longe praestantiorem, heroum nimirum, qui, cum ipsi se ad gloriam summam evexissent, quales fuerint, pariter docerent posteros. Est quidem suae vitae expositio negotium difficile: nam fidem non habebunt alii! Certe? Modo permittite, ut suam ipsi exprimant imaginem, ac, certo adfirmamus, vos aliis quoque daturos, ut credant illis. Cur vero nunc nemo se ipse laudat? Quia ut concessum sumi potest, alium, modo laude aliquis dignum se reddidisset, eum esse laudibus celebraturum. Pertinent enim benefactorum laudes non minus ad universos, quam merita benefacientium. Quis vero judicet? Quis laudibus ornet alterum? Nemo praeter laudandum virum; nemo praeter eum, qui laudando par, illum judicare rite possit; qui in Academia nostra, sine dubio, reperietur.

IV. Ut Communem *totius populi* Consensum parent. Quod fieri nequit, nisi primum creato inter clarissima ingenia consensu, quo illa se agnoscant et intelligant, inque munere sacro, propter omnium salutem suscipiendo, mutuam sibi opem ferant; ut una lex aequae Rationis regnet, quamlibet partium invidiam infringat et deleat. In quavis cujuslibet populi parte mentis quidam igniculi gliscere solent, saepe occulti; non raro optima quoque et maxime matura lucem non vident; sive quia ingenia illa non aluntur aut excitantur, interdum etiam supprimuntur; sive quoniam modesto quodam timore ducta, ne, male ab aliis intellecta, inique judicentur, occultari, quam prodire malunt. Saepissime instituta nobilissima pereunt seu omnino non fiunt; tum quia auctores eorum nulla adhortatione nullove consensu amico confirmantur, interdum livore etiam deterrentur; tum quia illi, quae volunt, clandestinis sodalitatibus se insinuantes, malis artibus efficere debent; a quibus quo quis est generosior, eo magis abhorret. Non rarius merita optimorum sua laude defraudantur, quia, qui bene meruit, ostia ambire insanorum *Protectorum* et omnia perreptare loca debet, beneficium mendicans, ut illi velint apertis oculis, quae bona sint, spectare; dum, qui speciosa merita prae se cum clamore ferant, quantumvis licet puniendi quam remunerandi sint, caput attollunt et honoribus ornantur. Praeterea totae quaedam unius populi provinciae *cultae* inveniuntur; aliae item, quae licet iisdem ingenii dotibus instructae, *incultae* manserunt et eapropter ab illis, scelesta quadam temeritate, barbarae dicuntur et habentur: unde odium et scissio oritur in eodem populo. Haec autem dissidia et illa barbaries vim iniquam exserit in omnes

pariter oeconomiae et vitae publicae partes, in quaevis munera, gravissima et levissima, civitatis. Quapropter cum civitati tum principi nihil eâ potest esse funestius, quum stolidi nunquam ipsi judicare soleant, sed plectantur, quidquid delirent seu praecipiant mali bonive.

Ubi bonum primas tenere nequit; ibi mala multa prorepunt, cum nemo est, qui ea impediat; quia qui in bonis rebus elaborant, sapientum consilio et plurimam partem subsidiis sunt destituti. Quae cum ita se habeant, his legibus cives Academici omnes teneantur oportet:

A. Quicunque magnum quoddam opus ordiatur, patriam propius adtinens, simulac adeo in eo faciendo sit progressus, ut totum ejus ambitum putare possit et judicare, quae ipsi desint subsidia; continuo Academiae nuntiet. Academicorum autem quisque, cui illa subsidia sive nota, sive ad manus sint, ea postulanti aperiat aut tradat: porro de singulis rebus, si quae ipsi in mentem venerint cogitationes singulares, cum eo communicet, ut egregium opus, complurium auxiliis in unum collatis, quodam modo perfectum fieri possit. Princeps tamen operis auctor teneatur, non solum ut auctorum nominibus, ubi in opere occasio se obtulerit, publice prolatis, gratias agat sed referat etiam: ut nemo meritis et honoribus defraudetur suis.

B. Nemo opus qualecunque publici juris faciat prius, quam aliquot Academiae civium peritiorum judicio submissum et ab iis fuerit probatum. Quae probatio complectatur et *Censuram* operis et virtutes ejus literarias. Caremus quidem hodie ludis Olympicis festisque et sacris conventibus populi universi, in quibus ingenii opera publice proferri, decantari seu praelegi possint: neque ut ea habeamus, fieri utique potest. Nostri enim populi et civitates non unâ amplius urbe continentur, seu unius stirpis hominibus consistunt. Doctrina quoque, quae in nostris operibus habitat inque iis inesse necessario debet, non ejusmodi est, ut a populi quadam multitudine, seu brevissimo quoque tempore, judicari possit; (nam ubi hoc idem in aliquot Academiis hodiernis fieri videmus, res ficta est et disputationi inaugurali, communi disputantium convento constitutae, non absimilis): sed hoc possumus, ut elaborata opera coryphaeis mittamus. Atque si fecerimus, neque Censurâ opus erit, neque leviora et inepta opera lucem videbunt, nec denique ea, quae ingenium populare contaminare possint. Attamen apud veteres quoque amicorum consessus videmus literarios, veras Academias, ad legenda opera et judicanda destinatas. Omnino hoc praecipuum vetustarum fuit scholarum

philosopharum negotium : atque poëtae, artifices, historici et philosophi inter se amica consuetudine fuere conjuncti; qua sola re mirabilem illam perfectionem operum et elegantiam cogitandi scribendique consecuti sunt. Cur itaque nunc, ubi omnia ad concordiam et unitatem tendunt, illi ipsimet auctores nostri a se velut hostes discedunt? Quia eorum tam multi, et ii per longinquas terras dispersi sunt; igitur communi centro carent. *Dic, ubi consistam!* ille jussit : *Dic, ubi conveniamus!* (nos interrogamus) et conveniemus omnes! Sed veteres Maecenatibus usi sunt, quibus nos indigemus; quia quemvis quisque Maecenatem creat et credit. Quapropter ejusmodi bonarum artium Maecenatem, universis gratum acceptumque, creemus, *Rempublicam Literatam, Antistite Apolline*, quae nihil largiatur praeter Honorem et Subsidia Literaria! Quod ceterum veteribus facere licuit, ut nimirum (teste Scholiasta ad Horat. Satyr. I. 10, 38, ad voc. *Tarpa*) poëtas juberent, qui, priusquam fabulam docerent, Romae, apud Aedem Apollinis Palatini, recitarent coram Criticis quinis, e quibus maxime adsiduus erat Sp. Met. Tarpa (nam ii fere, ait Scholiastes, qui scenas scribebant, ad Tarpam hunc, quasi *Emendatorem* eas afferebant); cur, inquam, nobis non idem liceret? Cur non imitaremur hunc morem pulcrum, vetustum, nunquam veteratum,. omnium rerum antiquarum imitatione dignissimam? Hoc enim non Censoris sit, non in clandestinae cujusdam disciplinae curia fiat; sed coram tribunali aequitatis, a judicibus paribus et sapientibus.

Per hanc rem naturali cogitationum nexu perducimur ad operum ingenii *Recensionem*, sive ad *Judices Literatos*. Vetus est et communis omnium verissimaque querela, Librorum Censuram, ut nunc factitetur, ineptam esse. Causae sunt quatuor maxime, quae eam apte constituendam et certae tutelae subjiciendam esse suadent; quam tutelam tamen exercere nemo potest praeter Academiam popularem :

I. Recensio inepta evadat *Judicium verum*, Censura fiat *Critica* librorum; quos igitur censeat e sententia penitiori, e statu et mente auctoris. Qui itaque in judicandis aliorum libris versatur, is animi dotibus et doctrinae copia auctori par sit; sin minus, taceat : alius judicabit et melior.

II. Quum Recensio judicium lectoris antecedat; igitur quodammodo constituat inque lectorem dominetur; qua re haud raro magnam in illum et iniquam adeo in auctorem vim exercet, et eapropter perniciosa evadit cum doctrinae ipsi, tum auctori et lectori : quum insuper Censor multam partem judicet, quin legerit judicandum librum; quum praeterea clientibus suis

et ministris concedat, ut se ipsi cum laude censeant, quin ea laude digni sint (vid. JEAN PAUL Aesteth. II. 157 sqq): quum ille edita opera non raro exactis tantum lustris et decenniis indicet; etiam nonnunquam censuras unico consilio consarcinet, ut deficienti meliori eas substituat ad implendas pagellas lacunosarum ephemeridum literariarum, sive etiam pretii honorarii ergo; igitur injuste agat in doctrinae sanctitatem, auctoris honorem, lectoris existimationem, rei tractandae dignitatem et judicii integritatem: quum hi Censores plurimam partem sint juvenes seu pueri etiam, nondum sumtâ virili togâ, omnino indocti, seu qui alii hoc agere cupiant —; ita, ut puer virum, stultus sapientem, quem nunquam intelligendo par erit, judicio aggrediatur suo: quum denique ejusmodi judicium tam sit diuturnum, quam charta, cui sit impressum, omnino nunquam delendum — qua re scelestissimae calumniae, quibus ingeniosissimi viri, et optimi magis etiam quam reliqui, adfici solent, quasi instituto publico ad posteros adeo transferuntur, quorum memoriâ isti ob hanc causam auctorem privant summaque saepe ingenia perdant nascentia: quum haec ita esse doleamus, sequitur: in sapientissimos unice convenire, ut justitiam administrent atque hanc furum vafrorum familiam flagro servili e doctorum civitate expellant. Nemo reprehendere potest praeter eum, qui pari sit ingenio; atque majus tantum ingenium virum magnum laudare debet. Cum omnino arrogantiae censeatur, si pusillus animus egregium virum laudat; scelestum etiam videtur, si quis puer sapientem reprehendere, judicare, nedum meliora edocere audet.

III. Nulla re magis noxia est Recensio scriptorum, quam occultatione Censoris (ut idem ille observat); non solum, quia cuivis inepto homini summos viros falsâ interpretatione invadere indignâque injuriâ impune laedere licet; sed quia haec nominis occultatio speciem prae se fert totius cujusdam tribunalis literati. Quum igitur institutum Censorium hoc modo evadat terribile quoddam judicii vemici, per tenebras agentis, genus, quod nec judices praestat, nec testes damnati, et de quo nihil compertum est praeter locum judicii; quod per ministros suos omnes terras et cuncta literatorum domicilia irretit, auctoresque sicariorum nube circumfundit, atque mystico tantum signo (e. g. α-β) relicto testatur, ministrum vemicum judicasse: in ipsos quoque Academicos judices hoc sanctum sit: *si quis anonymus judicassit, fraus auctoris esto!*

IV. Cum lector non inscriptionem tantum libri et merum alterius judi-

cium desideret; Censor id agito, ut priusquam judicium ferat suum, libri argumentum quamreligiosissime recenseat atque, cum docendum ipsi, neque damnandum sit, auctoris sententias adcurate exponat, illustret aut si cum illo dissenserit, sua argumenta naviter corroborata prodat. Libelli vero plane incomti ne per recensionem quidem vivere pergant; sed damnentur eo, ut praeter inscriptionem eorum nihil porro addatur.

Ceterum quum jam nemo fere amplius id generis Censoribus habeat fidem, luculentum est argumentum, quo probatur, hanc talem censuram a temporis ingenio nostri abhorrere melioraque desiderare. Sola igitur Academiae, qualem proposuimus, ope fieri posse videtur, ut Censura evadat *Critica;* haec autem *apta et vera*, si quidem Critici fuerint *Sapientes*, non pueri, judicesque *noti* et *integri*, non calumniatores nocturni et conviciatores. Quaeque nunc aperte fieri et volunt et debent; nunc (Herdero teste: Sophron p. 201 sq) *tempus est loquendi et scribendi*, *quo lingua est acutior ense*, *adeo*, *ut ensis ipse linguam praecidere non amplius queat.* (Quod ad veram Criticam adtinet, nobiscum consentit idem: Adrastea II. 229-236). — Hac re peracta, superest pars longe gravissima et quasi centrum orbis efficientiae Academiarum, quam inscripsimus:

§ XI. DE JUVENTUTIS INSTITUTIONE.

Pendet a Schola praesens civitatis et futuri temporis fortuna. Nemo juventute facilius in errorem inducitur: mali semina largam segetem proferunt, ut herba inutilis in optimo agro uberrime germinat: diuturnum vero utrumque est. Qui prava doctrina incastisque moribus semel est corruptus, ille et ipse emendari nequit, et sexcentos alios sua contagione adfectos perdit. Praeceptoribus et methodo, qua illi utuntur, similes evadunt discipuli illorumque rationes sequuntur in societate hominum, in muneribus publicis, in schola literarum et educatione populi versati. Mala eorum indoles communicatur cum omnibus Ordinibus, transit in negotia privata, dominatur in munera publica, perfundit mores et ingenium populare, vertitur in succum et sanguinem hominum et civium. E schola prodeunt cives et moderatores eorum, sacrorum ministri, doctores, judices et popularium jurium custodes. Gloria perpetua et dedecus sempiternum aeque pendet a schola. Unde facile intelligitur, quo consilio peregrini quidam τύραννοι juventutis informationem sibi unice retinere conentur. Princeps, qui eam aliâ auctoritate curandam linquit, sanctitatem suam, potestatem et vim et populum praesentem perdit atque futurum. Qui, privatus an magistratus, principem jure privare audet,

qualemcunque doctrinae partem (e. g. Theologiam) instituendi, criminis majestatis reus est. — In eam vero rem nunc inquirendum diligentius.

In juventute informanda primum spectatur *Ordo;* justaque ordinatio per gradus adscendens summae notae est : conscientia, quo modo ea, in quovis populo, cum principiorum ratione, tum eorum qui ea instituerint, progressa sit, non certe levioris momenti habetur. Qui enim *spernit antiqua;* is ea parum se novisse probat et praeterea in suspicionem temeritatis et ingratitudinis cadit. Qui in populum *nova introducit*, quin ea antiquioribus sint superstructa; is hunc populum corrumpit. Sive enim ille monstrum ex homine lymphaticum facit; sive eum proprietate populari privat, cum ei intrudit alienam. Qui solis vetustis methodis utitur, quin recentiora et meliora in auxilium adhibeat; ille populum in tenebrosam barbariem praeteritorum saeculorum reprimit, eumque usu progressuum mentis humanae destituit. Qui vero, educationem *approperans*, hac *festinatione* etiam *gloriatur;* et circulator ille et homo vilis est et populi pernicies, quia quod est maxime naturale, idem adversâ naturâ et cum quadam violentiâ efficere cupit. Quare educatio puerorum non est *singuli cujusdam*, sed *civitatis;* jus autem eam moderandi est jus majestatis; denique disciplina ejus sanctissimâ publicae securitatis curâ exercenda est.

Bonum in Scholis et Literarum Universitatibus non legibus quidem et statutis enucleatur, sed bonorum societate, consuetudine et disciplinâ; ex qua sola nascitur vitae efficacia : in ordine tantum vita cernitur; in vita tantum recta rerum ratio conspicua est; in progressione solâ mentis consilium adparet; in languore vecordia inest et mors : verum in societate sit concentus, in disciplinam potestas dominetur suprema. « Disciplina haec et concentus hominum ad unitatem (HERDERI sententiâ : Adrastea, II. p. 226) solum scholas publicas vitâ donare et efficacitatem earum servare queunt. Quodsi in utrosque potestas suprema dominatur nulla, sed illi, a civitate sejuncti, tanquam spontanea inveterataque cadavera considerantur; si in iis non docentur juvenes, quae ad civitatem et vitam adhibeantur; si scholae majores inferioresque non iisdem rationibus utuntur; si, qui ipsis praesunt, inopiâ laborant, contemtui sunt miseramque vitam trahunt (sive, si proprio arbitrio indulgentes, mercaturam literariam quandam suorum commodorum ergo factitant?); si denique malâ docendi methodo utuntur; si doctrina eorum et mores juventuti sunt vel perniciosi — quanta rerum perturbatio, quam foedum Chaos, quam immensa vorago! ».

Est in Scholis inviolabile et sanctum quiddam; quod igitur non cuivis temerario, tanquam res nullius, est relinquendum. Sunt Scholae Seminaria ingeniorum, humanitatis coloniae. Juventus igitur ejusque institutio omnibus sacra esse debet. Vaeh illi, qui parvulorum aures conscelerat; vaeh ei, qui mentem divinam in iis insitam impie spernit. Non minus sacra est Scientia, illa animorum nutrix; non minus sancti discipulorum Mores sunt (Herder. Sophron p. 255 sqq.) : quae igitur omnia ab ipsa civitate, a summoque civitatis moderatore religiose sunt ordinanda et custodienda. Si vero oratores audiuntur, in publicis scholarum spatiis dicentes : « Id esse agendum, ut juventutis informatio non in *monopolium* (scholas publicas illi volunt) degeneret: ergo cuilibet esse concedendum, scholam qualemcunque aperire » ; quid de hac re censebunt peritiores viri? Perinde illud verum esset, si artes ingenuae et liberales, quae ab humanitate nomen habent, literaeque elegantiores et philosophiae numen et illa denique aeterna castaque harum rerum et illorum oratorum judex, si Historia, inquam, ipsamet essent *pars quaedam mercaturae*. Qui igitur tam materialiter de his ingenii dotibus et fructibus loquitur, qui sapientiam adeo ab omnibus venalem haberi posse credit; — nae ille se hac sapientia, hac divinae particula aurae perfusum, hoc divino igne animatum dicat! Sumat igitur sibi mercatura, quae ipsius est, quae ex librorum impressione et venditione totaque materie et suppellectili, ad imprimendos necessariâ, in eam redundat, mercedem; ultra vero ne tendat mercator!

Magni momenti in puerorum educatione est fundamentum certum et apta methodi adumbratio. Verum quidquid fiat, idem ex ingenio temporis et *secundum* tempus agatur. Mutari quidem omnia debent; sed nunquam in pejus, nunquam invito tempore et populi ingenio et cultûs statu. Ut discipuli et praeceptores cum aetatis rationibus pari gressu progrediantur, summa sit Principis cura : nam quaevis tempore, semper mutato, mutantur ipsa. Institutum literarium, quod non tempus habet comitem, sed tardius sequitur, a tempore absorbetur, cum illud in hoc dominari, huic dux esse debeat. Atque haec tarditas omnium conversionum vera causa fuit. Sic Ecclesiae Reformationem non vidissemus, nisi ecclesia ipsa post institutam a Constantino staurolatriam et in ea innixam hierarchiam, ingenium aetatis etiam tum sprevisset, cum plerique insaniam illarum intellexerant. Conversio Americana locum non habuisset, si illarum rerum moderatores sibi habuissent persuasum, cultum hominem servum esse non amplius posse. Pariter res novae Gallorum (eorumque exemplum, tumultus Anglicani,) rerum ordinem nunquam

perturbassent, si nobiles et ecclesiastici ordinem civium, temporis progressibus excultum, aliqua existimatione dignum habuissent. Non magis Belgae, rem turbavissent, si intellexissent, non de religione evertenda, sed de excutiendo sacerdotali jugo, jam tempori opposito, actum fuisse. Non denique Batavorum motus historiam foedassent, si illis rerum capitibus fuisset cognitum et perspectum, Democratiam recentiori tempore cogitari nullam posse, eamque instaurare velle, insani esse. Sed tempus spretum terribilem de fanaticis vindictam sumit. Publica vero juventutis institutio ad hujus aetatis veram intelligentiam lente quidem, sed certo, perducere debet.

Haec institutio HOMINEM sibi habet subjectum, omnium animantium *sensibus plurimis praeditum* (ut ait ARISTOTELES De Part. Anim. II. 16), «quod solum est ex tot animantium generibus atque naturis particeps *Rationis* et *Cogitationis* (non solum *Memoriae*, quae est reliquis animalibus cum homine *communis*); quae cum *adolevit* atque *perfecta* est, nominatur rite *Sapientia* (teste CICERONE De Legg. I. 7)». Sed et *Linguâ* solus homo utitur, et *eâ* quidem quaevis gens *suâ*; quae est ingenii popularis ingenerata et intima expressio. Porro boni malique ac justi et injusti discrimen; studium quoque universalitatis, igitur perfectionis seu sapientiae, ipsi privum est. Hos igitur sensus *multos*, *omnesque* has vires et facultates ita in eo excolere debemus, ut concinant, i. e. totus homo, omni ex parte, efformandus est. Qui non adscendit, *a brutâ memoriâ* exordiens, ad *cogitationem* et *intelligentiam partium*, eo consilio, ut eas ad unitatem Rationis conjunctas adducat; praesertim qui Memoriam sigillatim et ultra, quam fas sit, excolendam sibi proponit; ille ex homine conformabit monstrum, nec homini, nec belluae simile, sed ex utroque confusum; versutum animal, quod satis se instructum sentit ad satiandam bestiam, *a qua possidetur*; parum ad perdomandam, ut illam possidere se posse confidat. Qui illam *Reminiscentiam* percolit solam; ille Helvetii mundum pravitatis sibi studiosae restituet, quae dentibus lacerat omnia nihilque sanctum esse putat praeter ipsam sese, unicum sanctum suum; materialismum ille efficiet, qui se in vita privata tanquam studium proprium, in civitate ut indifferentismum manifestat; fastum immensum, huic cultûs perversitati proprium, qui quaecunque non *sua* dicere potest, prosternit omnia. Hic igitur cum humanitati omnino, tum vero etiam tempori nostro adversabitur.

Exstitere tamen nuper admodum magni promissores, qui, sicut sua sapientia contenti alios omnes magistros et doctores contemtui habent atque

suas semper laudes ad ravim praedicant, ita etiam discipulos cum iisque totam praesentem et futuram juventutem, inflato ei immenso fastu, corrumpunt; quippe quibus persuadent, uno velut ictu, singulis mensibus, cum pulvisculo etiam posse exhauriri ad unum omnia. Tam etiam illi impudentes sunt, ut naturae aut ingenio, quod datum esse *idem omnibus* velut e tripode edicunt, nihil tribuant, pertinaci Voluntati, in Memoriae, nescio qua, facilitate innixae, omnia. Sic, ut sapientiae suae admiratores, quos jam pridem stupentes quovis medio et calcare pungunt et excitant, magis sibi convinciant; illi naturae esse gestiunt non discipuli aut ministri (haec enim in pusilli cujusdam Socratis animum convenire credunt), sed magistri ac dómini. Nihil autem esse vero sapientiae studio, nihil etiam vitae modestiae et usui oppositum magis et adversarium potest. Quam rem ita illi probant, illi, qui in discipulorum cerebella arcanam disciplinam suam, citra horum curam et operam et invitâ etiam pinguissimâque Minervâ, infundere pollicentur et docere se omnia posse omnes clamitant; ut magnifica ab arte sua (*universalem*, ut reliqui pharmacopolae, vocant) destituti — quam sortem pati solet quaevis circulatorum familia — nec discere ipsi, nec docere alios sapiant. Est tamen ipsis ad excusandum hoc vitium in promtu paradoxon: « Rudissimum quemque optimum esse ex methodo universali Eruditorem ». Praesertim autem hîc terrarum illa grassatur pestilentia, ubi quisque se proprio Marte, quae velit, docere posse firmissime asseverat. Sed hoc benignum numen a nostris finibus averruncabit.

« Nemo (Herderus ait: Adrastea II. p. 227) quae ipse velit, docendi potestatem habeat; sed eam quisque disciplinam tradat, quae ipsi sit a principe civitatis demandata; et illam quidem eo modo ex eaque methodo tractet, quae civitatis utilitati consulat. Principis majestas suprema est in sua terra doctrinae judex; *civitati* modo cives juventutem confidunt, non petulanti arbitrio praeceptorum *singulorum* aliquot dementium ». Doctrina docendique methodus ubique per totam civitatem sit eadem et secundum Patriae rationes et cultum Universum instituta. Sit quidem illa ab omni vi libera, ut tamen non desit principii illius observatio: « Totam pendere a civitatis moderatore, qui majoribus scholis libertatem quidem concedat maximam, verum qua illae utantur e principio tantum civitatis et intra legum terminos. » Quae vero docendi ratio publicam calamitatem efficit eorum, qui sunt et qui futuri sunt, ea scelus est et publicâ poenâ digna. Atque hoc loco, etiamsi non evocati, cujuslibet tamen boni civis est, sententiam dicere suam. Ipse autem, cum bonum mihi et malum sit cognitum, in ea conditione consti-

tutus, ut, quae ad juventutis informationem pertinent, ea ad me pertineant proprie; si bonum silentio praetermitterem et non reniterer malo, omnium hominum maxime ignavus et esse deberem et haberi, ne dicam, rite accenseri soçiis auctorum hujus in genus humanum et patriam nostram commissae offensionis. Quapropter de ea re paullo agam uberius.

Cum vitae consiliorum finis is sit, ut quam maxime possimus, perfecti fiamus et beati — quapropter (ut CICERO ait De Offic. I. 6), « omnes trahimur et ducimur ad cognitionis scientiae cupiditatem; in qua excellere pulcrum putamus; labi autem, errare, nescire, decipi, et malum et turpe ducimus » —; illud vero libero studio et cum civitate et humanitate congruo assequi conemur, neque tamen absque *Rationis cultu* consequi possimus: sequitur, ineptos praeceptores, qui hominum facultates non ex omni parte percolant, eos consilio proposito defraudare atque simul per quemvis discipulum, ita despoliatum atque neglectum, aliis hominibus hostem adversum ponere, qui illos in consilio proprio consequendo aeque impediat. Cum porro educatio universum populum amplectatur, cujus virtus primaria posita est in unitatis concentu; perversa methodus hanc unitatem solvit et perturbat, civitatemque scindit in partes sibi adversas; quoniam ea homines figurat, qui ad nullam rem boni esse videntur, quam ut in qualicunque sodalitate clandestinâ et a civitate sejunctâ (qua illorum inopia mirifice occultatur) inserviant iis, qui, illam regentes, istis abuti tanquam instrumentis et machinis cupiant. Cum praeterea doctrina quaeque in succum et sanguinem discentium convertatur; eadem, bona mala, transit ad posteros, in perpetuum, malumque insanabile facit. Accedit, ut eadem animos capiat *puerulorum*, qui, absque rationis usu, totos se magristro tradunt et quasi in eo tantum sunt et vivunt. Est enim tanta praeceptori apud discipulos juniores vis et auctoritas, ut, quae ab eo audiverint, ea in dubitationem adducere non audeant. Quodsi igitur ille cereum animum teneramque mentem mutilam reddit et deformem, seu conformet in simiam; simia adolescet quidem corpore et annis, sed perpetuo simiae indolem, mutilam, contortam, deformem ostendet. Atqui illa *Mèmoriae* informatio revera est simiarum fabrica, quae, ratione et cogitatione neglectâ, una ex parte hominem ad certum quoddam praesepe adstringit; altera vero simiam, currente rota exeuntem, cum solidiora capere nequeat, ad vanam speciem imitationemque ineptam adducit, praesertim procacem, superbum, novarumque rerum avidissimum reddit. « Sublatâ *cognitione* (CICERO scribit De Finib. I. 19) et *scientiâ*, tollitur omnis ratio et vitae degendae et rerum gerendarum ». E qua re consequitur: hanc ferream

catenam, qua ille homunculus alligatus teneatur, nullam aetatem frangere, nullum etiam praeceptorem inertes memoriae imagines vitâ donare et efficaces reddere posse.

Est autem princeps educationis argumentum hoc, ut *eruamus* et *formemus,* quae in animo disciPuli, quasi somno constricta, quiescunt. Nihil enim ingeri infundique in hominis ingenium posse, sed omnia ex illo apta institutione esse prolicienda, cum Socrate tota philosophia antiqua statuit. Hac sola ratione ad suam quisque perfectionem et facile et certo accedit. Qui vero non a teneris inde annis hanc *cogitandi* rationem in animo habet excitatam, sed potius animum ingeniumque incasto explevit fastu; ille frustra laborans nunquam quae ad se extrinsecus adjecta sint, intus prolicere tentabit; frustra insitas facultates, jam callo obductas inque ossa conversas, nunc demum excitabit. Si quae tamen intus latebant modestiae, veri et pulcri virtutumque omnium ac sapientiae semina, quoniam ad maturitatem pervenire nequeunt sine *intelligentia*, ea pigrabunt et emorientur. Quae vero extrinsecus *per memoriam solam* accedebant et per sensus *vitia*, ea, cum bello ornatu induta superbiae placent, facillime increscent pestiferosque ferent fructus, quibus, qui eos gustaverint, corrumpentur. Tam enim verum illud est : *Virtus rectorem ducemque desiderat; vitia sine magistro discuntur!*

Inesse in mente hominis omnis scientiae germina; neque methodo quadam seu memoriae instrumento in eam esse inserenda, jam in puerulis cernitur et omnibus cujusque sexus et aetatis hominibus, in quibus singularis quaedam mobilitas et curiositas rerum est conspicua. Sed *universales* nostri eam non vidisse manifestum est; ut (teste Cicerone de Fin. II. 13) « *Aristippus Cyrenaicique non viderunt, ut ad cursum equum, ad arandum bovem, ad indagandum canem, sic hominem ad duas res (ut ait Aristoteles) ad* INTELLIGENDUM *et ad* AGENDUM *esse natum, quasi mortalem deum. Inprimis* (idem perhibet De Offic. I. 4) hominis est propria veri *inquisitio.* Itaque cum sumus necessariis negotiis curisque vacui, *tum avemus aliquid videre, audire, addiscere : cognitionemque rerum aut occultarum aut admirabilium ad beate vivendum necessariam* ducimus ». Quae cum ita se habeant, semina, quae adsunt, *elicienda* et *enucleanda*, facultates naturales *excitandae*, *exercitandae* et *emendandae* sunt. Hoc magistri est; nihil ultra. Variae docendi materiae totidem sunt exercitationis areae, varii artis gymnasticae gradus. (Recte igitur ailâs scholae majores vocantur *Gymnasia;* male apud nos *Collegia.* Illic enim *exercitantur*, quae adsunt; hic *colliguntur*, quae, aliena,

in cerebrum ingeruntur). Sic fere Socrates egit. Ut *nihil* ipse *scivit* (i. e. sicut *sophista* non erat; sed id tantum scivit, se, quae *intus* essent, *cognovisse*), ita *nihil* etiam *docuit*. Mater et consuetudo primae hominis magistrae : qui vero magister illarum provinciam suscipere poterit? Sed imitari magnas magistras egregiasque sequi duces quisque magister debet; nemo aliquid infundere audeat! Notiones humanae in infante dormiunt embryonum instar, *nondum formatae*, *nondum explicatae*. Quare Socratem imitetur magister, cum *Statuarium* illum seu *Formatorem;* tum *obstetricio munere functum* seu *Enucleatorem idearum;* ut tamen hujusce partes primum administret. Ideas dormientes tamdiu colat necesse est, donec maturae sint; tum eas proliciat, tamquam μαιευτικός. In lucem enatas, sed deformes illas, usque ad eum finem dedolet, ut *statuarius*, dum, vanis et inutilibus ablatis, pulcra forma adpareat. Ut vero ad maturam naturam illae perducantur, magister Socraticus chymiae peritos imitetur, qui *diversa* corpora, licet ex arbitrio, nec tamen temere, sed pro eorum adfinitate et cognatione naturali conjungunt atque diligenter observant, quid inde producatur. Hoc tamdiu iterandum est, donec *cognitio* rerum, *veritas*, prodeat. Omnino institutor puero *dux* sit et *moderator*, non *dominus;* procedere eum sinat ipsummet, magistri exemplo; neque vero inscium et aquilinis alis impositum in fictitium praematurae sapientiae mundum temere conjiciat. Semen quidem mandet solo, verum praeparato et culto : semine, quantumvis licet exiguo, tota continetur arbor; quam deinceps lumen rationis eruit et alit. Hortulani est, aërem impertiri et aquam humo et juvenem arborem educere; non autem in pumilionem putare. Neque unquam is sibi persuadeat, se semina creare e nihilo posse, seu totam etiam conscientiae arborem in discipuli cerebellum inserere.

Nemo non videt, haec non *subito* fieri posse; sed *omnem cognitionem* (ut TULLII verbis utamur : Ac. Quaest. II. 3) *multis* esse *obstructam difficultatibus*. Quum tamen nostratium non pauci sint, qui repente disci omnia posse credant; hanc rem ulterius prosequi oportet. Atque ne in partium studii crimen incurramus, in iis, quae dicenda habeamus, summos tantum viros sequemur. Vir igitur *universalis* noster : « *Propere discendum ; omnia proclivia facienda juvenibus; praesertim tempori parcendum esse* » jubet. Audiamus primum de hac re *Ciceronem* illum, qui (De Offic. I. 6), vitiorum in veri cognitione vitandorum unum esse, ait, « *ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere adsentiamus. Quod vitium effugere qui volet* (omnes autem velle debent) *adhibebit ad considerandas res et* TEMPUS *et* DILIGENTIAM ». Al-

terum testem adhibeamus ingenuum, sapientem et humanissimum *Herderum*, qui (Sophron p. 15 sqq) haec perhibet:

I. « Lucem ordinemque, quibus aetas nostra utitur, ita extenuarunt, ut *omnia aeque lucida, aeque expedita captuque facilia, unâ omnibus promta et ad captum parata* esse contendant. (Ex qua re simul discimus, methodum *novam* illam jam *tum temporis* in mentem hominum fuisse grassatam). Quae methodus *interlucata* et *levis*, cum doctrinarum ipsarum naturae, tum mentis humanae indoli variisque animi facultatibus, denique ipsimet consilio et utilitati adversatur, quam ex addiscendis disciplinis capere debemus. Qui in aliquo scientiarum genere lucem se videre simulat, ubi nulla est lux; qui faciles esse doctrinas mentitur, quae faciles non sunt; *praestigiator ille, non magister est!* » Porro universalis ille cum quadam sapientiae specie haec vacua verba facit: *Tout est en tout et tout est dans Télémaque — ou dans un livre quelconque*. Ad quam sententiam falsissimam et fallacissimam cum eodem *Herdero* respondemus:

II. « Quaevis disciplinae *suam* methodum desiderant; qui vero unam in alteram transfert, non certe prudentius agit illo, qui per aërem natare, aquam arare et conserere velit. Fieri hac mala methodo negligenter omnia atque de superficie » (ut canis e Nilo: unde *caninam* doctrinam Creuzerus dicit: Epist. ad D. Wyttenb. in edit. *Plotini* p. XLIII), « eam ignominiosam esse dignitati hominis atque deducere in apertam voraginem, quisque videt. Quidquid hoc modo tam leviter expeditur, linguarum cognitio, Philosophia, Historia et quae sunt reliqua, id ipsummet *leve* evadit » atque disciplinae eum in modum fucatae coloratis meretricibus sunt similes, quarum foeda turpitudo quovis afflatu develatur atque ut scabies propagatur in amicos, misellos pueros; sicut pariter in ipsis adeo magistris, lenonibus, conspicitur. — Ut vero facile et repente hîc terrarum, quae ad Linguas pertinent et doctrinam, devorant omnia; non aliter ac amarum quendam succum medicatum; unde ea idem, quod medicamentum vomicum, efficiunt. Reapse discipulus *universalis* naturam monstrat *anatis illius mechanicae*, quae, artifice auctore, objecta grana avide absorbet, sed ingesta absque morâ ejaculat, i. e. *ex improviso perorat.* Sic illi ingerunt, quin digerant, ore edunt et ano statim, quia nec a priori, nec a posteriori quidquam tenere valent. Hi insani mensibus singulis discere instituunt (et ea re gloriantur), quod aliâs optimo ingenio praediti, cum summa adsiduitate, vix per totidem annos capiebant. Magno certe cum desiderio jam exspectamus illum thaumaturgum,

qui, adhibitâ machinâ literariâ vaporibus ferventium aquarum motâ, ita agat in fetum utero matris inclusum, ut deinceps obstetricio artifici nihil amplius relinquatur ad agendum, quam ut sapientem fetum adventantem quatruplici pileo Doctoris ornet. Jam pro Academicis et reliquis doctoribus eligendi erunt quatuor Facultatum buccinatores, qui quadratum Doctorem, in quo nihil amplius erit a Rectoribus regendum, quam pallium variegatum, in qualemcunque thronum moliantur; unde ille reliquos *ex improviso* regat, usque ad eum finem, dum, prae nimia sapientia, nemo amplius invenietur tam misellus, qui duci regique ab alio patiatur; sed stolidissimus quisque reliquos omnes, praeter ipsum sese, gubernare audebit. Certum enim est, stupidum jam neminem inveniri posse, *praeter institutionis universalis magistros*, quos, ut reapse sciunt nihil, nihil quicquam scire debere manifestum est.

Absit tamen hic a nostra patria furor! Enitendum enim est studiosis juvenibus, ut literarum et pulcri studio ducti non solum turpem desidiam fugiant ut gravissimum malum; sed ut studeant Pudori illi et Modestiae, jam antiquitus divinis honoribus cultae. Sic tantum optimi erunt cives, legum vindices, bonarum artium doctores, divinorum praeceptorum interpretes, patriae defensores, gentis totius decora! — Ut autem ille in exercenda memoria ponit omnia; ita inprimis omnem *Grammaticam* horret, atque ediscendis ad verbum quamplurimis vocabulis et elocutionibus *linguam* se docere posse confidit. Quapropter hujus quoque causae patronum advocemus *Herderum* nostrum, qui haec statuit:

III. « Ad unam certe Grammaticam informandus est homo. Grammatica enim est philosophia linguae : lingua vero omnes notiones humanas complectitur. Quo igitur perfectior et limatior fuerit lingua, ad cujus Grammaticam ille erudiatur, i. e. Logicam et Philosophiam rationis humanae discat; eo melius eam percipiet atque in Grammatica sua exemplum habebit ordinis, subtilitatis et claritatis cogitationum et idearum, quae omnium disciplinarum, linguarum reliquarum et artium nutrices haberi et rectrices possunt. Homo nullâ Grammaticâ institutus, quantumlibet vixerit, nec dicere nec scribere adcurate certeque discet; per immensa errabundus duce carebit in amplissimo intricatissimoque linguarum vocumque labyrintho. Terribilem de contemtoribus suis Grammatica vindictam sumit » — atque ubi *philosophi* non eâ magistrâ fiunt, *sophistae* nascuntur pravissimi, ut quotidianâ experientiâ docemur : sed sophistae, qui in sapientiae laudatae suae incude ne sophisma quidem fabricari queunt; quod non minus videmus. « Om-

nino sine Grammatica verba discunt absque sensu, i. e. locutuleji evadunt et psittaci », homines somniculosi, qui, lucidas mentis vires sumto opio infectas inebriantes, subito flaccescunt et emoriuntur. « Hoc modo magister *scurra* est et discipulum facit dementem ». Nihilo tamen secius utrique sui admirationem injiciunt *missis novae methodi inquisitoribus infatuatis*, ad quos illi thura ferunt adulationis; quos cantilenis quibusque gratissimis colunt, titillant et pelliciunt. Interea alii docent, *quae nesciunt;* discipuli autem *discunt*, quae sciunt magistri. Qua re alia quoque sententia viri bene habet : *Tout le monde a une intelligence égale !* quam quidem aequalitatem hujus principii asseclae atque amici maximopere confirmant. « Non minus Grammatica poenas repetit ab iis, qui eam *leviter* tractant; et eodem modo omnes artes et disciplinae jus violatum suum exsequuntur ab iis, qui eas levissimâ quavis operâ captitari rentur ». *Non ita generati sumus a natura*, ait *Cicero* (De Offic. I. 29), *ut ad ludum et jocum facti esse videamur; sed ad severitatem potius et ad quaedam studia graviora et majora.* « *Discendo, graviter discendo, laboriose et penitus perquirendo exercitamur* atque ad severiora, plura et majora capessenda corroboramur et allicimur. Homo autem, cui scientia non *captu*, sed *ad captum* adparatur, nunquam sana mente, nunquam solidis viribus utetur ! » Sic *Herderus* ille.

Ego vero, septuenni experientiâ confirmatus, coram universis et pro officii mei ratione firmissime adsevero, magnum virum vera dixisse. Constat namque apud omnes, juvenes e caldario *universali* in tepidarium *Academicum* transmissos, cogitandi acumine et rationis intelligentia fere esse destitutos : nunquam eos, cum in philosophis scholis versarentur, ad aliquam rem capiendam fuisse aptos : ubi vero majoribus studiis valedicerent, plane corneos fuisse : esse illos et manere miseros et facturos esse homines miserrimos, aliquando hanc methodum et hos magistros abominaturos.

Illam igitur teneatis, juvenes, veterem sententiam : *Non scholae, sed vitae discimus !* Non ut discatis seu sciatis etiam, discendum est; sed ut, quae sciatis, sensu et facto in ipsam vitam inducatis. Quae quis memoriter didicerit, ea sive obliviscetur, sive, quod est etiam turpius, iis gloriabitur. Sic vitae arbor nunquam adolescet, non fructus feret, sed steriles pallidosque flores. Illam audiatis, praeceptores, sententiam alteram : *Non disseminanda* sunt disciplinarum semina, sed illaemet (non certe memoriae mandandae, verum) menti inprimendae; ut rationi suppeditetur, unde vivat. Diligenter et perpetuâ exercitatione disci, non adflari res debent : has enim primus quisque

ventus auferre solet. Praestat exercitatio doctrinam : illâ *evolvuntur* facultates animi ; haec quasi exterius eas adpingit atque in homine efficit horrificam imaginem illam Horatianam.

Sed haec fieri nequeunt citra ordinem certum et bonam methodum; citra probatas regulas ac disciplinam sapienter institutam firmiterque retentam. Institutio illa *universalis* methodo *omni* caret atque brutorum ritu circumerrat : multo minus ea *nova* est ; sed inveteratissima et ineptissima omnium. Quis vero est, qui hominem velit cogere, ut, quasi in pistrinum actus, inveterata et pessima sequatur, ubi novissima quaeque prostant et omnium temporum experientiâ et prudentiâ aptissime elaborata ? *Unum* hominem quisque erudiat uti possit seu velit ; *plures* non nisi certo ordine et bonâ methodo informandi sunt. Quodsi non per eam oriatur *cultus verus ;* certe cultus exsistet *perversus*, malum semen menti pestiferum. Atque sic parentes quoque compellere debemus eosque facere certiores, sese pueros suos in scholas mittere pumilionum, in qua mutilentur, non educentur. Tu quoque haec audi, Regia Majestas ! Tibi enim civium tuorum, eorumque adeo juvenum, cura demandata est. Officium est sacrum, dissipandi ejusmodi magistros, tollendi has scholas umbraticas. Tibi manifestum est, quid moliantur, quid audeant, vel invitis methodi auctoribus, ventosorum illae, amentium et animi bonitate destitutorum familiae sophistarum. Non nescis, quas illi partes debeant amplecti, cum patria, in summo discrimine versata, prudentes cultosque cives vocet in auxilium. Judicium de hoc histrionum genere magnus ille edicit *Melanchthon*, qui, « Pessime, ait, de pueris merentur praeceptores, qui aut regulas nullas tradunt, aut certe statim abjiciunt et magnifice promittunt fore, ut usu loquendi discantur constructiones. *Quare* PUBLICE *debebant in tales praeceptores* POENAE CONSTITUI, *qui praecepta fastidiunt.* Omnino enim danda est opera, ut tam diu in arte detineantur adolescentes, donec perfecti Grammatici, donec Architecti sermonis et absoluti artifices evaserint ! »

Ex iis, quae adhuc a nobis disputata sunt, sequitur : Paedagogo in progenerandis potissimum notionibus, eruendis cogitationibus et explicandis animi facultatibus esse elaborandum ; ut imperfecta quaevis, excitatis omnibus viribus, perpoliantur et emendentur ; ut vita nasci possit aequa lance conveniens omnibus, qui ad eandem civitatem pertineant : ut vero etiam civitas non solum ipsa fiat perfectior, sed cives quoque nanciscatur eodem omnes animo praeditos ; qui, uti sint ad naturae concentum informati, ita cum universo etiam genere consentiant, quin, quae singulo populo

sint priva, negligant. Hoc sensu homo *civis*, hic vero *pars Universi* fiat, non alio. Hoc solum aequilibrio perfecta educatio continetur; hos cives esse suos Pythagoras voluit. Sic homo, e Christi etiam sententia, perfectus et Deo similis evadere potest. Sin autem secus colitur et ex unâ tantum parte, similis evadit malis daemonibus, pestis popularium, arrogans et superciliosus scurra. Ut igitur bonum illud ad exitum perducatur, civitas rationem ineat. Civitas vero ex Principe et populo constat, ita copulato connexoque, ut alius ab altero separari nequeat. Princeps populi vis est et voluntas; atque nexûs illius consilium id est, ut uterque studio intus libero, exterius independente, beatitatem, i. e. auxilio scientiae consequatur *sapientiam*. Quum scientia ad omnes pertineat, sicut beatitas; princeps solus est, cujus auctoritate, i. e. *majestate*, educatio civium fieri debet: quae igitur non cuivis, qui eâ, suorum commodorum ergo, potiri cupiat, est relinquenda. Cum tyrannus cives incultos esse cupit, ut ne animus in iis erectior exsistat (Aristot. Polit. V. 9); bonus quoque princeps singulis concedere nequit, ut illi malâ methodo per incultosque praeceptores illam mentis servitutem parent; sed velle debet, ut voluntati suae obtemperent universi, cum cultum ipse ubique congruum et bonam juventutis educationem et veram esse cupit. Velle igitur media quoque debet ad hoc consilium obtinendum necessaria —; ergo *Scholas, auctoritate constitutas* et ejusmodi *publicae disciplinae subjectas*, ut non, quo modo velint ipsae, sed ut tempus suadeat et civitas jubeat, agere debeant. Ejusmodi scholae exsistere nequeunt, nisi fuerint magistri in *Scholis majoribus* eruditi; quae pariter illi disciplinae sint obnoxiae. E qua re patet: primum, non *posse* aliquem esse magistrum, nisi idem sit secundum legem civitatis informatus: deinde, neminem magistrum esse *debere*, nisi eundem princeps *in schola publica*, disciplinae subjectâ, collocaverit (cfr. Aristot. Polit. VIII. 1). Unde consequitur: gravissimum esse Principis officium, ut *omnes scholas privatas et umbraticas* et reliqua id genus instituta, *gravi lege*, sed eâ religiose tenendâ, *tollat*. Praesertim scholae, quae pro mercede annua juventutem alendam et instituendam recipiunt (les Pensionnats) perniciosae sunt, cum literarum studiis, tum moribus, tum vero etiam propterea, quod, cum liberos a parentibus sejungant, familiarum quoddam frigus pariunt, civitati ipsimet noxium; denique, quia hac re pueri aureâ infantiae aetate privantur, cujus praeteritis illecebris aetas adeo virilis mirifice exhilarari solet. De umbraticis vero scholis — eas civitates pro cultissimis rite haberi, in quibus illae nullo pacto tolerentur, utique constat.

Quod adtinet ad praestantiam, quae *publicis* scholis prae privatis debetur; neminem sanum de ea dubitare credimus; siquidem publicae scholae ita sint institutae, ut debeant. Hoc quoque loco, eandem ob causam, *Herderi* audiamus et querelas et sententias (Sophron p. 101). « Bonum *publicum* praestat privatum bonum. Verum ad scholam publicam bene adornandam multa requiruntur et plura etiam, quam praestari in nostris civitatibus *solent* et, quamdiu praejudicatae opiniones et barbaries dominabuntur, praestari *queunt*. Ut igitur schola publica vera exsistat et perfecta, eadem sit oportet *civitatis* (non *oppidi* cujusdam) schola : ut princeps in eam, tanquam praecipuum civitatis institutum, advertat animum. Magistri non solum nutriendi, sed etiam, pro Ordinis sui dignitate, honorandi (non igitur ab administratoribus civilibus cruciandi?) sunt. Praeter bonam, adcommodatam et gradatim ad superiora adscendentem doctrinam, bonis moribus eximia cura habenda est; ut puer non eo evadat agrestior, quo magis discendo progrediatur. His conditionibus schola erit templum scientiae et probae educationis sacrarium. Quibus tamen satisfieri nequit, si classium frequentia sit justo major; magistrorum numerus nimis exiguus; non magis, si juvenes penitus neglecti admisceantur provectioribus; non etiam, si quisque, pro arbitrio, in majorem classem se intrudere possit (sive, quod pejus est, si cuivis, elapso biennio, quo, machinae instar, per malam methodum de superficie informatus sit, ad literarum Universitates advolare liceat); minime, si magistri, diligentiâ suâ in pauciores aliquot adhibitâ, reliquos linquant, sive in unam doctrinae partem unice adtendant (e. g. in Latinam linguam), reliquas inhonesto nomine παρέργων notantes : non etiam, si disciputli e classe minori in majorem, instituto de unâ tantum disciplinâ examine, tranferantur (seu in publica probatione, qui velint modo, adpareant); nec denique, si puer magni ingenii, sed pravae indolis, bene moratis anteferatur ». Haec vero omnia, praeprimis salaria magistrorum, eorumque multiplicatio et existimatio oriri nequeunt, i. e. nihil omnino fieri potest, si schola non ab ipsa civitate, sine medio, et pariter magistri ejus pendeant; sed praeterea magistratibus oppidanis et provincialibus sint subjecti. Praeprimis *auctoritas* publica magnam scholis publicis praestantiam adfert. Institutor enim *privatus peregrino* aeque putandus, qui suam tantum utilitatem quaerens, non potest, nec velle potest adpetitus et studia juvenum coërcere atque ad concentum mutuum perducere; verum cujusvis cupiditatibus indulgebit, nisi etiam eas corrumpat magis et augeat propter sua emolumenta, quae pendent a quovis ejus discipulo (cfr. ARISTOT. Polit. II. 2). Quodsi igitur Princeps sapiens non permittit, ut ju-

ventus sua apud peregrinos erudiatur, ne ipsamet patriae suae evadat peregrina ab eaque abalienetur : quo pacto eam magistro privato, non minus peregrino, permittet? Denique detrahitur etiam de auctoritate principis, si juxta publicas scholarum privatarum nubes exsurgit. Hae enim palam ferunt sententiam : sive publicas scholas esse *inutiles* (16), sive principem parvi pendere juventutis institutionem.

Quodsi autem princeps, *legibus* latis, *res* custodit singulorum; si *justitiam* administrandam tradit judicibus *auctoritate institutis;* si quae ad *tranquillitatem* et *securitatem publicam* spectant, et sexcentas res minoris momenti alias; si *militum* adeo suorum exercitationem non cuivis confidit : num ille *puerorum institutionem*, quae est humanarum rerum sanctissima, *singulis* quibusvis hominibus committet? Porro si civitas publicas scholas et habet et tuetur; potestne ipsis ex adverso positas tolerare inimicas invidiosasque aemulas, quibus nihil magis cordi esse potest, quam, quocunque modo possint, illarum auctoritatem, potestatem et prosperitatem infringere orbemque efficientiae imminuere? Quum vero, qui educatione nunc indigent, iis aliquando jus sit futurum sive civitatis regundae, seu juris dicundi, sanitatem corporis et salutem animarum curandi, seu futuros adeo cives docendi; cum haec non nisi ea conditione efficere queant, ut a pueris ad virilem aetatem, ab infimo ad summa perculti, illis muneribus obeundis sint idonei facti : quo pacto civitas se ipsa mediis privare potest, quibus de his omnibus se reddat certiorem? Quo denique modo doctores Academici, quibus jurejurando impositum est, ut coram suâ ipsorum conscientiâ et coram principe et patriâ illam juventutis perfectionem, seu saltem necessarium cultum praestent, hoc in se possunt recipere; cum discipuli non ex iisdem plane legibus, a studiorum suorum initiis usque ad Academicam institutionem, fuerint informati?

Cum praeterea, quae est vetustissima et verissima sententia, *Morum cultus* mentis acumini praecedat oportet idque simul comitetur perpetuo; quomodo princeps se de illo cultu persuadebit, quamdiu fuerint privatae scholae, in quibus *Memoriae quaedam exercitatio futilis* eo consilio adhibetur in discipulum, ut possit quemvis, excitatâ verborum nebulâ, de eruditione sua fallere? Quo modo in institutis privatis morum cura esse potest, cum mater moralitatis, divina illa *Modestia*, igitur reliquae etiam ejus filiae, *Pudicitia*, *Obedientia*, *Disciplina* ab iis absint? Qua ratione institutor privatus, si *solus* fuerit, omnes doctrinae praescriptae partes et *ipse sciat* et *alios docere* queat,

seu *volet etiam* : et hoc quidem *certis principiis*, *bona methoao*, *secundum libros optimos*, quos ne ipse quidem nosse potest? Si vero ipsi fuerint in auxilium assumti praeceptores; quo pacto privatus *doctos* alere magistros poterit, quos ne majora quidem oppida satis honeste solvere queunt? Qui igitur fructus e conquisitâ praeceptorum familiâ capessendus, quae insuper arbitrio et stomacho morosi institutoris subjecta, rem malam pro malo salario vendit, auctoritate in discipulos nullâ, ac ipsamet immunis sit a disciplina cum morali, tum literaria civitatis? (Vid. ARISTOT. Oecon. I. 5). Quum praeterea *concentus* in docendo primum requiratur; quo forte miraculo hic habitabit in animis ejusmodi praeceptorum, et in spatiis disjectarum scholarum clandestinarum?

Has quaestiones et querelas fundamento non carere, experientia maxime communis eum docet, cujus vitae consilium et unicum negotium est juventutis informatio. Jam vero nova oboritur quaestio : Quis sit harum rerum judex? « Princeps (sunt verba HERDERI : Adrastea II. 227) non solus literatarum institutionum se judicem sistat » (ad eum enim *totum* pertinet; non pars aliqua : *Ministri* judices esse *nequeunt*; penes eos enim est *rei administratio*); « quapropter sumat sibi *Tribunal Prudentum*, qui eam rem judicent. Omnia namque menda, errores, offendicula quaevis institutorum literariorum; malorum magistrorum electio; mala ineptorum discipulorum informatio; foedae doctorum suorum altercationes » (foediores etiam cruciatus doctorum et malignae calumniae), « pravi juventutis mores, ultimo loco, cadunt in principem ad eumque referuntur ». Neque Curatores Inspectoresque Universitatum literariarum, neque Administratorum collegia Gymnasiorum, nec denique indocti Commissarii (quos vocant) his rebus idonei sunt. Ubi vero hi viri, a re plane alieni, se immiscent; ubique exsistit molestia et summa calamitas et injuria in doctores exercita; ubique usitatae sunt machinae, vexationes, invidia, adulatio injustaque patrocinia. Quam ob rem id agant cultissimi solum electissimique totius populi viri, qui cum amore et aequitate, absque studio malo, tum eximiâ rei cognitione et intelligentiâ rationum civitatis, temporis, doctorum et discipulorum sint instructi; faciat igitur *Academia* nostra.

Haec cuncta, a nobis adhuc relata, orbem efficientiae Academiarum constituant et praeterea (ut hanc disputationem cum HERDERO nostro finiamus : cfr. ejus : Idee zum ersten patriot. Instit. für den AllgemeinGeist Deutschl.) « Omnia, quae ad *vivam philosophiam* cultûs popularis et beatitatis pertinere

videntur : quaevis lucidior veritas noxias opiniones praejudicatas tollens seu imminuens; quaevis experientia vera; quaevis propositio nobilior ad meliorem conformationem principum, nobilium, militum, civium et agrestium tendens; quaevis formulae commodiores et meliores, in quibuslibet institutionibus publicis, in justitia administranda, in diversorum civitatis unius ordinum communione et consensu efficiendo, in rebus ad ecclesiam et scholam, ad oeconomiam publicam prudenter ordinandam, ad civilem sapientiam humanius excolendam pertinentibus, adhibendae. Consilium ejusmodi Academiae est pura et ab omni partium studio libera veritas : vinculum, quo socii ejus conjungantur, est commune omnibus bonum, mutua existimatio, egregia aliorum tolerantia et vitae lenitas ». Sic in quavis civitate leges colentur, magistratus observabuntur, justitia omnibus sanctissime administrabitur, mores ad elegantiam exculti et expoliti spectabuntur, et dominabitur mediocritas illa, in qua Peripateticorum sapientia virtutis solium collocavit !

§ XII. DE ACADEMIARUM ORDINATIONE.

Primum quaeritur : Quot *sint in quovis populo Academiae ?* Responsum dubium esse nequit : *In* singulis *populis* Academiae singulae *sunto !* Sed hae universum orbem, adhuc descriptum, amplectantur. Academia enim, nostro sensu, medium esse et quasi punctum gravitationis debet *concentûs popularis*, quo optimi quique ad commune civitatis commodum efficiendum colligentur. Deinde quaeritur : *Quis in hanc Academiam recipiatur ?* In qua re primum distinguendum est inter Socios et Cives *Academicos*. Nemo, modo is ad populum, seu naturâ seu lege pertineat, ab ea arceri debet, si ceterum fuerit eruditus. *Socii alienigenae* ne cogitari quidem possunt : *nexum* enim diversarum Academiarum non Hospites illi, sed *Reipublicae Literatae* Cives tuebuntur. *Socii honorarii* omnes omnino sunt : qui vero hoc *nomine* eapropter insigniantur, quia in Academiae spatiis *otientur*, non solum inutiles sunt; verum etiam non majoris notae, quam ii, qui, *Ordinarii adpellati*, nihil agant. — Vitae morumque integritas, ab omni contumelia immunis, atque strennua vitae officiorum administratio non sola quidem iter aperiet ad Academiam; sed citra utrumque nemo in eam recipi potest. Ii autem, qui, minus docti licet, in eo versantur, ut laborum industriâ sibi viam muniant, qua aliquando, cum honore, in Republica Literata cives evadant, — si non solum ita sint ad rem parati, ut doctrinarum materiam, praesertim Philologicam et Historicam cognitionem ampliorem teneant, eaque re idonei

facti sint ad ingenium scientiae cognoscendum et capiendum; si in cogitando et scribendo exercitati, praeteritorum quoque temporum indolem capessere et aliorum cogitata intelligere non nequeant : verum etiam scientiae totius sensu perfusi, eum in vitam et patriam traducere, inque ea occultum reperire ac denique aetatis nostrae rationes et adparitiones perspicere possint —; hi omnes Socii *Academici* erunt.

Civitate vero *Academica* ii donentur soli, qui vitam experientia edoctam exseruerint; tanquam *scriptorum auctores* de patria bene meruerint; sive ut *doctores altiorum ordinum* futuris temporibus insigniter prospexerint. Omnino, qui omnibus literarum generibus subacta habuerint ingenia, Cives erunt *Academici*, ut vitam reliquam honestis otiis, tanquam sapientes patriae moderatores, feliciter transigant. Quibus addendi sunt, qui in scholis patriis altioribus, tunc quoque, re et nomine et munere sint Magistri seu Professores. Illi enim Auctores Doctoresque *Emeriti*, deficiente corporis vigore, mentis acumine sensim paullatimque hebetato, fieri posset, ut torpescerent, non nisi antiqua laudarent — quoniam viribus carerent, ad temporis rationes rapidissimosque progressus sequendos necessariis — nisi alteri, Professores nempe scholarum maximarum, recentem scientiae vitam, vegetam vividamque in illis retinerent. Qua simul re hi quoque mutuam in gratiam non carebunt vero aequoque moderamine, quod esse solet senibus expertis et rude donatis proprium. Praeprimis haec aequalium seu majorum moderamina in Literarum Universitatibus salutaria, ne dicam necessaria, sunt. In earum enim spatiis futuri doctores ipsimet docentur; ex iis cum civitatis moderator et religionis minister, tum populi dux et princeps prodit. Professores scholarum majorum multo graviorem vim exercent in civitatem, multo penitius se insinuant in viscera quasi et venas populi, quam sexcenti Auctores; qui praeterea, ab illis ipsismet eruditi, *ex ipsorum sententia* scribere solent. Schola Academica seminarium est, e quo emittuntur multorum saeculorum satores; atque ejus alumni sunt flores ingeniorum juventutis lectissimae; qui denuo, in infinitum, nova suae speciei spargunt semina, totamque posteritatem ideis foecundant (ait Richterus ille). Haec ingenia omnia in illo seminario vitâ donantur, in lucemque enata vitam motumque excitant perpetuo.

His vero ingeniis impedimenta nulla struat civitas, ne florum subtilissimum pulverem et ipsa florum filamenta rudi manu extergat, tenerrimaque divinae mentis organa perturbet. Propter eam causam majores nostri sa-

pienti consilio scholis Academicis magnam in docendo libertatem impertiverunt; quia rerum cognitio non nisi in purissimo libertatis aethere maturescere potest. « Hic igitur (ex sententia *Richteri*) nobilem flammam exardescere sinatis, neque vereamini incendia : potius superfluas juventutis vires absumet hic sacer ignis, relinquet tantum salutaris vitae caloris, quantum fuerit necesse ad frigidiorem vitam communem et negotiis publicis injucundisque plenam exhilarandam; ut civitatis vigor nec mentis aut morum, neque religionis aut sapientiae civilis frigore torpeat. Actum erat (nuper) de Germanis, si hic ignis gliscere desiisset, aut a communi gentium domitore penitus deleri potuisset. » Sunt enim nonnullae Germanicae nationis civitates, major una, minores aliquot, in quibus omnes Musae quasi domesticae esse videntur; quae ex his perpetuis domiciliis suis et fanis in summo civitatum discrimine, et armorum strepitu circumfusae, non solum non aufugerunt; verum hostes ab iis longe propulsarunt totamque publicam pestem a caris cultoribus suis averruncaverunt. Nec tamen minus ibi necessarium duxerunt, magna cum severitate non studiosos tantum, sed etiam professores observare; neque hoc absque jure quodam. Doctores quidem egregii et beatâ ingenii ubertate instructi nunquam peccabunt, nunquam noxii erunt consulto. Formae, quibus se patefaciunt, caducae; mentis bonitas diuturna est. Sed ingeniorum media (denuo *Richteri* sententiam amplectamur), a quibus doctrinae eorum radii excipiantur, quo magis sint jejuna et inepta, eo minus doctrinam percipient totam, atque parvula ingenia ab iis non raro in errores inducuntur; quia ipsamet ad errandum magis, quam ad intelligendum prona sunt. Quum igitur in his rebus, cum summa licet libertate, tamen quaedam ingeniis frena injicienda sint; quaestio oritur : *Cuinam iis utendi potestas sit concedenda ?*

Ad quam rem verbo respondemus : Magistratibus *Academiarum !* Hi vero sint electi totius nationis, per omnes scientiae, artium disciplinarumque partes coryphaei, collegium Magistrorum, fructuum literaturae popularis custodes, studiorumque moderatores et duces, orbis literarii cardines, proprietatum popularium earumque cultûs curatores : qui, viribus et opibus adhibitis omnibus, id unice agant, ut singulas partes doctrinae universae, in quas unito labore, gratissimo otio perfruentes, inquirant, eruant, depromant, elaborent cum aliisque communicent, ac materiam et expositionem, cogitationem et exemplar impertiantur vel doctioribus. His viris praeterea cordi sit, ut amicitiarum nexum inter eruditos populares reddant interiorem; ut varios ramos scientiae ad unam arborem connectant; disci-

pulos cum magistris, indoctos cum eruditioribus, populum cum Academia; hanc vero cum Republica Literata conjungant. Porro iidem sint in suo populo judices, scriptionum Censores et Critici; qui tribunal aequitatis constituant in doctores, Ephori totius patriae, totius populi mentem repraesentantes; summum quoddam collegium, cujus socii, per reliquam societatem dispersi, vitam impertiant universis; cum quibus sint unico studiorum humanitatis vinculo copulati.

Cum autem in scientia involucris sit rei civilis prudentia, sacrorum cultus et ars tota; sequitur : eos tantum, quos scientia ipsosmet illustraverit, solos esse, qui veritatem et errores, virtutes et menda illarum judicare possint et censere. Puditum foret, si quis aliquem vellet impedire, quominus de ecclesia et civitate philosopharetur. Nam sive, quae ille eruerit, bona tantum erunt; in quo casu eo magis ea in lucem depromenda sunt et eo latius pervulganda, totique populo ad imitandum proponenda : sive etiam menda et vitia inveniet; quo rei intuitu ipsa vitiorum observatio erit salutaris; quae etiam erit utilior additâ medicinâ. Omnino anquisitio cuivis errori et fallaciae, quae sola esse potest perniciosa, occurrit. Ceterum hae veri indagationes a ratione tantum scientiae, igitur in universum instituendae sunt; non in res aut homines singulos, Reprehendant igitur, quin reprehensione dignum adpellent; qua sola ratione, quae debent, praestabunt : docebunt et notabunt eodem fere modo, quo Historia ipsamet utrumque exsequitur, quin eapropter studio seu invidia trahatur. Haec igitur illi curent et agant et id praeterea, ut feliciter instituta universalitas popularis et temperata libertas philosopha, quaquaversus patens, nunquam iniquis circumscribatur terminis, sive absque duce et regula nimis evagetur.

Magistratus Academiarum proprie sunt et optimo jure Reipublicae Literatae cives. Ceterum civis Academicus aliquis evadit libera electione reliquorum; in qua re valent suffragia majora. Tituli vero et jura civitatis ambiendae a magistratibus ad obrussam exigenda sunt. Honoris collatio est penes Principem civitatis : quae si facta fuerit, Reipublicae Literatae Praesuli nuntianda atque diploma ab ipso impetrandum est. Electus elapso anni spatio, e quo die Diploma ipsi fuerit transmissum, *Dissertationem Inauguralem*, patriâ linguâ et de re patriâ conscriptam, ad magistratum Academiae majorem mittat, atque deinceps, exacto quovis lustro, novam eodem modo elaboret.

Academia ipsa, quotannis, de rebus suis rationem reddat. Quod edendis

propriis scriptis faciendum est, quae inscribantur: ANNALES ACADEMIAE . . . , quibus, tanquam continuis diurnis, Acta humanitatis et sapientiae nationis contineantur. Index eorum, quae in Annalibus conscribantur, hic:

I. *Chronicon Academiae*. II. *Scripta Inauguralia*. III. *Vitae doctorum patriae defunctorum*. IV. *Censurae operum a scriptoribus patriae editorum*. V. *Nuntii inventorum novorum ad commune patriae commodum factorum; institutorum popularium, in omnibus studii humani et scientiae partibus creatorum; denique rerum rariorum, ex aliis terris longinquis advectarum enarratio et descriptio*.

Sicut in quovis populo *Academia una;* ita pariter his *unicè* Annalibus profectus literarii describantur: unum sit tribunal literarium; sed quod aeque se in omnes partes porrigat, et in quo judices esse possint, auctoritate magistratuum, omnes, alter alterius. Vera hujus unitatis utilitas immensa; vera libertas literaria, inde procreanda, non satis aestimanda; petulantia nulla exercenda; scribendi furori impedimenta structa sunt; facilitas autem, omnia, quae scripta et edita fuerint, uno obtutu complectendi, quanta sit, vix dici potest. « Tali modo (ut HERDERUM denuo sequamur, l. l. p. 516) fortior animos adferet debili; experientiâ edoctus cupientem docebit; provinciae longinquae et sectae religiosae diversae in mutuam sibi notitiam venient, se tolerabunt invicem et amabunt. Qua re non solum multae altercationes literariae (et religiosae), multae opiniones praejudicatae, in sola rerum inscitia innixae, cessabunt; sed nobilis etiam aemulatio inter maximas et maxime exiguas provincias orietur. Contumeliarum facetias in principes et ministros eorum, in religiosas sectas, in reliquos viros doctos, tota collegia et homines privatos, e scriptis et sermonibus Academiae civiumque ejus abesse debere, per se intelligitur: ne dicamus de amara ista insectatione et odio mutuo, cum literario, tum politico, illisque pugnis eruditorum rudissimis, quae magis convenerint in tenebras synodorum medii aevi ».

Ut vero *Respublica Literata* earum omnium rerum notitiam adipiscatur, oportet *Annalium Academicorum* reliquorumque scriptorum, apud quemvis populum edendorum, *exemplar liberum* ad Praesulem illius transmitti.

Hoc Academiarum consilium et has ejus rationes scribere voluimus in universum: singulas enim leges et instituta, pro populi quaevis sui ratione, et principis auctoritate, Academiae ipsaemet sibi praecipient.

CAPUT III.

DE REIPUBLICAE LITERATAE CONSTITUTIONE.

§ XIII. DE PROVINCIA EJUS ET MUNERIS PARTIBUS.

Quemadmodum Academiarum est, communem omnium popularium concentum efficere; eo modo *Respublica Literata Universalis* unitatem sibi et concentum omnium Academiarum proponit ad perficiendum : qui erit consensus mundanus nationum universarum. Quodsi igitur illae popularium virtutum duces esse et magistrae debent; haec nostra universam *Scientiam* elaborandam sumit; quae est humanitatis ipsius exemplar et simul moderatrix omnium. Ut igitur Academiis *Praesentia* historiae paranda est; sic Respublica tota *Praesentem cum Praeterita* aetate *conjungere*, *Futurisque temporibus prospicere* quamdiligentissime debet, eo consilio, ut Tempus Universum in Universali Speculo adpareat Historiae Mundanae, tanquam Judicis Generis totius. Haec enim mundana Historia perpetuo eadem est, immensus orbis, in quo Materia et Spiritus aequa lance, cum summa omnium rerum harmonia, continetur; unde fit, ut illa, tanquam totalitas, quovis saeculo et quovis momento revertatur. Omne singulum, licet hoc quoque materia et mente, ex inaequalibus tamen partibus, constet, est emanatio ex illa Totalitate petita, et quovis momento sibi diversum. Nullus unquam penitus aequalis est alii homini; nemo unquam populus alii populo; populus idem ne sibi quidem constat temporibus variis et in locis diversis. Stabile unicum et constans Universum est : in Singulo pugna ardet inter materiam et mentem, ut altera alteram subigat et in eam dominetur, i. e. ut ad aequilibrium sui perveniant, hocque modo concinant cum Toto, atque hoc Totum concordiamque ejus, e natura sua, quasi e speculo, reddant.

Quod fieri nequit, nisi aggeres inter varios populos eorumque proprietates sibi ex adverso positi, aliquo modo explanentur, atque singuli magis se in universum effundant et inter se coëant arctius : quod sola *mentis* adfinitate perficitur. Mens enim, totam rerum synthesin animans, *una* est, ubique *eadem*, in genere humano et homine singulo infinita *ratio*. Anima ejus et principium inest in absoluta partium unitate, in totalitate omnium rerum : quo principio divina Mentis Mundanae flammula, in quovis homine indita, universos et singulos ad illam *rationis unitatem*, seu principium omnibus commune, adtrahit. Quam vero sit libera et a rebus independens

haec *mens universalis*; tantopere eadem, ex altera parte, adstricta est ad *materiae conditionem*; cujus tantum ope, in quo solo corpore, tanquam instrumento, infinitam naturam suam manifestare potest : *qua ipsa re homo fit* Individuus. Quodsi quidem *Individui* singuli universalitate rationis, vi continua et invicta, adtrahantur ad unitatem; eaque re *coetus* et *societates hominum majores*, ideoque Civitates, oriantur : tamen non minus hae quoque civitates adstrictae manent ad illam *locorum*, *communis originis*, *linguae et morum*, *religionis* et *sentiendi rationis proprietatem* (seu individualitatem) : *qua ipsa re efficitur* Popularitas (cum omnium gratia dixerim). Si igitur populorum proprietas, partim, propter ipsasmet causas principes, desinere nunquam *possit*; partim desinere nunquam *debeat*; quia ratio omni ex parte, per infinitas formas configurari, percoli et exprimi oportet : non minus verum est, quo magis proprietates gentium ingenium populare suum, tanquam partem rationis universae, evolvant; eo magis infinitam rationem, sed eam per Individuos distractam, in *omnibus unâ partibus* sibi fieri aequalem, et universos pariter individuos atque gentes ad unam omnes conjungere. Ut igitur illa Universalitas et Individualitas simul, absque mutuo incommodo, aequa lance consistat, colatur, servetur — haec curare, muneris Reipublicae nostrae pars praecipua est.

Verum quidem est, non omnia *repente* et *statim* et *e cujusvis animi sententia* succedere : Tempus enim limitatum hoc arctissime cohaeret cum Aeterno tempore, praesens cum futuro. Hoc igitur cum illo, semper progrediens ipsummet, harmonice percolendum est; non ab iis, *qui futuri sunt*; verum a nobis, *qui nunc vivimus*. Quis enim est, qui Praesentiam sejungat a Praeterito ac Futuro ? Hoc enim nostrum adeo tempus tripartitum adparet : docti sunt, qui pertinent ad *praeteritum* tempus (male; si praesentiae nostrae renitantur!) : vegetat et floret haec Juventus, quae pertinet ad *futuram* aetatem. Transeunt tempora, alterum in alterum, et convolvuntur, ut aequoris undae (male; si maris turbati furoribus agitentur!). Quis igitur hunc totalitatis consensum instituet; quis adparentem partium dissensionem conciliabit? Singulus forte ? Minime : hic enim suis rebus captus, non liber est ! Populus igitur unus? Nullo pacto ! Hic enim ipsemet vitam suam *certo* consilio et ex *uno* tantum consilio *trium* temporum exserit ! Quis igitur *singulorum* omnium, universarum *unius Toti* partium, i. e. Scientiae humanae, concentum parabit ? OMNES ! *Juventus*, sive qui futura repraesentant; *Senectus*, seu qui praeterita sistunt; *Aetas virilis*, quae praesentiam explet; omnes uniti tempora complectantur oportet et vero etiam, quantum ab hominibus fieri

possit, Aeternitatem. Hoc solo consilio continetur idealis progressio Generis; mobilitas in constanti studio Absoluti; Sapientia in hac, quam nunc agimus, vitâ terrenâ. Scientia in omnes dominatur, cum UNIT *omnes;* ut comparari possit cum firmamento coeli chrystallino veterum immobili, per quod reliqua corpora coelestia, ad sphaerarum musicam, orbes permeant suos.

Cum homo, infantiam agens innocentem, (ut ait, ni fallor, *Richterus*) totus *absorbetur* aeternitatis voragine, quin eam seu mente perspiciat, seu animo intueatur; sed sensu tantum demissae debilitatis suae, qua se, absque ulla spe libertatis, imperio ejus penitus substratum credit: cum homo adolescens lacertosus, pariter quidem Infinitum percipiendo impar, speciem tamen ejus, definitâ quadam formâ, *exprimere* conatur: cum homo prudens, perfectiorem aetatem virilem consecutus, *comprehendere* cupit Incomprehensibile; verum impotens eo se continet, quod *ab ipso* capi potest; reliqua, modestiâ minus quam superbiâ ductus, sive eo consilio, ut tempus viresque non temere absumat, relinquit aut abjicit: — homo senectutis sapientiam nactus, *sancte contuetur* Mundum et Aeternum, Praesens et Futurum; atque summo studio Infinitum in hanc terram, quin illud terrenis formis septisque includat iniquis, *traducere*, sive *divina* quoque *in hac vita consequi* conatur. Creatorem ille in creatis conspiciens, usque ad rerum causam adscendit et in finito infinitum, hoc in illo *intelligit* tanquam Totum: quo modo utrumque et ipsum se et res exteriores cum suo mundo interiori ad concordiam et unitatem conjungere studet pacis divinae; *quam praebet Historia.*

Verum haec non ipse *solus* potest, neque ex hac, quam agit, *praesente* vita: sed vires *suas* adjungit viribus *aetatum praeteritarum* et conjungit cum majoribus *aequalium* ingeniis, ut cum iis sociatus, quae adtinere nondum possit, non certe excludat e mundo suo, sed, ut ea posteri adipiscantur, elaboret et praeparet. Ea enim re nostrum tempus reliqua praestat quam maxime, quod homo vel spe sola, fore, ut ab aliis conficiantur, quae ab ipso fieri nequeant, consolatur: neque vero, sui solum studiosus, posteris ea invideat, quibus ipse consequendis sit impar; sive metuens, ne messem faciat, eapropter nec serat nec plantet. Praestat, inquam, eo nostrum genus; quod non communi vitâ quotidianâ magis delectatur, quam poëtico sensu rerum futurarum. Quod qui non facit, prae nimio *intellectu* caret *ratione,* atque ipsamet *prudentiâ* abducitur a *sapientia.* Hos enim ejusmodi homines ita obscurat et possidet *notionum* nubes ut (secundum Terentianum illud) *faciant intelligendo, ut nihil intelligant;* inepti ad quodvis negotium, nisi idem

sit circumforaneum; quibus, quod praeteriit, inutile abiit; id vero, quod agunt, inutile pariter est futuris. Hac causa mundus Intellectûs interiit, ubi omnia summa subtilissime *excogitans*, in incerta altitudine ventosa sua vacillabat: unde, necessario, oriebatur adscensus altus plane generis.

Ex iis, quae adhuc protulimus, suapte sponte civium Reipublicae nostrae Classes exsistunt TRES. Primae et infimae ea est provincia, ut tota versetur circa *Praesentiam Historiae*, eamque ex universali sensu Scientiae, quemadmodum ea se hoc tempore manifestat, excolat, emendet atque ad sanctissimum consilium, quod sibi habet propositum, perducat. Haec igitur, juventutem quasi historiae sistens, adcuratissime cohaeret cum Academiis, sive potius *ex illis omnibus*, tanquam earum unitas, *constat*. Classis altera et media *Praeteritas res* exploret, secundum grave earum in praesentem aetatem momentum; ut illae cum hac copulentur; haec ex illis vires et firmamentum adipiscatur, inque iis, quasi subjectis sibi, se agnoscat ab iisque nutriatur. Continet igitur secunda simul *primam*. Classis tertia ac suprema *Futuro Tempori*, e conjuncto et intellecto praeterito et praesenti, cognoscendo studeat; tempora cum aeternitate conciliare atque exquisitiorem bonarum idearum inutilibusque additamentis expurgatarum thesaurum deponere naviter enitatur. Priores igitur duas simul complectens, in eas dominatur, easque regit et moderatur ex illa Scientiae idea sacroque ejus consilio. Verum eadem simul etiam ab illis alitur et sustentatur, vivo earum ac juvenili nisu laetatur et exhilaratur, ne ipsa marcescat inhonestâ desidiâ. *Tres* ergo Classes nostras nihil esse posse, nisi eaedem sint indissolubili intimoque consortio conjunctae, per se patet.

Quibus probe perpensis dubium esse nequit, quaenam sit Reipublicae nostrae provincia; licet fieri non possit, ut in hoc immenso aedificio quaevis particulae a nobis recenseantur atque, ut hoc utamur, in *hoc vivo mobilique* mentis mundanae corpore quaelibet membra, musculi, nervi explicentur.

Quidquid Academiis propositum est ad communem mentis popularis concentum efficiendum; id omne sibi nostra proponit ad communem concentum mentis mundanae, per populos, gentes et homines divisae, instituendum. Ante omnia igitur id maxime agat, ut communibus totius Scientiae adversariis vehementissimis renitatur, *tenebrionibus* et *calumniatoribus*. Quem in finem Scientiam ipsam expurget sordibus et vitiis, erroribus et temerariis degressionibus, illorum offendiculis. Quod certissime efficiet eo, ut Scire illud cum Credere nostro conciliet, opinionum nubes dissipet, justae an-

quisitionis studio viam muniat. Cujus rei magna pars haec est, ut diligenter doceat, quae vera ex antiquis utilitas sit capienda; quomodo, quae ab iis supersunt, sint elaboranda; qua ratione jam elaboratis uti, absque damno, et vero etiam cum magna nostrûm salute, debeamus. Qua re Respublica nostra denuo insigniter merebitur de hominibus literarum studiosis, si eos ab incondita librorum multitudine liberaverit, qua divina scientia scribendi furore jam nimis est contaminata. Nec etiam minora impedimenta struat incasto intemperatoque scribendi de recentioribus rebus studio; ac nullo pacto permittat, ut majoribus etiam sordibus literatus mundus obruatur.

Censuram igitur exerceat severiorem atque Criticam illam altioris indaginis; ut literarii foetus deinceps ne lucem quidem conspiciant. E recentioribus autem operibus, jam pridem editis, meliorum Grammaticorum Alexandrinorum exemplum secuta, ea eligat, quae citra ullam controversiam optima sint, seu certe meliora; eaque, abjectis vilioribus, per justas classes describat : ut esse possint exemplo omnibus; ut ne literarum studiosi tempore, emtores librorum pecuniâ defraudentur. In cujus rei compensationem id agito, quod praeter eam nemo facere rite potest, ut in ea quae adhuc a reliquis relicta, in orbe scientiae elaborata non sint, religiose indaget, lacunasque explendas curet; quoniam lacunis nihil esse potest in Scientia perniciosius, nihilque magis erroribus et vitiis favet. Quo rei intuitu in ipsam convenit, ut majorum operum, altioris indaginis amplissimique laboris, ad quae perficienda una unius hominis vita, ejusque vires, facultates, res et ingenium non sufficiunt, exaedificationibus ansam opportunitatemque praebeat, easque sustentet opibus et viribus, rebus et bonis in unum collatis : denique ut in iis conscribendis cuilibet socio eam partem tribuat, cui pertractandae ejus maxime vires inprimis sint pares.

Praeterea scripta nulla tolerato, quae bonis moribus adversentur; seu religionem illa cultumque divinum qualemcunque, seu civitatem, principem, singulos, seu varia artium genera respiciant. Lites et inimicitias literatorum componet; neque unquam scientiae cultoribus concedat, ut coram universis cum humanitatis probro, turpiter increpando se dehonestent invicem. Altera ex parte quemvis virum vere magnum, qualicunque virtute nobilitatum, honore laudeque sua ornet, gloriamque immortalem ejus in tuto collocet atque confirmet; memoriam ejus sacram habeat et incolumem servet, seu neglectam restituat et tueatur, merita posteris ad imitandum ante oculos ponat.

Porro Respublica nostra partes agat *Historiae Universae*, tanquam *Judicis mundanae*, ubique et omni momento praesentis. Ipsa sola OPINIONEM PUBLICAM, in universalitate cultus erectioris innixam, sistat et moderetur, (de ea re WIELANDIUS : W. W. B. XLII, p. 280 sqq. 758 sqq.) : ipsa sola Principibus suppeditet et populis *consilia salutaria* illa et *veriora*; ipsa *Jus* interpretur *omnibus gentibus commune*; ipsa rerum publicarum *Disciplinam* sapientibus consiliis adjuvet; ut hoc modo huic mundo pacem et tranquillitatem, concordiam et beatitatem adferat. Est enim ipsa, quae Scientiam, i. e. Sapientiam humanam, repraesentat; ipsa sola potest judicium ferre de summis rebus, absque invidia et odio, absque amoris et adulationis studio; ei habere fidem fiduciamque possunt Principes et populi totaque haec civitatum synthesis politica : ipsa potest, non prudentum, sed sapientum responsa dare; quae jam non amplius angusto unius viri, quantumvis sapientissimi, pectori; non jam arbitrio unius, quantumvis licet integerrimi, hominis temerario relinqui debeant.

Jam vero, age, breviter per singula eamus. Dum enim in haec tempora mentem oculosque defigo; animus sponte fertur ad multarum rerum, cum veterum, tum recentiorum, tum vero etiam novissimarum recordationem. Ac licet a multis eorum, quae nunc fiunt et, qui ante hos quadraginta circiter annos furebant, civilium tempestatum turbinibus; qui in multis, et vero etiam nostris, regionibus orti, gravissimas rerum conversiones et fluctus excitarunt, animum avertere contendam : tamen denuo voluntas in nostra tempora anquirendi ita confirmatur, ut si vel maxime cuperem, non tamen ei non obtemperare possem. Licet enim haec aetas philosophiae, cujus nulla alia fuit avidior, tam multis tamque gravibus erroribus ac vitiis sit corrupta, ut saepe animum revocet in antiqua tempora, e quorum intuitione solatium capi praesentium multi edicunt : tamen ex iis denuo ita revertor, ut mihi, veteribus cum iis, quae nunc sunt, compositis et comparatis, quantopere haec nostra illis praestent, clarissime adpareat. In quam rem quo magis mentis aciem intendo; eo magis mihi persuadeo, tempus nostrum unico illo et perfectiori scientiae cujuslibet cultu eximium quendam fortunae fautricis favorem experiri : quo si rite utamur, vitia et errores facili opera propulsari queant omnes. Mali scriptores recentiores, insipientes veterum editores, pravi philosophi nominis simulatores, obscuri scientiae osores, lucis adversarii, nobilioris sensus expertes, res ad literarum splendorem et magnificentiam fructuosas in irritum vertunt atque ipsammet sapientiam in contemtum trahere et invidiam cupiunt. Qua re praesertim ii,

quos ultimo loco nominavimus, in turbido piscari amantes, omnem cultum evertere, Scire humanum conviciis cumulare et, tanquam civitatibus et principibus nocivum, infamare cupiunt; ut genus nostrum caecae credulitati, i. e. suae servituti, subjiciant. Quod ut efficiant, utuntur malâ famâ, in quam incurrebat nuper admodum immensa juventutis adrogantia; quam illi adscribere amant libertati, cum literarum studiis necessario conjunctae.

Revera tanta hodie est temeritas et proterva novarum rerum libido, et in effrenatis cupidinibus licentia, ut nemo amplius, praesertim juventus, oblatâ libertate velit uti, eamque amplecti totam atque ut sanctam fovere: sed invadunt in hoc divinum divinae providentiae munus tam importuno studio (verbis utimur FR. JACOBSII, V. Cl. in Epist. ad *Doeringium*, Senem Felicissimum), tamque fanaticis furoribus, ac si haec omnia pertineant ad primum quemvis advenam; non aliter, ac si nemo jam, praeter illam juventutem, sapiat. — Nec tamen facile mihi quisquam persuadebit, haec cuncta moliri solam illam juventutem: tantum enim abest, ut hoc credam, ut potius illos ipsosmet tenebriones horum fluctuum clandestinos auctores habeam; qui male utantur cupidae conversionum et alicujus praegnantiae studiosae juventutis libidinibus, ad ea efficienda, quae sibi magis cordi sunt: ut tamen, crimine aperto, prudenter se recipiant et sceleris poenas luere patiantur temerarios juvenes. Hac enim re bifariam illi proficiunt; cum motus excitatos tanquam philosophiae fructum declarare, et simul juventutem, ipsis formidatam, perdere sciunt.

Est igitur maxime necessarium, ut ex malis et arrogantibus cunctaque miscentibus fiant bonae frugis cives. Verum necesse quoque est, ut summi quique et sapientissimi viri, conjuncti, reliquis sint exemplum ad imitandum; ut animum malum, non jussu et vi, sed cultu et praeceptis solidioribus, ipsi immutent; ut quisque proprio animi sensu ad id adducatur, quod unâ omnibus est salutare. Qui vero esse possint ad id faciendum aptiores iis, qui, uti sunt eruditissimi, ita in juventute erudienda, in provectioribus adeo viris informandis et, dum quaelibet doctrinarum genera docent, tamen in nulla negotia publica se immiscent, continuo in optimis studiis versantur? Supersunt autem hodie, nec supersunt tantum, sed viribus, honoribus, laudibusque florent, omnium aetatum viri longe praestantissimi. Hi igitur hoc ipsum et certius praestabunt et facilius, quum in eorum quasi labiis habitet persuasio; quum circumfluantur quotidie adolescentum examine, qui ex ore magistrorum pendere jam diu consueverunt: ad quos singulari

quodam amore, pietate et reverentia, quasi inviti, trahuntur. Quum denique ii etiam, qui jam summas civitatum res curant, interque eos optimi etiam principes, eorumque ministri, militesque altiorum ordinum, qui, illorum quondam discipuli, non sine quadam animi honesta oblectatione, non sunt immemores benefactorum ab iis acceptorum et, quae illi cogitent et sentiant, quo modo quamvis rem sibi informaverint, probe sciunt, ac plurimam partem absentium quoque magistrorum sequuntur rationes.

Dici nequit, quantam, quamque salutarem vim id in totas civitates et eos, qui ad clavum sedent, habuerit; si illae rationes, e communi omnium sapientum voce es sententia scriptae, deinceps in vitam et mores imperantium ac subditorum transierint. Verbis exprimi nequit, quam facile, quam certo, quo concentu fere coelesti, qua omnium harmonia regi, duci, coli et emendari possit illa Opinio Publica : quam fortiter cohiberi malevolorum in civitates et principes conatus; quam certo scribi ipsius sapientiae civilis rationes, omnibus gentibus salutares; quanta mentis voluntate summi infimi concinere ad id, quod conducat omnibus; quam sancte servari divinae leges atque humanae; cultus etiam termini promoveri, hominum furtim agentium fraudes et pestiferae sodalitates deprimi et extingui; quanta aequitate de cunctis rebus judicari; quam insigni moderantia et pudore et modestia de aliorum rebus et factis et scriptis censeri.

Regebatur omni tempore hic rerum ordo a sapientioribus; nunquam apertius et jure majori, quam hac nostra aetate. Sed antiquae civitates, quarum beatitas accrescere solebat prudenti unius sapientis moderamine, et a se fuere sejunctae, et maxime exiguae, ut singuli facile sufficerent singulis. Hodie omnes populi vinculo politico conjuncti sunt; singulae etiam nationes non raro immensi ambitûs; ut igitur unus alterve, etiamsi ille fuerit sapientissimus, in illis nihil boni possit efficere. Ponamus autem unum eundemque virum, qui reliquorum omnium doctrinam et eruditionem, et vero etiam voluntatem unâ possideat totam, atque hunc talem virum gentibus praeficiamus omnibus. Nonne omnes hae gentes idem agere, idem cupere, idem credere debuerint? Nonne igitur concinere omnes adeo, ut nihil unquam rarius possit in hoc mundo inveniri, quam dissensio et diversa studia, contemtio, adrogantia, inimicitiae? Quodsi non minus verum sit, quam fieri nequeat, tum, ut ejusmodi sapiens omnino inveniatur, tum ut unus etiam omnium sapientissimus, cum fuerit, diversas gentes regere possit; tamen alterum quoque est verissimum : omnes omnium gentium sapientes conjungi

posse, ut illum unum, secundum varia diversarum gentium ingenia, constituant atque, proprietatibus ingeniorum popularium probe retentis et excultis etiam, efficiant, quae a rege uno, licet eodem perfectissimo, ne tentari quidem possint.

Qua re probe instituta, tempus existat oportet et doctrinae vigor et vitae usus, qualem nulla unquam aetas vidit: tempus, inquam, quo juri arma, aequitati vis cedant; quo quaevis communia sint omnibus, quoniam cunctis sit pax et libertas communis. In quo solo fundamento ethica, universos complexa, egregie efflorescere; metus civitatum mutuus evanescere; tectae machinationes interius, hostes exterius a scelestis conatibus, in conspectu tantae, tamque conjunctae proborum et sapientum frequentiae, absterreri possint et etiam debeant. Sic denique (ut RICHTERI verbis utamur) *terrarum orbis* una evadere *regio* debeat, in qua *populi* habitent instar *singulorum* hominum: *Genus humanum* evadere *populus unus*, in quo *populi* instar *civium* sint; sicut jam nunc tempora diversa facta sunt pars quaedam aeterni temporis, quae diversa ingenia sua universalitati subjecerunt. Hoc autem fieri tum tantum poterit, cum Artis aequore mundi partes fuerint conjunctae, atque communi scientiae aethere ingenia nationum sejuncta ad unitatem historiae universae coaluerint; opinionumque ac sectarum nubes in unius religionis et ethicae purae claritate fuerit dissoluta. Quae cuncta jam praeparata sunt *Amore* Artis, ubivis vivido; *Studio* Scientiae, apud omnes vigente; *Tolerantia* religiosa (jam, dolor, denuo decrescente); *Commerciis* quamlatissime patentibus; *Coloniis*, quae in liberas respublicas magis magisque accrescunt; *Politiâ sanâ*, in universali *idea* juris innixa; *Historiae Universalis Intelligentiâ*, ex idea Judicii Mundani atque Cultûs hominum, per mundi Aetates proficientis, percepta. Atque haec, ita parata; sibi perficienda sumat *Respublica nostra*.

§ XIV. DE MAGISTRATIBUS REI PUBLICAE LITERATAE.

Reipublicae Literatae *Forma* sit MONARCHICA, secundum ideam Monarchiae recentioris. PRINCEPS igitur et MAGISTRATUS sint, qui eam regant. Princeps monarcha atque Magistratus nec ipsi adsint *propter cives*, neque cives *magistratuum causa*; verum utrique, *unitate absoluta*, *conjuncti* adsint *sanctissimi consilii ergo*, quod unquam homo possit consequi, *propter vitae sapientiam*, i. e. *scientiam in vita conspicuam*. Absint igitur jura, praerogativa, privilegia, praeter ea, quae Scientiae numen impertiatur; absit violentia, praeter justam potestatem eam, quam idem expostulet. Necessitas obediendi in Sapientia nititur; igitur e Libertate nascitur.

Magistratus, qui erunt sive Majores, sive Minores, singuli efficaces sint in res singulas, quin totalitatis obliviscantur; sed ut illas arctius cum hac conjungant inque eam traducant. Personam hujus Monarchiae idealis, Sapientiae, Scientiae, agat atque totalitatis illius partes in se suscipiat PRAESUL Reipublicae Literatae; qui, manu tenens singula totius texturae fila, omnia perspicere; singula, sapientissimorum consiliis auctus, decernere, decreta vero ipse peragere possit: qui tanquam principium nunquam senescens, ut anima perfundat totum vitamque ipsi impertiatur. Ipse judex sit supremus et ultimus; ipse sit Reipublicae persona; non ut homo, non ut singulus, sed tanquam Unitas idealis. Exterior Praesulis habitus cum dignitate interiori cumque sanctitate ejus, quod repraesentet, congruus sit et principe dignus: *signa* quoque habeat exteriora *potentiae*, ut symbola interioris *potestatis*.

Ipsi, consilii et auxilii ergo, praesto sit CONCILIUM SACRUM PRAESULIS; senis Magistratibus constans, ab ipso Praesule, suo arbitrio, e sapientissimis orbis terrarum viris eligendis. Nomen eis sit *Magistratibus Urbanis*; qui reliquis Magistratibus sint exemplum. Terni eorum Magistratus *majores* sint: *Curio Maximus, Praetor, Censor Urbanus*; terni item *Minores: Aedilis, Fecialis, Tribunus Major.* Majores Collegium Ephororum Civitatis sistant; cui hae muneris partes demandentur:

A. *Judicium supremum,* ad quod provocari liceat, per tribunum, cuilibet civi.

B. *Jus, aliquem Civitate privandi;* sed unanimo Ephororum consensu: porro *magistratus minores a re publica removendi; majores* vero *non inconsulto Praesule*, nisi res imperaverit: in quo casu eos, ad tempus, usque ad Senatum nimirum proxime habendum, a munere administrando cohibere Sacrum Collegium non nequit.

C. *Ephoris auctoribus*, sed per Magistratum Majorem, *privatus* quoque *legem suadere novam poterit.*

D. Ephori auctores esse possunt Praesuli, *ut legem abroget.* Nunquam tamen, nec sanciri, nec abrogari lex poterit, improbante Praesule: nunquam lex rata erit, nisi a Senatu disceptata, ab Ephoris perscripta.

Munia vero *singulorum Ephororum* haec sint:

I. CURIO MAXIMUS Magistraturam Morum habeat, praegnantissima vocabuli vi in omnes cives exercendam. Is *Collega Praesulis* adpelletur, ejusque sit *Successor Jure Suo*, quasi *nativitatis.*

II. PRAETORI demandetur Ordo servandus et Custodia legum, omniumque jurium privatorum. Nemo ejus personam proprie aget in Academiis : verum potestas ipsi erit, ad quodlibet negotium, in iis peragendum, Magistratum Majorem Minoremve constituendi. Omnino munera ejus Romanâ formulâ : *Do*, *Dico*, *Addico*, continentur.

III. CENSOR Nomina civium et Ordines perscribat; eorumque studiis praesit; negotia ipsis publice tradita distribuat et moderetur; praesertim tanquam judex principalis censeat et aestimet, utrumne cum scientiae dignitate et temporis rationibus opus qualecunque congruat, an minus. Quod ut rite peragat, *Collegium Censorum Quinquevirorum* constituendi jus ei esto.

Cum his triumviris Scientiae salutem diu noctuque curandi et costodiendi cura demandata sit; aliud eis vitae negotium ne esto.

MUNIA *Magistratuum Collegii sacri Minorum* haec :

I. AEDILIS Curator sit Bibliothecae Publicae, Scriptorum, Actorum et Monumentorum omnium. Ipse Diplomata Actaque reliqua, suâ manu subsignandâ, Insignia quoque et cetera ad eos perferenda curet, ad quos fuerint data. Porro Pecuniam Publicam curabit, ejusque rationes scribet et reddet. Ejus personam in Academiis aget *Tribunus*.

II. FECIALIS Reipublicae a Secretis sit sanctioribus; Commercium Literarium, illius nomine, sustineat; Diplomata Actaque reliqua perscribat et subsignet; Monumenta, Leges atque Statuta, ordine conscripta et in Codices redacta, typis exscribenda curet.

III. TRIBUNUS MAJOR, Formularum Publicarum Custos, cuncta manus subscriptione et Sigillo, quod asservet, adposito, ut apud alios major ipsis fides sit, sanciat. Praeterea, quae a civibus Reipublicae et Academiarum ad Praesulem deferantur lites et querelae; eas accipiat ac judici ordinario permittat.

Quum Academiae cum Republicâ Literatâ ita sint conjunctae, ut pro unâ tantum Civitate haberi debeant, sequitur : eas quoque, Reipublicae auctoritate, ab electis tamen, per varios gradus, ex ipsismet, iisdemque a Principe cujusvis populi confirmatis, Magistratibus regendas esse. Quae cum ita sint, in Academiis erunt *Magistratus* pariter, MAJORES *Singuli* et MINORES *Complures*. *Major* adpelletur CONSUL *Reipublicae Literatae*, *Academiae*..... PRAESES. Is *Praesulis* personam in Academia sua tuebitur et eadem ratione cum Academia sua continebitur, qua in omni Republica utatur *Praesul*.

Pariter *Curio Maximus* per unum seu plures *Curiones* repraesentabitur; qui proprie in Academiis sint *Morum Censores*. Citra eorum probationem nullum opus literarium typis exscribatur. Praeterea in quavis Academia *Censores* erunt, unus, seu plures; qui *Censoris Urbani* partes agant, atque proprii sint operum per suam Academiam, i. e. per totum illum populum, edendorum *Critici*. Nullum scriptum ad Curionem deferatur, nedum typis detur, nisi a Censore publica luce dignum fuerit censitum. Quo loco, quae supra diximus, repetere placet: *Criticam* nempe fieri *Censuram; hanc* vero fieri *Criticam* debere. Ex qua re manifestum est, quam adcurate Curionis et Censoris munera cohaereant. Ceterum illos non *solos*, seu *ipsosmet*, haec omnia administrare posse; sed eorum tantum inprimis *moderamina* habere; igitur, re suadente, alios adsumere in auxilium posse, non est, cur moneamus. — In qualibet Academia *Tribunus* sit *unicus;* scriniorum Academicorum Curator; simulque *Scribae* et *Aedilis* munere fungens: praeterea jurium civium Academicorum tutor et defensor. — Hi omnes Magistratus *Minores* erunt.

Quod reliquum est; *Praesul*, *Concilium sacrum Praesulis*, *Magistratusque Majores* PERPETUO sunto. Omnes *Magistratus Minores* QUINQUENNALES, ut tamen, elapso lustro, denuo eligi queant. SENATUM ORDINARIUM, *Praeside Praesule*, sistant *Concilium sacrum* et *Magistratus Majores*. Ad SENATUM INDICTUM *conscribantur* Magistratus quoque *Minores* et ii, qui *Primae Classis cives* fuerint. Legislatio et Civitatis Ordinatio penes SENATUM AMPLISSIMUM esto. Statuta proponere et Leges *Praesul* potest: τὰ προβουλεύματα in *Senatum Ordinarium* conveniunt aeque ac Graviora Judicia. Hic *quotannis* convocetur, ut de Scientiae statu deliberet et de iis rebus, quae in *Monumentis* (vid. § sq. fine) tractandae sint. *Senatus Conscriptus* quovis lustro semel *indicetur*. Unde sequitur: leges semel sancitas abrogari ante Quinquennium non posse. Sed simul etiam alterum consequens est: Legibus non tantam esse sanctitatem, ut earum gratia Salus Reipublicae negligatur. Nihil est legum *longaevitate* perniciosius: quapropter a Senatu Conscripto inquirendum est in earum naturam; atque prospiciendum, ut novae et meliores sufficiantur in locum earum, quae inveteratae seu inutiles factae fuerint. Sic vita sua nunquam carebit nostra Civitas!

§ XV. DE CIVIBUS REI PUBLICAE LITERATAE.

Quicunque ingenii elegantia, scriptis probata, illo honore se dignum reddiderit, suo jure Reipublicae nostrae civitatem nanciscetur. Cives omnes,

jure sibi aequales, eodem honore fruuntur. Omnes regunt, reguntur omnes: quisque docet, docetur quisque, alter ab altero, unus alterum. Quem natura largius dotavit, modo hac divina benivolentia rite fuerit usus; is in altiorem classem collocandus est: non solum ut aliis exsistat honoratior; sed etiam, ut in majorem provinciam traductus graviores muneris communis partes administret. Nemo vero omnino recipiatur, nisi praeviâ rerum suarum scriptorumque, animi et ingenii probatione, et eâ quidem severiori, institutâ. In qua re inest Reipublicae vis et potestas et dignitas. Habet enim ut principium suum HONOREM: honor autem quavis violatione, non tantum imminuitur, sed plane perditur. Sic vero res se habeat nostra, ut quisque Reipublicae nostrae civem, jam eapropter, magni censeat; ut principes quoque civitatum ea re sibi persuadeant, ejusmodi virum fiduciae et existimationis suae et populi universi esse dignum. Quicunque igitur in orbe literario indecore se gesserit, seu alio modo dignitatem literati hominis prostituerit; is nunquam inter hos cives legatur: qui vero, electus licet, doctae illi petulantiae indulserit, seu in ejusmodi crimen incurrerit; ab illa honestorum societate amoveatur: quam poenam ii quoque luent, qui in Reipublicae leges gravius peccaverint; seu in hoc Institutum verbis scriptisve contumeliosis invaserint, seu denique aliâs sententiam ignominiosam subierint. Attamen in prima lectione instituenda (praeter ultimum casum) de iis, qui id genus aliquid commiserint, judicium Persicum institui poterit; cujus auctoritate, si quae egregie ab illis acta sint, plurima puncta tulerint, civitate donari non nequeunt. Ceterum nemo literatus, quidquid ad humanitatem adtinet, ab alio potest judicari nisi a judice, Reipublicae Literatae cive, cui haec pars fuerit demandata. Ad altiores gradus, exceptâ lectione primâ, nemo promovendus ante exactum lustrum. Quod reliquum est, in qualicunque terrae parte aliquis degat, civis evadere potest. Singulo tamen, quisquis tandem ille sit, nullo tempore, civem dicere, etiamsi meritissimum virum, auctoritate sua, licitum sit: hanc enim provinciam summi tantum Magistratus tuebuntur.

Qui civitatis dignitatem sibi colligere cupit, *Censorem* conveniat, missis ad eum *operibus*, quae scripserit, *omnibus*. Is, judicata re, opera illa, cum judicio obsignato suo, ad *Curionem* transmittat; qui cum idem egerit, cuncta *Consuli* permittet. Posteaquam hic quoque judicium suum prioribus adjecerit; res *Aedili* tradenda erit; quae, auspiciis *Praesulis*, in consessu *Collegii Sacri*, probationem subeat. Qui vero *majorem gradum* ambit; hoc agat, ut operum a se deinceps editorum, ut primum ea typis fuerint exscripta, exemplar unum

Aedili concedat. Postulare altiorem ordinem nemo potest : potest tamen *Censor popularis* ejus rei *monimentum*, pluribus perscribendum, *Censori Urbano* exhibere. Qui civium numero fuerit adscriptus, seu ad altiorem dignitatem promotus; is intra *biennium Dissertationem Inauguralem, Latine et nitide scriptam*, ad *Aedilem* permittat : quae deinceps propria manebit Reipublicae, atque nunquam ejus esse desinet. Hae Dissertationes, quam fieri potest solidissime et subtilissime elaborandae, de rebus agant, sive ex ipso auctoris ingenio depromtis, sive plane singularibus et ex orbe alicujus doctrinae ita exquisitis, ut aut omnino nondum, aut leviter tantum tractatae fuissent ab aliis. Inprimis gratae erunt magnorum mortuorum Vitae diligenter perscriptae. In qua tamen re necesse est, ut, qui ad scribendum se accingant, intra tres primos menses, *Censorem Urbanum* certiorem reddant de futurae scriptionis *argumento*. Quo officio, quod ipsummet jam in rem literariam immensi momenti esse quisque videt, nemo omnino potest liberari.

Quilibet civis obligatus est *Vitae suae scribendae*; in qua religiose moneat, per quas vices et ambages, errores, auxilia et impedimenta, ad doctrinam suam pervenerit; quae vitae suae momenta lucidissimas praegnantissimasque cogitationes suas et sententias pepererint atque ad maturitatem perduxerint; quo rerum statu, aequo iniquo, ipse eas elaboraverit; verbo, quo modo is factus sit, qui deinceps fuerit? Tantum enim interest scire, quo modo quis vir egregius exstiterit, quam est jucundum legere, eum excelluisse. Hanc vitae suae historiam, qualicunque sermone, melius forte sermone patrio, conscribendam, paratam habeat, quam, ipso obito, ad reliqua Acta depositam, continuo, Latino sermone, seu Praesul ipse exponat, seu ab alio, optime si a defuncti familiari seu amico, edendam curet. Nec etiam mentem solam clarorum virorum inspicere cupimus; sed corporis etiam formam et habitum, tanquam vas animi et receptaculum, quo instrumento ille se patefecerit. Quapropter quisquis se, *habitu civis repraesentatum*, a probato artifice pingi seu delineari patiatur, atque apographi exemplum ad *Aedilem* mittat, seu unâ cum vitae descriptione mittendum curet : ut uniformitate fortuiti diversitas constantis relevetur et ad comparandum excitet. Hoc modo simul cum *historico* obtineremus poecile imaginibus arte expressis plenum. (De propriae vitae descriptione vide Wieland. W. W. B. XLVII. p. 323).

Quum in omnibus negotiis et studiis plurimum valere in docto viro utilitatis publicae cogitatio debeat; idem in Civitatis Literariae nostrae sociis

inesse studium volumus; ut non suum tantum spectent commodum, non suam utilitatem, famam, gloriam; sed ut, quod ipsi possideant elaboratum, excogitatum, in schedis paratum, cum aliis libenter communicent. Quapropter si quis eorum libri alicujus altioris indaginis (e. g. historici) editionem moliatur, atque specimine de ea re edito indicaverit, quid ipsi desit auxiliorum et fontium; modo ejus rei nuntius, auctore Praesule, ad reliquos pervenerit, hi auxilio adsint et re, eique ultro offerant, si quid habeant praesidii; ut ejus causa vel alios adeant, coram seu per literas; ut juvent illum opibus et auctoritate, ad ea ipsi adjumenta paranda, quibus egregia quaevis exsistere et quae sint diuturna, immortalia, non nequeant. Nemo vero sua bona, suas copias, ut avari facere solent et invidi et sibi solis consulentes, occultet atque celet. Qui vero acceperit, accepta referat necesse est; opportuno loco benefactorum meminerit, sive, habita datorum ratione, honorario etiam solvendo remuneret. Quodsi vero civis ab incepto aliquo opere praematurâ morte fuerit avocatus; operis fragmenta ad *Praesulem* mittantur; qui, cum literatorum coetum optime noverit, ea uni alterive; qui ipsi maxime idoneus esse videtur ad perficiendum, concedat. In qua re id spectandum est, ut nec honore suo mortuus, nec honorario defraudentur ii, quos ille reliquerit.

Quotannis, Civitatis Literariae nomine, in biennium, seu triennium, *Quaestiones* de gravissimis quibusque doctrinae partibus proponantur, ad *Certamen Literarium* instituendum. Omnis literatus, civesne ille fuerit, nec ne, ad respondendum se accingere poterit, *praeter cives supremi Ordinis;* hi enim *Responsorum* erunt *Judices* atque, sicut id potissimum sibi habeant propositum, ut diu noctuque de civitatis salute et flore cogitent, Quaestiones ipsas proponere debebunt. Ceterum civis quisquam, in quas forte per reliqua studia sua inciderit, ad proponendum idoneas, quaestiones mittere ad Praesulem potest. Responsa definito tempore allata, a quinis saltem diversarum nationum judicibus, Praesuli eligendis, examinanda, ab ipso et sacro Concilio ejus, sententiâ ultimâ, praemio digna seu indigna declarabuntur. Praemium consistet *Honore Civitatis*, seu *Altioris Ordinis*, victori attribuendo.

Quum cultûs omnis fastigium sit collocatum in animo aliorum placita liberaliter ferente, qui trifariam se ostendit, *tolerantia* nimirum *religiosa*, sive *politica*, sive *literaria* : cuique civi sanctum sit, hunc animum excolere, emendare, confirmare, inque vitae rationes traducere; denique impedire, quominus haec animi lenitas degeneret in scientiae negligentiam, rerum

divinarum incuriam, publicarum levitatem et frigus. Haec autem praecipua cura sit natu et gradu majorum. Lites graviores, de his rebus ortae, ab aequis et lectissimis judicibus decidantur. Quod reliquum est, quisque, ut sacrae militiae adscriptus, evigilet et excubet, ut thesauri humanitatis, ex antiquitate ad nos transmissi, serventur; fragmenta quaevis *nobiliora* detegantur, in praesentium utilitatem *scite* et *perite* adhibeantur, posteris elucidata, neque vero obscurata et impedimentis novis obstructa, tradantur.

Denique verus humanitatis cultor ipse sit mundus a sordibus vitae vulgaris et libidinibus subjugati animi; aliosque verbo et exemplo, quin sit inopportunus, doceat et adhortetur, ut faciant idem. Ejus enim est, conjungere doctrinam cum moribus, ecclesiam cum civitate, omnia cum omnibus, ut concinant. In re vero literaria, si quae melius institui, enucleari, edi visa fuerint, magistrorum est, suadere, exhortari, pertractare, emendare, censere, judicare, ne infectum edatur et ἐφήμερον. Sententiam de aliorum operibus liberrime dicant, non ad excitandos et lacerandos illos; sed ad monendos et colendos: ne nimiâ sui opinione, neve auctoritate patiantur decipi. Sed et vehementius reprehendant et notent, si quis monitus non ad meliorem frugem redierit rationemque monstraverit magis idoneam. Hae sunt fidelis amicitiae partes; quae sunt eo minus negligendae, quo majus id est et sanctius, quod perficere sibi proposuerunt.

Recensitis *civium* obligationibus, pariter de rationibus a *Civitate* reddendis dicamus. Reddat illa has vitae et efficientiae suae rationes quotannis, proprio opere, indefinito tempore, edendo, quod inscribatur: Monumenta Reipublicae Literatae et Ordinis Equitum Apollinis. Haec monumenta bifariam dividantur ita, ut in Parte Priori, cui titulus: Historia Annalis, contineantur:

I. *Reipublicae Literatae Leges et Ordinis Statuta.*

II. *Quaestiones ad Certamen Literarium propositae et Judicia de Responsis allatis, victorumque nomina.*

III. *Vitae Sociorum Civitatis Literatae.*

IV. *Rationarium Reipublicae et Equitum Recensio.*

Pars Posterior, quae inscribatur: Scripta Reipublicae Literatae, complectetur:

I. *Commentationes ad Quaestiones propositas.*

II. *Scripta Civium Inauguralia.*

Quod adtinet ad *Rationarium* Partis Prioris; id hoc maxime praestet, ut quotannis praebeat *Epitomen criticam*, e Scriptis Academicis prudenter electam: in qua consignentur praecipua opera, per hunc annum a doctissimis omnium gentium viris edita ac posteritate digna; ut, publice laudata, in canone literario primis classibus adscribantur. Quod judicium in eorum quoque opera adhibendum est, qui fuerunt. Denique is maxime locus est, ubi possint magistri submonere de mala scribendi methodo, adhortari ad solidiores in varias doctrinas anquisitiones, ad moderantiam et modestiam, qua in scribendo utendum sit; docere, qua ratione quaevis melius et temporis ingenio adcommodatius tractari queant; dissuadere levitatem, adrogantiam et quae sunt reliqua vitia, in singulis nationibus reprehendenda. Unde haec magna certe erit muneris Reipublicae pars, qua eruditissimi adeo viri emendari et ad majorem perfectionem duci; praesertim autem animi sensa gentium diversa de elegantia et venustate doctrinarum et artium magis ex aequo aestimata, ad idealem Scientiae unitatem conjungi possint.

Sermo, quo haec monumenta scribenda sunt, *Latinus* erit; non solum eapropter, quod ejus usus pateat latissime, atque quum jam pridem ex vitae communi usu abierit, magis conveniat in omnes gentes: verum propterea, quod ille hujus temporis et hujus consilii rationibus magis est adcommodatus. Lingua enim Graeca, etiamsi tot hodie homines Graece *scriberent*, quod jam Latine *legere* soleant; tamen a rebus nostris esset aliena. Ea namque est lingua *Juventutis* humani generis: minime vero convenire videtur, ut universi, omnium nomine, ejus auxilio, quasi a juvene doceantur verum, quae est omnium rerum gravissima. Contra optime, vel in sapientissimum, convenit, ut nervosâ oratione *viri* utatur historici; qua re magis etiam prodesse poterit.

Omnes denique cives, cum Reipublicae Literatae, tam Academici, *his Monumentis emendis* obligati sint; non solum ut continuo Scientiae statum sequantur; verum etiam ut his unice sumtibus faciendis necessitatibus Civitatis nostrae aliquo modo succurrant.

His a me ex animi sententia expositis, in Parte altera agamus de Civium nostrorum Nomine, Honore, Loco et Insignibus: non, certe, quasi haec ita plane instituenda esse contenderim; verum quia haec in nostrum tempus praeprimis convenire mihi persuasum est; atque ne, quae incepimus, omni fine careant. Quapropter, nec vero ob aliam causam, Equitum Insignia, a me descripta, qualia forte esse possint, in Tabula delineavi. Cui enim haec placuerint parum, ei per me meliora proponere licitum esto!

PARS POSTERIOR.

DE ORDINE EQUITUM APOLLINARIUM.

CAPUT I.

PRAEPARATIO.

§ XVI. DE HONORE, NOSTRAE POTISSIMUM AETATIS PRINCIPIO.

Quemadmodum Scientia nihil est, nisi sit in vitam traducta, vitamque perfundens; hoc autem assequi nequit absque omnium cultorum suorum societate, quorum quisque eâ animatus, vicissim eam perspexerit: eodem modo societas Literatorum esse, aut certe utilis esse nequit, nisi eadem in civitate sit conspicua; nisi illorum dignitas interior corpore quodam et habitu exterius repraesentetur. Atqui pulcerrimus ornatus Sapientiae convenit; qui est *Honor*, vitae Germanicae, seu hodiernae, principium: Honori elegantissimum vestimentum convenit; qui est *Ordo*, quo ejus cultores ornentur: Ordinis denique habitus est in *Insignibus*. Quum porro cives Reipublicae Literatae non solum alios excolere, sed ipsi etiam se invicem, et eo modo Scientiam ipsammet perpolire debeant: quod fieri nequit absque justa honorum exteriorum distributione, ratione meritorum interiorum instituta; qua antistites et moderatores distinguantur ab illis, qui eorum moderamine indigent: non sine distinctione magistratuum et civium, altiorum et minorum ordinum, eâdemque per gradus ordinatâ (quasi per varios civium Ordines, communium, nobilium, usque ad principis Majestatem adscendente) pedetentim ad altiores et summos adveniatur et eos, qui ideali Sapientiae sint proximi: sic in literatis quoque civibus certus Ordo sit oportet, quo civium praestantia gradatim exprimatur, juxta honorem et dignitatem cujusvis.

Inveniuntur sine dubio, qui dicant, Ordinem Equestrem inutilem esse, cum tempore parum convenire, esse ridiculum; praeterea quemvis honorem intus fovere: alii, qui credant, quemvis se porro etiam continere posse honoribus adhuc usitatis: alii, qui adfirment, Ordinem non id esse praestiturum, quod ejus nomine promiserimus. Quibus objectionibus breviter respondebimus atque deinceps, vel inconsultis illis, Ordinis nostri rationes describemus. Quod ad primam objectionem adtinet; incipiamus de *Honore*, in quo exponendo magis sequemur sententias omnium temporum, nobilis-

simumque naturae humanae adpetitum, quam nostram ipsorum opinionem. Qua re probe declarata, reliqua suapte sponte se confirmabunt.

Atque primum quidem sensus honoris et ornamentorum ejus, vi cujus homo praestat ceteris animantibus, et vir melior homini vulgari; hic sensus, quo quis est cultior et elegantior, in eum eo vehementius dominatur. Contemtum vero nemo homo, ne abjectissimus quidem, sine gravissima animi aegritudine ferre solet (ut vel in infantibus observare licet); quoniam eo natura ipsamet humana consceleratur; dum reprehensionem justam non solum ferre quisque solet; sed per eam honoris etiam sensus acuitur, eodem modo, quo nimia laudatione hebetatur. Nihil divitias censet sapiens, quas cum honoris jactura parare sibi debeat; ac homines adeo inculti hoc idem confirmare solent. Quod vero solus potest nobilissimus quisque, id esse credimus, ut rebus etiam necessariis carere, nunquam honore velit. Reliquis etiam animi libidinibus plane extinctis, honoris adpetitus et verae gloriae viget, hominemque singulari quodam numine attollit. Ille est unus et uberrimus fons, e quo omnes virtutes quasi irrigantur, vitaque exanimata reflorescere, fracta repuerascere solet. Habet gloria et honestas tantam similitudinem, ut qui honorati sint, ii beati esse videantur, et qui inglorii, miseri. Qui autem miseri sibi videntur, nec de sua, nec de aliorum perfectione solliciti sunt. Quum denegata gloria sit dehonestatio, eaque acerbior, quo quis doctior et dignior eâ adficiatur : honoris privatio privato dedecus, privanti crimen aeque putanda est. Attamen negare honorem non tam est acerbum, quam negligere honore dignum; quoniam *in hoc* inest aliquid doli et fraudis.

Distinctionum adpetitus a sensu Honoris *qualitate* quidem differt : verum hic nihil est, nisi illis utatur ducibus; atque potestatem suam ne manifestare quidem potest absque publicae existimationis signis. *Ornamenta* sunt habitus, quo indutus, *in praesentia*, honor incedit; quae *futuris* temporibus diffluunt per aethereum corpus *famae nominis;* unde honor ipse e *praeteritis* aetatibus nutrimenta capit et incrementa. Tanta est, profecto, gloriae immortalis cupido, ut saepe unicum sit egregiorum factorum incitamentum, unica ad virtutem dux. « Vult autem duci ad virtutem genus hominum. Ad eam non ducitur; nisi via sapientiae : sapientia denique nihil aliud est, quam in se perfecta et ad summum perducta natura (ut aliquo loco ait *Cicero*) ». Igitur colere naturam hominis idem est, ac eam ducere ad virtutem : colitur autem optime existimationis honore et gloriae

signis. (Exempla vide apud Corn. Nepot. *Thrasyb.* c. 4. *Miltiad.* c. 6.). « Hoc unicum *studii proprii* genus (secundum Richterum), quo homo cupit potior esse reliquis, cum non *auferat*, sed *largiatur* — non ut *data recipiat*, sed *se dedisse agnoscatur*; igitur ut *apocham* quasi pro *dono* nanciscatur, seu pro *debito*, humanitati soluto — hoc studium non solum non reprobandum, sed unicum est, quod in homine ferri queat : eo magis, cum in societate humana omne studium singulare in totalitate civitatis intereat. » Quae si sua etiam causa agat honor; tamen simulac incitat ad benefaciendum, ab omni lucri studio alienus putandus est. Est ille aetheri non absimilis, qui, ut ille, qui in natura cernitur, fecundat; verum quo non magis carere vita mentis potest. « L. Sicc. Dentatum, ob insignem fortitudinem adpellatum esse Achillem Romanum comperimus. Pugnasse is dicitur centum et viginti proeliis; cicatricem aversam nullam, adversas quinque et quadraginta tulisse : *coronis* esse donatus, *aureis duodeviginti, obsidionali unâ, muralibus tribus, civicis quatuordecim, torquibus tribus et octoginta, armillis plus centum sexaginta, hastis duodeviginti* : phaleris idem *donatus est quinquies viciesque : triumphavit cum imperatoribus suis triumphos novem* ». Certum autem est, eum coronam decimam et octavam non *meruisse*, nec reliqua honoris insignia, nisi fuisset, opportuno tempore, *donatus* primâ. Benefactorum enim conscientia non omnia efficit.

De qua re audiamus *Ciceronem* (De Rep. VI. 1): « Quamquam, ille ait, sapientibus conscientia ipsa factorum egregiorum amplissimum virtutis est praemium; tamen illa divina virtus stabiliora quaedam et viridiora praemiorum genera desiderat. Quae tamen ista sunt? (ait Laelius). Tum Scipio : Patimini me, inquit, quoniam tertium diem jam feriati sumus .... ». Sed jam nobis silet palimpsestus, nec reddit Scipionis seu Ciceronis responsum. Quod tamen ex ejusdem libri (c. 12. 13. 14) reliquiis potest quodam modo effici. Cur autem non vani honores impertiendi sint viris, de civitate et humanitate bene meritis, sed veri et eximii; de ea re velim legatur *Symmachus* (Ep. X. 32). Si Cicero stabilioribus praemiorum generibus intelligit *immortalem bonorum vitam* [ut cernitur e Lib. VI. Reip., ubi ad haec efficienda Somnium Scipionis integrum a magno viro compositum prostat : cfr. Nectarius ap. *Augustin.* Ep. CIII. Cic. ad Attic. X. 8; quam Lactantius quoque (Inst. III. 12) *summum* et *unicum bonum* esse dicit; ex illa plane illius philosophiae sententia, quae *vitam totam commentationem mortis* esse adfirmat]; nobis videtur, *famam diuturnam* esse quasi *gustationem vitae immortalis* atque conditionem, sine qua illius vitae notitiam haberemus

nullam. Illa autem bonum est, quod homo homini, *dum vivit*, multam partem suppeditare potest; quo accepto bene meriti, aucta potestate sua, *aequalibus* fieri salutares non nequeunt.

Quodsi igitur, sapientum sententiâ, *aliquem immortali gloria dignum esse*, jam nunc, symbolo qualicunque enunciaretur: meritissimi quique ea sola re magis se honoratos esse crederent, quam si reliqua bona, cumulata, ipsis contigerint; atque illud symbolum, illud Ordinis Equestris insigne, majora mira efficeret, quam omnes antiquorum statuae, lauri, coronae et triumphi. Ut igitur immortalitatis ardentissimo desiderio tenetur mens humana; ita non minus in eam adpetituum omnium nobilissimus, honoris et gloriae (unde illa terrenarum rerum contemtio in Somnio Scipionis), tanquam agnitionis necessariae divini ingenii hominis (CIC. De Rep. VI. 17), maxime convenit. Honoris ornamenta homo non solum jure potest adpetere; sed debet etiam; quoniam iis exprimitur agnitio individualitatis ejus.

Absque hoc propriae existimationis sensu, quid de Graecis, quid de Romanis factum fuisset? De illis forte miserabiles opifices; de alteris frigidi ferocesque generis humani oppressores; quorum tota historia ne unum quidem virum magnum ostenderet, qui tempus illud cum humanitate conciliaret. Quin, Orientales adeo aliquem propriae existimationis sensum habent; quem saltem eo manifestant, cum honorificum credant, Magno servire Regi. Nonne reges Persarum suos quoque habuere *libros et amicos regios?* Differunt tamen, temporum rationibus, inter se maxime HONORIS et GLORIAE adpetitus et SENSUS honoris. Orientales et infantes ternis illis sunt destituti; quoniam omnia referunt ad *patrem* et *dominum*. In Graecos dominabatur GLORIAE *Cupido*; in Romanos *Studium* HONORIS [Scipio Africanus intuitu imaginum Majorum commovebatur (SALLUST. Jug. 14); immo vero etiam trahebatur ad SITIM *honoris* et ADPETENTIAM (CIC. De Off. I. 30]. Aqud recentiores, i. e. Germanicas gentes, *Honoris* SENSUS et CONSCIENTIA, *famae pudor*, i. e. *gloriae* ET *honoris* COGNATIO, indivisa est, ut causa et effectus, ratio et sequela.

Sed quae hîc edisserimus, eruditi melius etiam sciunt; rudiores melius scire saltem opinantur. Hanc sententiam tota antiquitas tuebatur, neque credimus, inveniri aliquem recentiorum, nisi ille omnem humanitatem abjecerit, quin nobiscum consentiat. Cur autem? Quia inest in quovis homine, et in ipsa quoque natura inerti, ingeneratum perfectionis desiderium; cui nihil placet dimidium; quod laeditur omni imperfecto; igitur

non minus violatur justo honore ipsi denegato. Verum ob eandem causam idem desiderium alios quoque homines imperfectos esse non sinit: eos non erudire tantum et ad meliorem frugem adducere; sed etiam iis exemplum esse, cujus intuitu ad rem quamvis bonam excitentur, vehementer studet. Quod nemo efficere potest, nisi ipse sit agnitus ab aliis et honoribus insignitus. Omnino Virtus et Honor comites esse solent; atque Marcellus ille vetus prudentior erat Pontificibus, cum, vetantibus hisce, Virtutis et Honoris templum idem esse vellet.

Quibus rebus allatis hoc *maxime* voluimus indicare: *Robur* illud *Ethicum* et *Pulcrum Morale* esse perfectionis humanae elementa. In iis primum locum tenere *Honorem*, quem mater genuit *voluntas constans et ad illud directa*, quod *justum* est. *Probitatem* et *Veritatem* sententiarum et actionum non esse nisi Honoris fructus, qui maturitatem suam ab illo solo repetant. Inde vero nasci *Contemtionem* eorum, *quae his virtutibus adversantur* et *opinionum; justam* quoque *sui aliorumque existimationem perfectamque omnium aequalitatem a cunctis agnitam*. Ex his unâ omnibus procreari *judicium* magis indies *excultum boni verique* atque continuam progressionem anquisitionis in illo innixae. Hac anquisitione ita perfici illas virtutes, donec culmen adtineant *Justitiae idealis;* quae in *caritate* et *beneficentia*, in *lenitate* et *tolerantia*, in *emendandis aliorum mendis* cernitur, in *vitae concentum* traducitur, talique modo *veram humanitatem* conficit. Interea homo his studiis numen divinum in se et in aliis simul investigat; inane et pusillum individualitatis studium evanescit; e singulis, antea sejunctis, unum totum enascitur indivulsum. Verum enim vero Robur illud Morale abiit, Pulcrum Ethicum per nebulas diffluxit; quia superbus notionum dominatus vitali ideae renititur, ille, qui non coronas proponit bonis actionibus, sed poenam sceleribus; igitur eum laudare videtur, qui *non committit vitia*.

Hac tempestate deest honori *corpus;* quapropter ille non adparet; quod est idem, ac si omnino non sit. Praestabant ea re veteres nobis. Ne de Persis dicamus et aliis, Hebraei certe, qui viros, qui e servitute vindicaverant populi tribus, non solum ipsos, sed totam gentem eorum, cognatos et adfines honoribus ornavere summis. Sic apud Graecos, qui in Ludis Olympicis aliisque victorias reportaverant, non ipsi soli, verum parentes etiam et gens tota et civitas patria laudibus celebrati sunt. Nos vero, qui majores etiam heroas et habuimus et adhuc habemus, nos laudibus chartaceis persolvimur; quarum nemo ignorat vile pretium: deinceps oblivioni relinquimus magnos

viros, seu eis succensemus adeo, quod non majora mira pro charta signata effecerint. « Non unus tantum Alexander queri jure potest, quod Homerus ipsi non contigerit et maximorum quorumque plurimi Plutarcho carent suo. Plutarchum date magnis mortuis; laurum vivis egregiis : tum, quanto nos simus pusillis Graecis grandiores, intelligetis. Absque lauro deficit vis vitae et vigor, qui homini est innatus; atque donum naturae coeleste vapidum insulsae vitae vulgaris frigus subit, corpusque evadit fatuum absque anima inhabitante. Deum secuti ducem (sunt haec RICHTERI verba) omnes homines dei fierent : sublatâ autem de pectore verae magnitudinis effigie, templum simul et ara et reliqua collabuntur ». Si vero summi cujusque ingenium nutriverimus e fonte Honoris, tum semini illud simile erit, a juventute humana terrae mandatum, quod senibus accrescet in arborem, cujus sub umbra posteri delectabuntur.

§ XVII. DE INSIGNIBUS HONORIFICIS, HONORI NECESSARIIS.

[*Continuatio Paragraphi superioris*].

Quodsi igitur, ut credimus, satis probavimus, Honoris studium naturae humanae ingeneratum esse (totam enim antiquam aetatem de ea re nobiscum consentire, nemo nescit; nemo etiam a nobis postulabit, ut auctorum nubem, ad eam rem confirmandam, sigillatim excitemus : conferri tamen potest F. J. DUMBECKII *Clio*, Dial. II. praes. c. 1 sq.); non minus per hoc totum opus demonstravimus : *Honorem principium esse Temporis Recentioris seu Aetatis Germanicae, ac unicum virtutum laudatarum parentem*. Pariter a nobis argumentis effectum est, ut videremus : *Honorem, tanquam Caritatem et Justam Existimationem omnium, ipsius adeo Christianae religionis partem esse praecipuam : non minus rerum publicarum, monarchicarum scilicet, recentiorum propriam indolem sistere; totamque civitatum synthesin tueri*. Quod si verum est, consequitur necessario : Honorem esse in quovis agnoscendum. A qua tamen necessitatis convictione tempus recentissimum paullulum recedere videtur; qui tepor inde repetendus est :

I. Quia honore dignus saepissime ejus agnitionem ambire debet : sexcenti tamen, et ii quidem nobilissimi, vel carere eâ, quam eam emendicare malunt.

II. Quia credunt, *honorem sibi ipsummet sufficere*; quod verum est : *et eapropter per se quaevis efficere*; quod est falsissimum. Qua enim re incalescat homo, nisi alterius existimatione; et quomodo hanc reperiat, cum ea non adparet publice ?

III. Quia, quo quis est vilior et adrogantior, eo audacius virtutis praemia adpetit et, non raro, variis artibus consequitur : qua re ipsummet distinctionis et ornamentorum pretium, judicio bonorum, vilescit.

Si igitur honor suâ virtute caret, cum non est agnitus (ut fere jus nihil est absque securitate jurium); qua tandem re hodie cernatur bonorum existimatio, ubi non amplius universi populi convenire solent, ut viros laude dignos laudibus etiam adficiant seu coronis ornent? Hodie, inquam, ubi laudandorum virorum tanta est frequentia, ut ne ipsi quidem sibi veniant in conspectum. An forte *nominibus* et *titulis honorificis* illa consistat? Perperam! Quis enim est homo, qui, absque ullo signo, alterius adspectu sciat, quo ille *nomine* peculiari sit insignis; cum ne veste quidem ille utatur cum titulo congruâ? Porro in ipsa Germania quae (quod est maxime significans), instar omnium, titulis abundat; quid ibi efficiunt hi tituli? Nonne iidem tam sunt usitati atque communes, ut magis miremur virum, qui non habeat, quam qui iis sit cumulatus? Verbo : frigida illa nomina vim habent jam nullam; quoniam quisque sibi persuadet, eum, qui *nomen* ejusmodi habeat, minime *esse*, qui adpelletur. Quare plurimi principes sapiente consilio id agere coeperunt, ut non amplius nominibus, quae nimis *definiunt* rem certam (et eapropter nimis manifesto mentiuntur); sed *Insignibus Equestribus* distinguerent viros bene meritos, doctos, sapientes; quae insignia, quod est maxime universale, idem maxime generaliter, igitur aptissime indicant.

Verum Ordo hic noster, magis definiendus, id ipsum exprimat, quod *Literatorum hominum* conditio suadere videatur. Quae cum ita sint, Ordo quidam coetum omnium Literatorum amplectens, necessarius est:

I. Ut illi, *quales* sint, tales ab omnibus et coram universis censeantur.

II. Ut uno vinculo universi, ubicunque sint, copulentur.

III. Ut mutua necessitudine inter eos institutâ, vicissim se ipsi erudiant; dato exemplo honoris, in iis agniti, alios quoque incitent, ut pari studio eodem honore se dignos reddant. Verum enim et Pulcrum et Bonum immensam vim suam in homines nobiliores tum potissimum exercent, cum exemplorum universalitate sublevantur : atque tum praeprimis trahunt ad imitandum, cum ut personae indicantur, i. e. cum in *singulis* hominibus abparent. Tum enim homo et oculis videt et manibus comprehendit Virtutem, corpore repraesentatam; simulque nanciscitur certitudinem, sibi, licet singulo,

idem efficiendi copiam esse. Unde facile cernitur, quam immensam potestatem in homines literatos Ordo Equester exercere possit, cum Virtutem *singulorum* et praebet et testatur. Haec etiam causa est, cur *Vitae* (e. g. Plutarcheae) tam sint in lectorum animos efficaces; cur etiam *Historiae Singulares* ad discendum sint utiliores Historiâ Universali; cur denique *Historia Patria* summi sit in populares momenti. Propterea, quod exemplorum potestas tam immensa est, efficitur, ut tanta, nonnunquam excellentissimorum, virorum copia omnium ordinum *simul* et *unâ* exsistat: ut Periclea tempora et Augustea et Medicaeorum et Ludovici XIV et Friderici II, ac non minus, nuper admodum, Aula Ducum Saxo-Wimariensium, Divae Amaliae numine et auspiciis, abunde probant. Ejusmodi viri, si improbi sint et ipsimet corrupti, iidem totum saeculum suum corrumpent: sin vero sint probi et virtutis amantes, aetatem totam erigent atque ad virtutis studium adducent. Verum illi aut mali erunt aut boni, quatenus populi, ad quos pertineant, desierint esse mali bonive; quatenus servitutem seu libertatem nacti fuerint; quatenus populorum educatio neglecta, seu ipsi fuerit prospectum; quatenus gens quaedam minus egerit, quam scripserit, seu, cum bene scriberet, male egerit (ut ait RICHTERUS). Quae res cum adversetur ipsimet naturae humanae et graviter consceleret divinum in homine numen, quisque videt, id esse inprimis agendum, ut honoribus condecorentur ii, a quibus bona seu mala populorum institutio maxime pendeat.

IV. Ut honor ipse eo adpareat nobilior, quum non semel et in singulum, temere, collatus sit, sed pertineat ad omnes; quin cuilibet, indistincte, projiciatur. Peropus esse, profecto, credimus, intelligere, hominem, si quid esse velit, non sibi velle et in sua opinione (hoc enim satis esse possit *conscientiâ* virtutis), sed aliis potius et ex illorum sententia. Ac eapropter Ordo honorificus non erit « distinctio PRAE ceteris et *superba* SUPER reliquos sublatio; sed multo magis (teste eodem) *indicatio* et *vicinitas gradus perfectionis majoris* ». Unde maxime significanter CLIO non solum *praeteritarum* rerum (Historiae) Musa est, sed etiam *Gloriae immortalis*, qua praeterita cum futuris conjunguntur. Haec autem tum tantum immortalis esse censetur, cum a communi utriusque Cliûs et omnium Musarum parente, a Sapientiae Antistite probetur *Apolline*.

Egregium virum *mortuum*, quem *vivum* vix adspectu nostro dignum habuerimus, laude cumulare, cum injustum est, tum ineptum, tum noxium. Primum enim nihil ipse ex ea utilitatis cepit; sed multum aegritudinis

hausit e contemtu et negligentia sui : id quoque passus est, ut nihil sublevatus, non etiam posset, fracto pectore, totam praesentiam et aeternitatem ingenii viribus amplecti; igitur non id praestare aequalibus, quod et potuisset et voluisset. Potest enim honoris testificatio mentis (praesertim Literati viri) medicina haberi; qua ille eo minus indigere debeat, quo magis corporis valetudine carere solet. Deinde ex illo honore serotino *aequales* quoque nihil hauriunt, praeter notam dedecoris, quod non opportuno tempore illum ornarint; atque praeterea damnum, quod non ipsi possent laudati viri, dum viveret, confirmari virtutibus. *Posteri* denique nihil inde nanciscentur, praeter indignationem, quam patrum ingratorum incuria in iis excitare debet; sive etiam parvam habebunt fiduciam ei, quem nihil aestimavissent aequales : unde iis quoque damnum exsistet, quod e neglecta seu non intellecta existimatione bonorum oriri solet; denique persuasio injucunda, fore, ut ipsimet, si qui excelluerint inter suos, sortem patiantur eandem.

Ordine autem instituto atque optimis quibusque in eum arcessitis, quisque ab ingrata oblivione salvaretur. Accedit singulare incitamentum eorum, qui hoc Ordine fuerint exornati. Nunquam enim quisquam, tanto honore dignus, eo donabatur, quin magis vehementiusque incenderetur, ut omnes vires arctius intenderet, quibus illo se in dies faceret digniorem: (tituli soli *Academici*, quia plurimam partem non merentibus dari et profundi etiam solent, omni tempore ad desidiam et negligentiam traduxerunt). Quum enim jam caeca quaedam nostrarum actionum imitatio tantopere nobis placeat; quanto magis erigi debeamus agnitione praestantiae nostrae, a magnis viris probatae et prudenti consilio et considerate nobis concessae! Quod gaudium nostrum eo etiam purius erit, si nostrae actiones bonos fructus tulerint. Immo vero, cum (nisi rudior illa sit) adulatione quoque delectemur; quanto jucundius justae laudes, quae difficiliores sunt cum ad merendum, tum ad impertiendum, nos pellicere debeant? Hoc in prudentes aeque viros ac in vulgus cadit. Sed in doctos et literatos, qui per se jam satis aegre in scenam prodire solent, cum nihilo secius summo jure, meritorum splendidissimorum causa, censendi sint atque libera contumacia se inferre possint; in hos, inquam, viros hoc ornamentum honoris mirifice dominaretur. Praeterea hoc debitum est, ipsis prae aliis solvendum, et necessario quidem, ut sanctissimum terrae bonum, quod illi colunt et repraesentant, non ipsimet dedignentur.

CAPUT II.

DE ORDINE IPSOMET.

§ XVIII. DE ORDINIS EFFICACIA, EJUSQUE IN NOSTRUM TEMPUS CONVENIENTIA.

Nihil jam impedit, quominus nos ad Ordinis descriptionem conferamus; quod igitur faciemus, simulac de Efficacia ejus, quae superesse videantur, atque de ejusdem cum nostrae aetatis ingenio Convenientia paucis dixerimus. Post ea, quae adhuc protulimus, superfluum videtur, Ordinis institutioni apologiam praemittere. Attamen, ut nos Jureconsultis commendemus, in patrocinium advocare liceat exscriptam e Codice Theodosiano (XIV. I. 1) Constantini et Juliani sententiam : quae ipsis eo magis placebit, cum sibi persuadent, eam legem in ipsorum favorem fuisse latam. Sunt autem hujus legis verba haec : « Ne literaturae, quae omnium virtutum maxima est, [varia enim lectio (ap. AUGUSTIN. De Civ. D. XIX. 3) « virtutum magistra » nobis etiam est salubrior] praemia denegentur; eum, qui studio et eloquio dignus primo loco videbitur, honestiorem faciet nostra provisio ! » Non desunt loci, aeque nobiles, aliorum auctorum, quos adducere in usum Poëtarum, Historicorum, Philologorum et ipsorum adeo Philosophorum et Medicorum possimus, nisi hos elegantius de ea re statuere manifestum sit. Si quis ceterum *causam Rationis calidam* defendere adversus *frigida Intellectûs studia* vellet; is idem efficeret, ac si furioso cani ratiociniis probare institueret, non esse mordendum, quia posset exinde calamitas exsistere, cui coram deo hominibusque praestandae impar foret — canis. Omnino, qui Tempus Recens intelligit, nulla apologia indiget; qui vero etiamnum veteribus inhaeret saeculis, is considerandus est, ac si omnino non sit.

Fieri tamen non potest, ut hac tempestate lauris cristati incedamus : verum, quod omni tempore praestat, obtemperandum est aetatis ingenio. Quo intuitu *Ordinem Equestrem* et *Insignia cum eo convenientia* proponendi animus est. In qua re sapientissimos quoslibet principes sequimur duces. Tempus est, quo, recte quidem, belli ducibus et regiis ministris *Principum nomina et honores* tribui, i. e. quo summi optimique viri summa quaevis et nobilissima nomina nancisci solent. Tempus est, quo non solum, Germanorum veteri more, Signa rerum bene gestarum in Clypeis repraesentantur, aut gesta majorum in Scutis Heraldicis, memoriae et gloriae causa,

coloribus exprimuntur (licet hoc quoque nostrae sententiae adstipuletur): sed tempus quoque, quo Principes praestantissimum quemvis literatorum, ubicunque is tandem, indigena an alienigena, inveniatur, nobili concertatione Ordinum suorum Insignibus nobilitare consueverunt. Quis vero hoc nostram aetatem docuit? Ipsa sese, citra alîus auxilia! Verum ipsamet vicissim a se potest discere : nihil unquam efficacius esse; nihil ipsimet fuisse unquam utilius. An igitur eadem nunc, sibimet invidens, irascetur atque reprobabit leges sapientiae suae, quae non solum nondum inveteratae sunt, sed nunc maxime efflorescere incipiunt : an forte illarum efficaciam imminuet; ubi cum cultûs progressu honorum impertiendorum necessitas indies augetur? Hac certe conditione ipsa non modo in veterem quoque insaniam recideret; sed insignem sibi perniciem pararet. Nemo autem graviores stultitiae suae poenas luere, quam tempus (quod se devorat ipsum); constat: quoniam in neminem committi crimen majestatis funestius potest : *quod est in proprietatis et naturae, igitur progressionis, suae extinctione.*

His rebus satis nos probasse credimus, Ordinem Equestrem nostrum cum ingenio aetatis, quam vivimus, esse congruum : igitur non ridiculum; verum, cum honores adhuc usitati salutari vi sua carere jam videantur, necessarium. Quam rem, age, porro dilucidemus. Quam mirifica principes, datis ejusmodi Insignibus, effecerint, verbis dici non potest. Iniquum illud intolerantiae studium, odium, invidia, incastae libidines, intemperantiae adpetitus, innata gentibus barbaries, ferox Equitum fortitudo et alia vitia, ad quae rudiorem quemvis natura inculta ducere solet; haec et plura alia sacris quasi signis delebantur illis. Dubium igitur nullum est, quin in literatorum civitate, in qua tam multi vultus severiores ad humanitatem adhortari, tamque egregiorum hominum mentes et oculi in unum intendi solent, menda corrigi, vitia evelli, cupidines incastae omnis generis perdomari queant. Malus enim incontinentiae daemon, ubi furores exercere suos nequit, clam abire solet e societate bonorum, ipsi tam infestâ. Nec etiam ille vinciendus; non danda solum est huic hosti via fugiendi, sed etiam munienda : nec denique fugienti pertinaciter instandum, sed bono exemplo renitendum est malo, ut cum omnibus simul protervarum libidinum sociis aufugiat : sicut a Catilina factum esse scimus, qui Romam, quam incendere nequibat, clam reliquit cum suis.

Nemo est tam imperitus, ut nesciat, quam eximiâ, quam salutari potestate honores fuerint et insignia in Equites medii aevi; qui illo honoris

sensu animati acrius etiam propugnaverunt adversus insitos, quam exteros hostes. An forte illa Fides, Constantia, Probitas et Aequitas minoris erant pretii, quam celebrata eorum fortitudo manûs? Quid, quaesumus, *Societas Aquilina*, saeculo decimo fere medio, solenni illo : *Bene Facias!* Quid adversus Mauros *Alcantarensium Ordo*, saeculo duodecimo? Quid *Ordo Divi Andreae* Russicus, *Templariorum*, *Joannitarum*, *Melitensium*; quid, sub nostris adeo oculis, *Ordo Legionis Aquilinae* seu *Honoris* Gallicus, et nuper admodum, *Crucis Ferreae* Borussicae insignia effecere! Quibus enim aliis Insigne *D. Annae* dabatur, quam *Amantibus Justitiam*, *Pietatem*, *Fidem*? Pariter *Ordo Argonautarum* constitutus est contra *Nobilium Inimicitias*. Ordine *Ocreae Aureae* ornabantur ii, qui *Institutionem Juventutis Militaris* curabant. Alii erant *Pro Fide et Patria;* omnes *Bene Merentibus* propositi. Verum Ordo *Christianae Militiae* non aliud habuit consilium, quam *Pacificatoris Principum* et *Captivorum Redemtoris*. Porro potestne praemium cogitari nobilius, quam quod *Pro Fide Germana*, saeculo decimo et septimo, statuebatur? Ordo denique *Fidelitatis* Badensis *Pro Fide*, *Integritate et in Bibendo Temperantia* nostri Ordinis exemplum esse rite potest. Nobis enim propositum est, incontinentiam sitis cujusdam literariae cohibere, inopiae fidei eruditorum literatae et integritatis philosophae et theologicae resistere, inimicitias inter principes eruditorum conciliare, mente captos e servitute vindicare nigrasque animas e sacro Scientiae orbe expulsare. An forte crediderítis, nostrum saeculum virtutibus esse pauperius saeculis obscuris aetatis mediae; sive ad eas adtinendas minus idoneum antiquis : cum praeterea metam nobis multo longinquiorem, consiliumque sanctius ad consequendum proposuimus, quam quod mente sibi effingere potuissent veteres?

Sed haec duo sunt praeprimis tenenda; Alterum : Consilium Ordinis tamdiu nos consecuturos esse, quamdiu omnibus viribus intentis id voluerimus : plurimos autem idem tamdiu sectaturos esse; quamdiu justo moderamine fuerint usi; quamdiu Ordo ipse ideâ suâ fuerit animatus. Alterum : Nullum unquam Ordinem quae velit praestare posse, qui non ita sit institutus, ut non solum memoriam tueri praeteritorum; sed simul etiam praesentibus praemio et futuris incitamento esse possit.

§ XIX. ORDINIS EQUITUM APOLLINARIUM RATIO ET INSIGNIA.

Reipublicae Literatae *Civibus* nomen sit EQUITIBUS. Ut illa bifariam distribuitur in Civitatem Literatam Universalem et Academias Populares; eodem modo *Ordo Equester* in *duas* PARTES dilabitur *majores :* quarum prior *Equites*

Apollinares, posterior *Equites* Academicos complectitur. Quemadmodum Civitas Literata civibus constat, qui *Praesentiam* colunt atque sistunt; aliis, qui *Praeterita* cum *Praesentibus conjungunt;* aliis, qui, quae sunt et fuerunt, cum iis connectere cupiunt, *quae sunt futura :* ita Equites *Apollinares* dispescuntur, primum, in *duas* Classes, Minorum et Majorum Gentium : quae distinguuntur per Gradus *tres;* ad quorum *infimum* pertinent omnes, qui, *minorum gentium*, proprie vocantur Equites, *Viri Nobilissimi*, *Reipublicae Literatae Cives Honestissimi*. Duo reliqui gradus sistunt Equites *Majorum Gentium :* quorum *inferior* continet Decuriones, *Viros Illustrissimos;* e quibus eligendi *Magistratus Reipublicae Minores*, qui adpellabuntur *Eximii*. Gradus *superior Equitum* Praefectos praebet, quibus, ab Insigni, nomen est Stellatis, *Viris Praestantissimis*. Ex his *Magistratus Reipublicae Majores* sumentur, ab Insigni cognominandi Equites Torquati, *Viri Magnifici*.

Omnis Sapientiae, igitur Scientiae humanae, exemplar APOLLO est; qui Astra regit et Solem per duodecim Signa ducit, lumineque placido illustrat et perfundit Planetas omnes : qui denique ordinem illum coelestem et harmoniam sphaerarum efficit et servat. Quapropter Literatorum civitas nominatur Ordo *Equitum Apollinarium*. Elementum civitatis nostrae *Lumen* est, Equitumque pugnae adversus tenebras geruntur : unde *Ordo* illorum dicitur Splendidissimus. Est tamen Apollo ille caput invisibile, repraesentatum inter homines, lucis studiosos, ab Equite, Rectore civitatis literatae; qui rite vocatur *Equitum Apollinarium* MAGISTER, *Vir Splendidissimus*, *Rei Publicae Literatae* Praesul *Eminentissimus*. — Insignia Ordinis, quibus a se invicem distinguuntur Equites, duplicis generis erunt : Signa Honoris et Vestis Equestris. Illa et haec cum re et tempore *congrua* atque simul, tanquam symbola praestantiae interioris, *significantia* sint oportet.

A. *De Signis Equitum.*

I. Insigne Equitum *Academicorum : Crux aenea; septenis ramis bipartitis*, *marginibus et globulis argenteis ornatis*, *serto querno argenteo junctis*. *Scutum*, in parte anticâ, *globiforme ; inscriptis lineis argenteis* (circulis polaribus et aequatore); *cum lemmate epigraphico argenteo* : ʽΟΙΚΟΘΕΝ ΜΑΤΕΥΕ. In posticâ *: planum*, *cum laurea argentea*, *circumscripta verbis* : ACADEMIA. . . (e. g. BELGICA). *Totum*, *coronâ exornatum argenteâ*, gestatur *in sinistro pectore*, *e noduli fissura suspensum ; lemnisco*, *undulato*, *digiti unius*, *populari* (cujusvis civitatis) *colore distincto*, *limbis fasciato extremis amarantinis*. Symboli interpretatio haec : Planetae (res extra nostram terram

positae) septem, quisque in se distractus et quasi in duas partes (globulos) clausas abiens; omnes ad hanc terram relati, e qua nostra studia ordienda sunt, et in quam proxime sunt adhibenda. Terra, globus *dimidius*, *singularia* Academiarum studia indicans, cum quibus ex Pindari sententia illâ incipiendum est, lunaribus tenebris, imperfectis scientiae progressibus, obnoxia; exterius tamen placido lumine Solis irradiata; ab Equitibus, duce Apolline et Civitate Apollinari, cujus symbolum *occultum* est Laurea, magis magisque collustranda. Color lemnisci nationem indicat, intra cujus terminos Academia continetur; corona regia principium tuetur, Academiam a majestate principis pendere: limbus Amarantinus, symbolum immortalis gloriae, simul veritatem exprimit: Academias perfici non posse, nisi unitate et arctiori consuetudine cum Ordine Apollinari initâ. Corona querna paemium significat, ob *patrias* virtutes acceptum.

II. Insigne *Apollinarium* EQUITUM: *Crux formae et magnitudinis ejusdem; sed colore candido, encausto picta, globulis et marginibus aureis.* Praeterea: *inter ramos septenos totidem sagittae argenteae; inscriptâ in circulo argenteo, quo sagittae et rami copulantur, literâ* Δ (Dionysi-Apollinis), *septies repetitâ.* Scutum: *rotundum et planum, circulo aureo marginatum*; solum, in anticâ, *amarantinum; epigramma aureum:* ΘΗΡΑΜΑ ΚΑΛΛΙΣΤΟΝ ΒΙΩι. In posticâ: *caeruleum, cum lauro viridi.* Gestatur ut prius, *suspensum a lemnisco undulato pollicis unius, coloribus arcûs coelestis fasciato.* Pro corona *semicirculus argenteus.* Hi enim Equites, qui non ipsi pendent a singulis Principibus, sed proxime ab universo Ordine, candido colore *lucis cognationem* exprimunt; quae ipsis contigit aureis radiis, ab Apolline, magis agnito et *certa* (viridi) spe quaesito effusis. Attamen adhuc contrariis distrahuntur studiis (sagittis), quae non nisi immortalis (amarantinae) gloriae desiderio unâ, ac moderamine *firmo* (caeruleo) altera ex parte, beneficio Dionysi-Apollinis, ubique praesentis, continentur: qua re, quae promissa sint (arcu promissionis), ea aliquando se nacturos esse confidunt.

III. Insigne DECURIONUM: *idem, solo paullo ampliori;* pro sagittis *anchorae aureae; rami circulo aureo colligati, in quo septem vetustorum Planetarum signa conspicua. Solum,* in posticâ, *Stellam Apollinis monstrat, duodecim radiorum. Insigne a collo suspensum, fasciâ pollicis unius cum dimidio.* Reliqua eadem. Hi Equites ad conscientiam sui traducti (conversae enim in anchoras sunt sagittae) ad ampliorem rerum cognitionem pervenerunt,

singula sigillatim (Planetas singulos), duce Stella Apollinari, agnoverunt, eaque conjuncta; quin tamen ipsis universa synthesis rerum (*omnium* Planetarum) contigerit.

IV. Insigne Praefectorum : *Crux eadem, soli tamen orbe denuo dilatato; pro anchoris flammae aureae. Quatuordecim rami jam penitus uniti circulo aureo; in quo signa Duodecim Planetarum recentiorum, et* Δ *Apollinis, vinculum omnium, superne, conspiciuntur*. Postica habet *Lyram Apollinis trium chordarum, auream*. Praeterea, *in sinistro pectore, in veste, Stella argentea, acu picta, crucis formam referens ejusdem, interspersis inter septem ramos flammis aureis; cujus area, caerulea, Tauri symbolum Apollinis, inque capite Tauri saltantes Gratias, micantibus septem in aëre stellis, ostendit. Circum aream epigramma solitum*. Ab hac stella nomen illi sortiuntur *Stellatorum*. Hi igitur, penitus perspectâ rerum synthesi, lucem ipsimet effundunt in alios quoque, splendidissimi, atque harmoniam sphaerarum mente animoque intelligunt et contuentur, lucidaque Gratiarum sidera ingenio rebus subacto percipiunt.

V. Insigne Magistratuum Majorum. Qui tam magna adepti fuerint, certe rebus aliorum optime prospicient eosque, tamquam ad Lyrae concentum, regent. Ex iis igitur *Magistratus* Reipublicae *Majores* eligentur. *Insigne eorum idem. Circulus autem, ramos conjungens, interius positus, et in utraque parte senas stellas ostendens, flammas aureas crebriores effundit*. Area *Stellae, in veste pictae, amplior, caput Apollinis sistit, spicis aureis ornatum : epigramma circumdatur solo amarantino, laureato* et *spicato. Lemniscus, trium digitorum, ab humero dextro in latus sinistrum descendit. Gestatur ornamentum a Torque suspensum, semicirculo aureo annexum. Torques clypeolis constat octo et viginti, aeneis, argento marginatis, membris catenae aureis copulatis, in medio pharetrâ aureâ et lanceolis duabus ornatus, unde Insigne pendet; clausus denique scuto majori, caput Medusae gerente. In clypeolis singulis literae singulae argenteae:*

NIHIL SINE AUGUSTORUM AUSPICIIS.

Qua re palam declaratur, *Ordinem Apollinis nihil esse nec posse, nec velle citra majestatem Principum*.

VI. Insigne Equitum MAGISTRI : *Crux eadem; pro stellis, in circulo conspicuis, Signa duodecim ecliptica, aurea, sex in quavis parte expressa, et litera* Δ, *in una alteraque, adjuncta*. Antica *lemma habet epigraphicum* : ἘΚ ΚΛΕΙΟΥΣ ΚΛΕΟΣ; postica, *effigiem Apollinis. Radii aurei uberrimi totum*

ornamentum implent. Jam enim Sapientiae antistes, Apollo, e medio orbe universum perlustrans, in omnes et universum dominatur; cum scientiarum omnium unitas prostat in Historia, judice omnium, veram gloriam cunctis impertiente; quae jam radios ubique spargit largissimos. *Totum* gestatur *Torque, a quo Insigne pendet per coronam auream. Stella vesti intexta eadem, sed amplior, septemque coronis aureis tecta* (non enim *pendeat* modo, sed etiam *custodiatur* a Principibus Ordo). *Aream quasi in sinu fovet Serpens, Infiniti symbolum, squamis alternis aureis et argenteis obductus. In medio Sol et systema solare, cum Planetarum Cometarumque itineribus coeloque stellato. Inscriptio nulla.*

B. *De Veste Equestri.*

Vestis congrua sit cum Tempore nostro, cum re et dignitate Ordinis, ita, ut a forma recentissima aetatis nostrae et saeculi Ludoviciani pariter, quam a nimis inveterato ejusdem temporis habitu distet; ut medium teneat inter parum et nimis. Quod nullâ aliâ adtineri videtur convenientius, quam formâ *vestis solennis* Equitum Magni illius Maximiliani I et Caroli V; quo tempore victoriam de tenebris reportavit lux assurgens atque aevum medium transiit in saeculum politicum. *Vestis igitur sit Germanica, panno nigro, pro variis Equitum gradibus varie ornata : femorum tegumenta adstricta, et tibialia alba, panno serico densiori et collustrato : calcei nigri cum stellulis.*

I. Vestis *Equitum : in collo et brachiis lineâ argenteâ acu pictâ exornata.*

II. Vestis *Decurionum : praeterea, a summo ad imum, angustum clavum, argento intextum, habet.*

III. Vestis *Stellatorum :* pro angusto clavo, *latum.*

IV. Vestis *Magistratuum Majorum :* praeter latum clavum, *collum et brachia argento laureata.*

V. Vestis *Equitum Magistri :* pro lato clavo et lauro, *spicis aureis praetexta.*

VI. *Ephori* et *Magister Equitum : Pallio induti, holoserico, amarantino, subsutâ pelle mustelae Ermineae, intextâ in sinistro latere Stellâ. Ephororum pallium spicis aureis; Magistri vero sertis quernis, argenteis, praetextatum.*

VII. *Capitis ornamentum : Pileus, formâ fere ejus, quo Maximilianus et Huttenus ornabantur : Pennae pileum inumbrantes nigrae apud reliquos, albae apud Magistratus, majores minoresque.*

VIII. *Equites omnes Ense cincti, cruciformi, equestri : Magistratibus taenia, cum cirrho, argentea de capulo pendet.*

IX. Accedit, Magistratibus, symbolum potestatis, *cingulum bombycinum, caeruleum, cirrhis argenteis,* pro gradu majori minorive, *duplicatis seu simplicibus fasciatum.*

Ceterum nemo Eques in publicum procedat absque *Insigni;* nemo Stellatus absque *Stella.* Academici propriâ veste non utuntur; nec ii, cum quorum vitae conditione vestis priva necessario conjuncta est, ut *ecclesiastici :* hi tamen, pro veste et ense, *cingulo ornati sint bombycino, amarantino, cum cirrhis nigris.* Equites reliqui veste induantur equestri in solennibus qualibuscunque, praecipue Ordinis, celebrandis.

C. *De Insignibus Ordinis Universi.*

I. *Scutum Achillis, aureum,* quantum fieri potest *secundum Homeri descriptionem adornatum* (Il. XVIII. 478 — 607). Hoc enim Vulcani, Dei Ordinatoris, opus exemplum est Mundi Universi et mirabilis concentûs ejus (Plut. De Vit. et Poësi Homeri c. 176) : unde non inepte Ordinis nostri synthesin repraesentabit.

II. *Lancea aurea* Minervae, acuminis symbolum. Haec Insignia in pompa equestri prae Ordinis Magistro praeferantur a *Signiferis duobus, veste equestri, non pictâ, sed pileo, ornatu plumario amarantino insignito, indutis et pugione cinctis; quibus pro insigni est : clypeolus aureus, in sinistro pectore, insertâ fasciâ digiti unius amarantinâ, adfixus.* Leguntur a Magistro Equitum, cujus *Scribae* sint, ex optima juventute, ii nimirum, qui ingenii dotibus, animi virtutibus, morum bonitate et laborum diligentia et adsiduitate prae ceteris excelluerint. Alter Bibliothecae Praefectus, alter ad Legationes obeundas adhibeatur.

III. *Sigillum Reipublicae Literatae : Scutum cordiforme, tripartitum fasciâ aureâ, per medium ductâ, in qua symbolum Apollinis* Δ *aureum : solum superius amarantinum; inferius caeruleum; illud stellas quatuor, hoc tres ostendens sexangulares. Ab imo scuti ad summa latera circumductus Torques, clypeolis constans, dependente cruce Magistri. Supra torquem Ordinis epigramma aureis characteribus inscriptum, cujus ab ima parte Serpens Pythius reluctante pendet capite.* Reliqua *ambit circulus argenteus cum inscriptione :* SIGILLUM REI PUBLICAE LITERATAE ET ORD. EQQ. APOLL. Tectum : *pileo pennis inumbrato albis. Totum insigne vestitur pallio; circum-*

ductâ coronâ laureâ, insertis spicis et quernis, intra quam a dextrâ parte Minerva, Hercules Musageta a sinistrâ, Robur et Sapientia — Scuti parastatae.

D. *De Juribus Equitum.*

I. *Jus Scuti.* Scutorum exemplum est in Sigillo, quod pro Scuto universi Ordinis habendum est. Singula, cum sint pro gradu Equitum varia, describere longum foret. Melius etiam haec inspiciuntur oculis, quam describi verbis queant.

Delineationem tamen Insignium Scutorumque, ne sumtus in ea re faciendi augerentur, addere noluimus, neque quae adjiceretur, necessarium putavimus, quum satis clare ex descriptione cognosci possit. Ipsam adeo descriptionem non dedissemus, nisi aliquo modo rem finiendam, mediumque indicandum esse censuerimus, quo forte, hac aetate, res publica literarum quaedam universa exsistere et repraesentari commode queat.

II. Jus summum Civitatis Literariae et Singulorum ejus Civium eo continetur, ut ipsis sarta inviolataque servetur operum ingenii, tam magno labore et diligentia commentatorum, JUSTA ET INTEGRA PROPRIETAS; ut igitur, Principum Augustissimorum voluntate et auctoritate, a librorum suorum furtim repetitis editionibus defendatur. Nam hoc tantum modo solidiora etiam, et ea quidem pretio moderatiori, opera publicam lucem videbunt; quin auctores praemio liberaliori, librarii quaestu honestiori defraudentur.

§ XX. DE PRIMA CIVITATIS ET ORDINIS INSTITUTIONE.

I. *Cuilibet Principi*, pro potestate Majestatis, in ipso penitus inhabitantis, jus est *declarandi Rei Publicae Literatae et Ordinis Apollinaris Exsistentiam.*

II. Qui omnium Principum hoc *primus* decreverit; Is *in sua terra Civitatis Praesulis* (*Ordinis Magistri*) et *Sacri Concilii perpetuum domicilium collocabit.*

III. Eidem potestas est *eligendi* e suis, seu alienigenis, viris doctioribus *Praesulem-Magistrum.*

IV. Cui, auspicato constituto, copia *soli* tribuitur depromendi, ex omnium terrarum sapientibus, *Concilium Sacrum Praesulis;* ex optima juventute *Signiferos.*

V. Deinceps a *Magistro Ordinis* ET *Collegio Ephororum* dicendi sunt, lectione per orbem terrarum diligenter institutâ, *Equites Stellati Duodecim Priores.*

VI. Hoc modo, accessione magistratuum urbanorum Minorum factâ, exsistit *Collegium Electorum Octodecim virorum*; quibus, Magistro praeside, hae partes demandatae sunt, ut ex omnibus gentibus, *Singuli Singulos*, religiosissime adpellent eos, qui Ordine, adjecto gradu dignitatis, ipsis dignissimi videantur.

VII. Missis jam a designatis viris, ad Aedilem, operibus, iisdemque a Collegio XVIIIvirorum adcurate perlustratis; eisdem, e plurimorum suffragiis, locus honorque adcensendus est; quin cum iis communicetur.

VIII. Jam designati certiores reddendi sunt de Honore (neque vero de Gradu honoris) in ipsos collato atque monendi, ut quisque inter Literatos, ipsi praecipue exploratos, addito gradu, qui eis sit forte concedendus, lectionem instituat, sententiamque suam Aedili permittat.

IX. Quodsi hi quoque, operum concessione et probatione, Civitate digni fuerint aestimati; satis magnus erit sententiarum numerus; ex quo nunc electis omnibus Gradus Certus adscribi atque Diploma cum Insigni transmitti possit.

X. Qua re feliciter peracta, prima lectio terminata habetur; nova ante quinquennium institui nequit; atque *Rempublicam Literatam constitutam esse edicitur*.

XI. Jam Equitum Magister, declaratâ Civitate Literatâ ab uno Principe, ad reliquos Augustos se conferat, ut Illi velint declarationi Alterius adhaerere, suâque benivolentiâ rem juvare. Agnitâ a Principe, in terra suâ, Republicâ Literatâ suapte sponte *Academiae* quoque *Popularis institutio* pronuntiatur.

XII. Quibus probe effectis, ab omnibus Civibus adhuc electis, *e Stellatis quidem Equitibus*, eligendi sunt *singularum Academiarum Consules*; quibus nunc reliqua earum ordinatio et cura demandanda est.

ADNOTATIONES

1. Loquimur de Collegio Philosopho, h. e. de immenso palatio, cui antea nomen fuit *College du Pape*, jussu Regis nostri et voluntate Magistratuum Lovaniensium per oecos et cubicula distributo, magnisque sumtibus ita adornato, ut in eo habitare mille juvenes et quod excurrit, quisque proprio cubiculo utens, commode possint. Adjectum est, sed, quod aegre ferimus, in impluvio conditum, aedificium novum, ingens spatium complexum, per hanc terram, hujus quidem generis, splendidissimum, amphitheatri formâ adfabre factum sedilibusque ita instructum, ut mille juvenes continere non nequeat; in quo scholae publicae habentur.

2. Vita Universi sustentatur Pugna et Repugnantia, quam Historia, quae quidem hoc nomen mereri cupit, *factorum antithesi* ostendit. Circa hunc cardinem tota haec oratio vertitur: has antitheses Commentariis illustrare conabamur. Illud Ἀνταγώνισμα primum cernitur in Terra et Mundo, ratione systematis solaris. Deinde exprimitur Antiquo et Recentiori, secundum temporis rationes. Tum, geographico principio, manifestatur Oriente et Occidente; etiam in orbe Vetere et Novo terrae. Antithesis historica se patefacit primum RELIGIONE, tanquam Monotheismus et Polytheismus, Sabaeismus et Iconolatria (et haec quidem erit perpetua). Deinde in RE PUPLICA, tanquam Monarchia (Δεσποτεία) et Polyarchia, cum formis suis (quae dissolvi *debent* et uniri deinceps in *Monarchia Libera* seu *Recentiori*). Tum in DOCTRINA, tanquam Dogmatica et Historica, Credere et Scire (quod utrumque aliquando concinet in *Historia Mundana*, ut *judice rerum humanarum*). Hoc modo *Ingenium* MUNDI ANTIQUI expressum est Separatione et Bello; *Indoles* RECENTIORIS AETATIS cernitur in Unitate et Concordia politica; in illo *vis destructrix*, *dominatio*, *servitus*; in hac *Jus* et *Aequitas*, *libertas* et *independentia*. Nobis videtur, bono rerum conditori, in historiâ qualiscunque populi cujusvis aetatis scribendâ versato, hac cogitatione ut perpetuâ duce et comite utendum esse; aliâs commentitiam, non veram scribi posse historiam.

3. Interitum *Eloquentiae Romanae*, tanquam ruinae *civitatis* causam, mirifice exposuit *Auctor corruptae eloquentiae*. Cui adde egregiam Orationem

V. Cl. A. VAN GOUDOEVER : *De diversa Eloquentiae Rom. conditione*, in III. Class. Instit. Regii consessu publice d. XXXI Aug. a. MDCCCXIX habitam. Multo tamen perniciosiores fuisse civitati *Philosophorum* in *Religionem Civilem* inquisitiones *peregrinorumque* (Graeco - Asiaticorum) *sacrorum* admistiones, quippe quibus *mores antiqui* licentiae et petulantiae cessissent, ipsi adjecimus. Verbo : Roma interiit *destructis deorum imaginibus* (uti prius interierat Aristocratia Patriciorum *Jure Imaginum* risui exposito) *Christianâ Religione*. Unde postea, ut *Paganorum* pariter et *Christianorum* animos sibi conciliaret, Constantinus Caesar *Monotheismum Christianum* et *Iconolatriam Paganorum*, institutâ *Staurolatriâ* suâ, copulavit; qua puram religionem caritatis et universalitatem ejus, scriptâ orthodoxiâ introductaque hierarchiâ orientali, simul cum libertate, sustulit et novam antithesin peperit *Orthodoxorum* et *Heterodoxorum*, *Catholicorum* et *Haereticorum*; *tenebrarum* et *lucis*; *receptae consuetudinis* et *innovationis*; *desidiae veteris* et *diligentiae juvenis !* Atque hunc talem virum nonnulli *Magnum* praedicant hodienum!

4. In : *Willhelm Meister's Wanderjahre* T. I.

5. Nostram et *Tullii* sententiam tuetur philosophorum princeps, HEGELIUS, in libro, qui inscribitur : *Naturrecht und Staatswissenschaft*. Berl. 1821. 8.

6. Vid. ARISTOTELIS Ethic. VIII. 2.

7. OVIDIUS Fastor. V. 23.

8. Ex sententia Cl. D. G. KIESERI in T. II. operis : *System* des Tellurismus oder Thierischen Magnetismus. Leipz. 1822. TT. II. 8. Hoc rerum intuitu nihil potest esse significantius bonae fortunae lusu, quo *Collegio Philosopho* nostro contigit, Augustissimi Regis munificentiâ, picta tabula pretiosissima, cum egregio pulcri sensu a celebri artifice, VAN BREE, confecta : quae sistit divinum Salvatorem Capharnaï *aegrotos sanantem peccataque remittentem fidelibus*.

9. Hoc vere sensit, subobscure tamen expressit H. STEFFENS V. Cl. in T. I. Anthropologiae (Bresl. 1822. II BB. 8) praesertim ab inde p. 292 sqq. Multo tamen penitius rem exhausit divinus fere philosophus, FR. H. JACOBI, cum in philosophis operibus, tum in aliis etiam : in quibus omnibus spirat illa cogitatio et inspirat mirabilem quendam beatitatis sensum legentibus.

10. De hac vera libertate civili nuper bene egit CH. B. DUNOYER : l'Industrie et la morale considérées dans leur rapport avec la liberté. Paris 1825. 8.

11. Hac cogitatione nihil esse verius ita sibi persuasit *Regia Majestas* GUILIELMI *nostri*, ut nuper admodum ad publicum certamen evocaret eruditiores historiae amicos, ut quo modo *historia patria*, ipsorum sententiâ, rite condi possit, scriptis rationibus profiteantur. Cum vero hujus generis monumentum vix ullum apud alios populos inveniatur, totum exscribendum esse duximus :

Wij Willem, bij de gratie Gods, Koning der Nederlanden, Prins van Oranje-Nassau, Groot-Hertog van Luxemburg, enz. enz. enz.

Overwegende, dat er vele bronnen voor de Nederlandsche Geschiedenis aanwezig zijn, welke nog niet naauwkeurig onderzocht noch bewerkt zijn, en dat er ook tot nog toe geene, op echte bescheiden gegronde, Geschiedenis der Nederlanden, tot alle de gewesten van dit rijk betrekkelijk, bestaat;

In aanmerking nemende het groot belang van eene zoodanige geschiedenis, tot aankweeking van vaderlandsliefde, bevordering van burgerdeugd en instandhouding van het nationaal karakter;

Gezien het rapport van Onzen minister van binnenlandsche zaken van den 14 dezer (Decemb. 1826) n° 115;

Hebben besloten en besluiten :

Art. 1. Er zullen middelen daargesteld en aangewend worden, om de bronnen der Nederlandsche Geschiedenis, voor zoo verre die tot nog toe onbekend of niet volledig bewerkt mogten zijn te doen opsporen, nader te onderzoeken, en, zoo veel noodig, in het licht te geven.

Art. 2. Alle vaderlandsche geschied-en letterkundigen worden door Ons uitgenoodigd, om, vóór Paschen aanstaande aan Ons in te zenden :

1° Eene uitgewerkte schets, inhoudende een plan, naar hetwelk, volgens hunne meening, de Algemeene Nederlandsche Geschiedenis zoude behooren te worden bewerkt, op zoodanige wijze, dat dezelve alleen op de meeste echte bescheiden gegrond en door dezelven geheel worde geregtvaardigd;

2° Eene opgave der middelen, welke meest gepast worden geoordeeld om zoodanig plan te verwezenlijken.

3° De geen, wiens ontwerp, na een opzettelijk bevolen onderzoek aan Ons het doelmatigste zal voorkomen, en die overigens bekwaam en genegen mogt zijn om het meest gewigtige deel des werks op zich te nemen, zal door Ons op den nader te bepalen voet tot Geschiedschrijver des rijks worden benoemd.

4° Zij, welke later afzonderlijke gedeelten der Nederlandsche Geschiedenis, bij afzonderlijke vragen voor te stellen, het best zullen hebben bewerkt, zullen niet alleen eene schadeloosstelling erlangen, maar ook door Ons met eereblijken of anderzins worden beloond.

5° Onze minister van binnenlandsche zaken wordt gelast, om aan de gouverneurs van alle provincien en van Ons Groot-Hertogdom Luxemburg de noodige bevelen te geven, tot het onverwijld doen in orde brengen en rangschikken van alle provinciale, stedelijke en gemeente archieven, alsmede van die van alle corporatien; — en voorts om daarvan te doen opmaken

naauwkeurige lijsten of registers, waarvan het duplicaat aan Onzen voornoemden minister zal worden toegezonden, ten einde daarvan, voor de zamenstelling der Algemeene Nederlandsche Geschiedenis, in het vervolg zoodanig gebruik te maken, als zal vermeend worden te behooren.

Onze minister van binnenlandsche zaken is belast met de uitvoering van dit besluit.

Gegeven te Brussel, den 23 December des jaars 1826, van Onze regering het veertiende.

(*Geteekend*) WILLEM.
Van wege den Koning,
(*Get.*) J. G. DE MEY VAN STREEFKERK.

12. Cur in hac re *Ciceronem* simus imitati, (*De Legg.* II. 8. III. 3) facile tibi efficies. Forte leges nostrae eandem sortem patientur, quam Ciceronis. Attamen quam ille consecutus est opportunitatem, proponendi *Leges optimas;* eadem nobis, argumenti amplitudine, occasionem fecit *de universa scientia* disserendi; quae res non omni pretio caret.

13. LUDOVICUS MAURITIUS GUSTAVUS JOSEPHUS DE LA HAMAIDE, e nobilissima vetustissimaque Hanoniae prosapia, ab inde saeculo decimo quinto illustrata, quae deinceps rebus militaribus et literarum gloria famam a majoribus acceptam diligenter servavit et auxit, ortus, nascebatur Bruxellis d. XXVII Maji a. MDCCLXXX. Postquam ab undecimo Reip. lib. Gallorum anno, die vero XXI Fructid. ab iis, quibus hae res commissae fuerant, apud Tribunal Brugense Publico Caussarum Patrono substitutus exstiterat, in suprema Curia judiciaria, quae Bruxellis est, anno MDCCCXI, d. XXX Aprilis, *Advocatus Generalis* factus, mox, anno MDCCCXVII, d. XVI Julii ab Augustissimo Rege nostro *Supremum* in eadem Curia *Publicarum Caussarum Patroni Magistratum* obtinuit. Anno vero MDCCCXX, d. III Aug. *Academiae Lovaniensis Curatoribus accensitus*, menseque Septembris anni MDCCCXXI *Insignibus Equitum Ord. Leonis Belgici condecoratus*, ita rem suam administravit ut, fracta licet corporis sanitate immenso negotiorum publicorum pondere et varietate, tamen non desineret et bonis literis naviter dare operam, totumque se amicis et, qua neminem habere magis amicam videbatur, Academiae nostrae devovere; donec accedente domestica quoque calamitate (filiolo enim unico morte privabatur) his casibus et laboribus impar, die X Julii anni MDCCCXXVI, dilectissimae nobilissimaeque conjugi (*Baronissae* DE FIERLANDT), amicis, Academiae, Patriae eriperetur.

14. JACOBUS PHILIPPUS DE BRUYN, natus Lovanii d. XII Decembr. a. MDCCLXVI, absoluto Literar. humanior. cursu, Philosophiae traditus est

a. MDCCLXXXIV, ubi in Paedagogio Falconis, biennio post, primum locum tenuit. Porro Juris prudentiam amplexatus, a. MDCCXC, Jur. utriusque Licentiatus renunciatus et, quatriennio elapso, in vetere Academia Lovaniensi, ad *Lectionem*, quam dicebant *Doctoralem*, promotus est. Eversa deinceps Academia munus *Judicis* subiit a. MDCCCVII, eoque functus est usque ad a. MDCCCXVII, quo ab rege Augustissimo *ad Cathedram Juris Romani* revocabatur. Cum ea simul, ab inde a. MDCCCXX *munus Consiliarii Urbis regundae* conjunxit usque ad diem quintum Maji a. MDCCCXXVI, quo in ipso fere munere sustinendo supremum diem obiit.

15. Decretum Regium, varios gradus sistens, vid. in Annal. Acad. nostrae a. MDCCCXXVI — MDCCCXXVII. *N*. III.

16. Propterea omnis anquisitio, in causas interitus civitatum instituta, inprimis est laudabilis. Cujus rei exempla egregia exhibuerunt: ED. GIBBON [the history of declin and falle of the Roman Empire (a new edit.) Lond. 1783. VI. 8] et MONTESQUIVIUS (Considérations sur les causes de la grandeur et de la decadence des Romains. Paris 1734). Multo etiam utilior esse videtur comparatio causarum ruinae variarum unius gentis civitatum. Unde id egi, ut in Academia nostra Quaestionem pro Certamine Literario proponerem « De causis, quibus effectum sit, ut regnum *Juda* superstes esset regno *Israël* » : ad quam, meâ quidem sententiâ secundumque meam de ea re opinionem, tam perite respondebat discipulus optimus, C. S. BERNHARDI, ut praemio Academico laudibusque eximiis dignus censeretur. [Prostat Comment. (cum Charta Geogr. diligenter elaborata) in Annalib. Acad. a. MDCCCXXIII — MDCCCXXIV].

17. Italiam e septentrionali plaga incolas accepisse suos, inde patet, quod et origo et cultus ipsorum omnem traditionem antecedit. Haec stemmata borealia *Etrusca* fuisse, e primis eorum sedibus et nomine, *Rhaetiorum* (Tu-Resan) cernitur: eadem e gente Germanica, h. e. ea, quae, ex Asia septentrionali, totam Europam colonis frequentavit, esse repetenda, cum e loco, unde venerant, tum e collectivo nomine *Tuscorum* (Tuistonum) efficitur; tum vero etiam e traditione vetusta, quae gentis et deorum originem e septentrione repetit; unde *aves sinistrae* pro felicibus, i. e. *e terrâ patrum emissis*, habebantur. *Ex Asia*, eaque *rudiori*, advecta, tum mores agrestes tum humana sacrificia, quibus utebantur, tum vero etiam scribendi genus et modus, denique religio Sabaeismi testantur. *Jovem* enim coluere *Latinum* (latentem: Melkard, Herculem, Solem) et *Lunam* (Launam, Laviniam) antithesin muliebrem, *Palemque*, ex utroque *hermaphroditam*.

Hoc *uno trino* omnia Etrusca continebantur. Ferox tamen natio postea ab *Hercule Bove* (ἰταλῷ), ope agriculturae, qua e nomadibus *stabiles* redditi sunt coloni, *erudiebatur*, per Castam Sacerdotalem (Lucumonum) ita, ut, cum accedente coloniâ Asiae anterioris, quae (ex sententia Cassandrae fatidicae) *triginta Turres* (oppida) apud *Boreigenes* (teste Lycophronte) condidit, *Aborigines* converterentur in *Italos*. Vetustatem gentis indigenae id praeprimis testatur, quod apud eam potens exstitit *Casta Sacerdotalis* et *Feudalis* quaedam *Constitutio*, in illâ innixa; quae ea tantum conditione oriri potuit, ut gens per longum tempus quieta maneret. Unde hi Etrusci *libros rituales* habuere *scriptos*, cultumque naturalem divinum, artibus et doctrinâ arcanâ *Augurum* et *Haruspicum* confirmatum et ordinatum; qua re a reliquis Germanis, quibus tranquilla vita non contigerat, distinguebantur penitus. Accedente tamen religione Graeca factum est, ut *Monotheismus Naturalis* in *Iconolatriam* traduceretur *Artificiosam*.

Etruscos patres fuisse Romanorum, per Albam Longam, ex auctoritate auguriorum et inde cernitur, quod Romam ad avium volatum, ductoque circa Urbis aream, Paliliis festis, *bove junctâ vaccâ*, et in loco *Valentiae* antiquae conditam videmus; Urbi vero nomen datum *arcanum Florae* s. *Anthusae* (Palis). Praecipue tamen cum antiquitatem, tum communem cum Germanis originem testatur *Scriptura* eorum *hieroglyphica;* cujus elementa fuere *sacri bacilli*, SACRAE SORTES, ut fere scriptura Persarum vetus ex *cuneis* constabat. De ea jam paullo uberius. *Bacillus* primus, principium omnium, *Deum* sistens *unum*, *hasta sacra* est (Quiris, quae vel ipsa pro numine fuit atque Bellatorum duci, Romulo, *Quirini* nomen, ut hastato populo universo *Quiritum* dedit) = **I.** Hic, cum objecto principio muliebri, = **II**; uterque in hermaphroditam, i. e. in *trinum*, conjunctus = **III.** Hic numerus *sanctus* habetur; citra eum nihil *auspicato* fieri potest. Vocatur postea *Tribus*, h. e. PER *trinum*, et inest in litera **T.** Inde habemus *tres Stirpes primaevas :* RHAETIOS, TUSCOS, ETRUSCOS; *boream*, *medium*, *meridiem*, *partes* et *species* unius *toti* et *generis* (Tuistonum) : *tria* inde *Foedera* (cum duodecim sacris, coelestibus, oppidis quodvis); *tres metropoles*. Romae *tres* TRIBUS (i. e. *Castas* tres vere Etruscas) : RHAMNENSES (Albanos, *Castam Bellatorum*), LUCERES (Etruscos proprie, *Castam Sacerdotalem*), TITIENSES (Sabinos, *Agricolarum Castam ?*). Elementa duo prima, ab imo juncta, V, quinque efficiunt (I, I et anguli III = 5). Ex hac bacillorum inclinatione, ex hac *concreta* individualitate *duorum*, reliqua computa sacra oriuntur omnia; eorum auxilio *vaticinia* fiunt. Igitur V, ipsum sibi oppositum, efformat **X** = 10 ($\frac{V}{\Lambda}$);

cujus significationem infra videbimus. X *addito* X = **XX** = 20; qui numerus non occurrit : est enim numerus fatalis, discors, scissionis; cui Augur auctor esse nequit : *jungatur* enim oportet *trino* **XX** **X** = 30, qui denuo numerus est *sacer*. *Triginta* habemus *Curias*, totidem *oppida* (Turres) *Latina*, totidem *Gentes sacras primaevas*. Jacta vero Sorte ita, ut V in *basi* quiescat; ipsum cum numero praecedente *maximo* multiplicatur : inde oritur **L** = 50 (5 × 10 = 50), numerus insolitus. Idem V *sinistrâ ave* (felici) contingens, i. e. ut pars *aperta* sinistram spectet (scripsere enim *sinistrorsum*), numerus praecedens L, formam nactus **▶**, duplicatur = **Ↄ** (C = 100). Idem, praeposito bacillo principe, **I▶** = **IↃ** s. **D**, multiplicationem efficit C × V = 500; est enim C numerus *praecedens maximus*. Idem V inversum, **Λ**, sibique adjectum = **ΛΛ**, numerum *cognitum* MAXIMUM (M s. CIↃ) exhibet = 1000, sed *bipartitum*, **◀I▶**; cujus rei rationem mox videbimus.

Ex his sacris *Sortibus* seu *Signis* seu *Literis Runicis*, in condenda Urbe religiose observatis, Augures vaticinari solebant *populi Epocham* et *diuturnitatem*. Ipsi populo suo, secundum statum illorum Signorum, *decem saecula* (humana seu physica) tribuerant, quae continere debuerunt, ex arcanae doctrinae regulis, annos *Mille* et *Centum*, quos *diem mundanum* populi Etrusci dixerunt. Anno U. C. (Romae) *sexcentesimo decimo sexto* Haruspices finem diei Mundani adpropinquare edixerunt; atque Etrusci, Romanis subacti, revera, octo annos postea, per Sullam extincti sunt. Hoc mirum videtur : mirabilius etiam, si totam rei historiam in literis Runicis expressam esse demonstraverimus, quae continentur in numero anni fatalis 666 qui, a numero saeculi, 1100, deductus, annum originis perhibet 434 ante U. C. Est autem annus fatalis DCLXVI, numerus populi conditi CDXXXIV; e quibus, utribusque TRI-MEMBRIBUS, si membrum medium prioris per *denos* resolvatur, oritur hoc schema :

Membrum :	I.	II.	III.		
Anni Fatalis :	**D. C :**	**XX. XX. XX :**	**V. I.**	=	666.
Anni Initialis :	**C. D.**	**X. X. X.**	**I. V.**	=	434.
Unde sequitur :	**M.**	**C.**		=	1100.

Inde obtinuimus *A*. Duo membra *extrema*, in utroque anno, iisdem signis expressa, sed quaternis primis et quaternis ultimis literis *inverso ordine* collocatis : DC et CD, VI et IV.

B. Membrum medium anni fatalis, qui cadit in Romanam historiam, per *denos* expressum, numerum anni fundamentalis *duplicatum* sistere, *tribus*

membris compositum, *ter* numerum XX exhibentem *scissionis* (e. g. *Rhamnenses* PRIMOS et SECUNDOS cet.).

C. Membrum medium anni fundamentalis numerum praebere sanctum, X, eundemque *ter* repetitum, XXX; unde numerus sacer, *triginta*, oritur.

D. Membrum medium utriusque anni *ter* sistere *vicenum*, junctum *deno*: XX. XX. XX; quae res *triginta Curias*, *Oppida*, *Gentes sacras* exhibet.
X. X. X.
Etenim mos erat, e Runis, in condenda civitate perlustratis, definiendi *constitutionem* ejus *sacram*, *civilem*, *militarem*: unde, cum apud Romanos veteres idem inveniatur, quod apud Etruscos in usu fuit, dubitari nequit, quin hi illorum essent satores. Sunt enim *tria* Comitiorum quoque genera: *Curiata* (sacra), *Centuriata* (civilia), *Tributa* (militaria) et exinde *tres*, temporum successu, *formae regiminis*: *Patricio-Sacerdotalis* (Aristocratica s. vera), *Patricio-Plebeja* (Timocratica Servii Tullii, scissionis causa et interitûs princeps), *Plebejo-Militaris* (Democratica, perturbationis et motuum plena). Primae respondent XXX: alteri XX. XX. XX: tertiae XXX. XXXXXX. X. Hoc loco non possum a me impetrari, quin de aliquot momentis Antiquitatum Romanarum verba faciam, eaque hac nostra inquisitione illustrem. *Centum* fuisse ab initio Senatores, cognitum est; et est hic numerus *sacer*, ex *deno* per *denum* ortus. Sed eapropter fallitur DIONYS. HALIC. (II. 12, 42), qui eos a *Romulo* lectos fuisse refert: *Bellator* enim Romulus nihil potuit *in sacris* instituere, quod valeret. Auctum fuisse numerum postea ita, ut *trecenti* essent, non magis ignotum est, et bene habet: est enim numerus *sacer*, scilicet TER *centesimus*. Verum falluntur denuo et DIONYSIUS et LIVIUS (D. H. III. 67; LIV. I, 35), quorum alter a *Tarquinio Prisco*, alter a *Servio Tullio* auctum esse Senatum perhibet. Uterque enim, nec *peregrinus* ille, nec *servius* hic, *auspicato* augere potuit Senatum. Fiebat igitur hoc a rege *Sacerdote* (more et ritu sacro). Ejusmodi non inveniuntur, nisi *duo*, TATIUS et NUMA. Hic esse nequit. Cum enim quadrent CCC Senatores cum CCC (vide infra) diebus anni (cum Kalendario igitur sacro); hi vero ab Numa *aucti* essent *quinquaginta diebus et uno*; illa institutio a solo *Tatio* fieri potuit. Nemo nescit, Sabinos, pacto foedere, simul cum Tatio rege Romam fuisse arcessitos; mihi autem videtur, TATIUM, *verum Etruscum*, igitur *Sacerdotem*, Romae *primas* tulisse (penes ipsum enim erat *potestas civilis* — et *sacra*), ROMULO datum esse locum *secundum* (i. e. Bellatori *imperium*) ita, ut ex Sabinis (frequente populo) Tatius *ducentos* INGENUOS *Patres* (revera a CARITATE adpellandos) centenis priscis

adderet. Minime tamen negamus, a Servio adjectos fuisse *ducentos* NOVOS; sed negamus : eos *auspicia majora* habere potuisse, i. e. *legitimos*, *justos* (quod patet a sinistra eorum adpellatione *minorum gentium*), igitur *censitos* fuisse. Postea, ubi necessitate coactus, *L. J. Brutus*, pro innata in se sanctimonia, novos legit Patres, ipsos ab antiquis distinxit nomine *Conscriptorum;* ut fere hodie majestate regia *legitimatum* a *legitimo* filio distinguimus. Denique nobis monstrandum est, numerum CCC semper fuisse *sacrum*, nunquam augendum. Augustus enim, reparata Senatûs auctoritate, *Sexcentos* esse voluit, i. e. CCC ritu antiquo et CCC augmenti causa; ut fere Tribus III subdivisae exstiterant per I (I. II) II (I. II) III (I. II) et ex eadem lege. Ultimos fuisse, credo, eos « *quibus in Senatum ire licuit.* »

E. Ex additione utriusque anni numerum *totum* Aetatis Etruscae cognosci MC, ita, ut numerus *prior*, M, contineatur membro *primo* utriusque anni, DC et CD; numerus *posterior*, C, efficiatur ex membris *secundo* ET *tertio* SIMUL; ex membro autem *ultimo*, SOLO, VI et IV, numerus X, qui iisdem signis, V et V, sibi ad angulum oppositis, constat, quibus componitur summa *prior;* in qua tamen illud V, in cruribus quiescens, *juxta* se positum adparet, ΛΛ = M. X autem significat SAECULA *decem*; quae *diem mundanum* Etruscum confecere : quorum summam, annorum physicorum, sistit illa totalitas, MC.

F. Tenendum est : Signa sacra, in condenda civitate jacta, in omne tempus constituisse *numerum literarum Runicarum* (igitur Romanarum non minus); inesse autem in summa MC literas numerales Romanorum OMNES : M = 1000; D = 500; C = 100; L = 50; X = 10; V = 5; I = 1. Porro eas continere : α) *Diem populi mundanum*, annorum 1100 : β) *Saeculum physicum hominis*, annorum 110 : γ) *Horum saeculorum numerum* = 10 : ex qua re oritur praegnans formula

α) **ΛΛ◁**
β) **◁VV**
γ) **VV**

i. e. synthesis numeri **V** sub *tribus* formis : **M. ◁. X.**

G. Signum M = 2D, quae sibi *ex adverso* posita adparent (500 + 500), EPOCHAS populi sistere DUAS; alteram *puram* (*ante* Romam conditam); alteram *scissam*, *turbatam* (*post* conditam Urbem, cum qua illi digladiandum erat). Epocharum vero *inaequabilitatem* et *differentiam* expressam esse : α) Literâ C, sibi *ex adverso* positâ : β) antithesi membri *ultimi* et *literâ* X (V V); dum γ) membra *media* indicant *constitutionem* populi, in *Romanis subdivisam*. Nam totalitas naturalis *Castae* Etruscorum discessit per *individualitatem* Romanam, *sibi studiosam :* qua ruina illorum *necessario* (ut erat in *fato* et *vaticiniis*) conficiebatur.

H. Praeterea : Esse numeros Runicos *sex* [C non putatur, quia jam inest in IↃ]; quorum duo, M et X, *duplicati ;* unde Signa octo. Haec indicant *Septimanam* Etruscam *mundanam*, octo diebus mundanis constitutam. Inde (1100 × 8) efficiuntur 8800 anni humani (8M et 8C ; quae sunt, ut diximus, membra duo praecipua summae).

I. Jam si Signa omnia, per *elementa* sua *dissoluta*, ex *synthesi* bacillorum *sacra*, V, disponuntur ; hoc adparet :

Signorum elementa : **VV. IV. V. V⊢V. V. I.**

Numeri soliti : . . . . M. IↃ. L. X. V. I. (C enim ob causam supra allatam non censetur sigillatim). Exinde, facta additione, producitur summa XXXVIII ; qua totidem *septimanae mundanae* indicantur ; ex quibus constat *Annus divinus* seu mundanus Etruscorum, i. e. Tempus summum rerum creatarum, continens 334,400 annos humanos MC annos divinos.

J. Inde discimus ; *Annum vulgarem* Etruscum habuisse *septimanas* (seu potius octimanas) *octo et triginta ;* igitur (38 × 8) *dies quatuor et trecentos ;* et eos quidem per decem *menses* divisos (apud divos decem *saecula*) ; uti haec omnia Romae, ante Numae tempora, reapse fuere.

In his *Mensibus* eadem *Trinitas* prostat. Incipit quidem annus cum mense Martio ; et recte quidem. Est enim hoc *Belli* symbolum et *Bellatorum ;* quorum *hasta* numerorum est principium (et sub *Romulo*, a Lucumonibus se liberante, magis etiam fiebat). *Omnium rerum parens*, *in coelo et in terra*, *Bellum est*, individualitatis vehiculum, praesertim gentibus septentrionalibus et palantibus. Sequitur Aprilis, mensis *Solis*, ex Ariete in Taurum (die 21) ingressi, summi numinis *Ordinatoris*. Hic simul totus inest in *Maja* (mense Majo), quae est *Tellus* et *mater rerum :* ipsa cum illo (Sol et Luna) *Hermaphroditam* sistit (nam *Majus* quoque deus est), igitur *Palem.* Nunc, facta indistinctae molis separatione, Junonius sequitur mensis : *Juno*, *soror* et *uxor* Jovis (Latiaris) atque huic adversa est cumque eo imperium partita. A quinto (V) mense (Quintili) reliqui *numerantur* tantum. Mensis vocabulum (teste Cicerone, Augure) *mensuram* significat, *sacram*, XXX dierum : *quatuor* dies reliqui ad quatuor illa Numina pertinuisse videntur.

Jam vero de Anno mundano agamus. Si igitur numerum annorum 334,400 humanorum Runis exprimamus, hoc schema oritur :

	MMM.	**M.**	**MMM.**		**M.**	
	CCC.	**XXX.**		**CCC.**		**C.**
numeris expressum :	300,000.	30,000.	3,000.	300.	1,000.	100.

Ex eo, ut quisque videt, prodeunt Signa septimanarum mundanarum,

8M; sed alterius, C, non nisi *septem* occurrunt. Octavum repraesentatur numero XXX, qui satis clare indicat, Saeculum (C) ultimum, *perturbatum*, *nondum perfectum*, *nunquam implendum*. Nostrum est, eruere, si quo possit adimpleri hoc saeculum defectivum. Hoc fieri debet *symbolo scissionis*, XX, *ter* repetendo, adjecto numero sacro, X. Inde haec sequuntur:

MMM. **M.** **MMM.** **M** = 8M.
CCC. X. X. X. **CCC.** **C.**
XX. XX. XX. } . . . . **C** = 8C.
X.

Hoc autem facimus auctoritate schematis duplicis anni *fatalis* et *fundamentalis;* e membris nimirum *secundo* et *tertio* ejus. Quod vero si Haruspicibus suffecisset, nobis nondum sufficit. Duo praeterea exquirenda sunt: α) Numerus X in litera M, et numerus X in signis infra collocatis (i. e. numerus saeculorum divinorum et physicorum): β) Quo modo numerus ille XX nobis contingat? Hoc ultimum causas aperiet, quibus ducti Haruspices annum *fatalem* posuerint *sexcentesimum sexagesimum sextum* U. C. Ut autem illud primum nanciscamur, schema nostrum sic resolvendum:

MMM. M. M. M. MMM. M. = 10 M.
CCC. X. X. X. CCC. C. = 10 Signa.

Hoc modo prostant *saecula* DECEM, cum *divina* tum *humana*. Alterum vero factu difficilius est: quo nempe jure numerum XX usurpaverimus. Est autem satis cognitum, Etruscos, licet in saeculo humano constituendo numerum rotundum (110) adoptavissent; tamen, in aetate *Romana* (haec nostra sententia est, quam haec inquisitio nos docuit) condenda, invenisse annorum unius saeculi numerum *centum et quindecim* [⊲XV: quam synthesin, e totalitate literarum numeralium decerptam, confer cum hac:

VV **I⊳** — **L** — —
— — **⊲** — $\frac{V}{\Lambda}$ **V** } 115; ubi α) *numerus* princeps, I; β) *synthesis* princeps, V, toties in *superiori*, quoties in *inferiori* serie, et iisdem *intervallis*, cernuntur, atque γ) ulterior simul dierum *septimanae* numerum (8) servat; praeterea δ) superior et inferior series, quaevis XX, innovationis, augmenti et scissionis symbolum perhibet, conversis nempe ΛΛ in $\frac{V}{\Lambda}$; cui igitur I per transversum inserendum est]. Quodsi jam pro *decem* saeculorum, annis CX constitutorum, numero (1100) totidem sumamus saecula annorum CXV; hos vero *annos*, in anno *divino*, pro *diebus* (115) usurpemus, per saeculorum numerum (10) multiplicatis; obtinemus dies 1150. Hos, per 304, in annos conversos, praebere annos III, dies 238, constat. Accedit numerus annorum

VIII, quibus nondum exactis Sulla Etruscos confecit; unde producuntur anni XI, dies 238. Quibus a diebus totius anni (304) subductis, supermanent dies 66. Inde, facta (totidem *centenis* superius positis, quam sunt *singuli* inferius) hac synthesi : (5) **DC** (1) (600) }, Etrusci annum *fatalem*
XX **XX** **XX** (60) } (666).
(5) **VI** (1) (6) }

666, invenerunt. Quodsi denuo dies 66 multiplicemus cum numero septimanarum anni (38); efficiuntur dies 2508. Hi, per 304 divisi, denuo sistunt annos VIII, dies 76 (i. e. 66 + X). Sic summa annorum procreatur Viginti et dierum X. Sic habemus numerum XX, jam supra indicatum, *ter* jungendum *ter denis*, adjecto X (dierum residuorum); unde haec formula :

α) in schemate contenti : X. X. X. }
β) numerus vicesimus repertus : XX. XX. XX. } = C { *octavum* s. *defectivum* } impletum.
γ) numerus dierum residuus : X. }

Superest, ut numerum XXXVIII, septimanarum, certo quodam computo efficiamus. Eum obtinebimus sumtâ Aetatis Etruscae parte *Romanâ* (666) adjectisque annis *quinis* in saeculo annorum 110, ex saeculo annorum 115 omissis : unde prostat : 5 × 6 = 30 et, additis annis 8 Sullanis = 38. Quae res, per symbola, in formulâ ultimâ nostrâ occurrit; ubi X. X. X, qui hoc loco, uti *puri*, ita *pleni* sunt, annos 30 *integros* praebent (e *sex* saeculis); reliqui vero (XX. XX. XX.) solum tanquam *Signa* valentes, *sex* annos indicant : denique Signum Saeculare (X = 10), *duas, inaequales, Epochas* indicans, pro *duobus* signis usurpatur. Sic 30 + 6 + 2 = 38 signa et annos constituunt, sicut idem numerus jam in *elementis* summae totius prostat (vide supra lit. *I*). Impletur Saeculum *Interitu Reipublicae Romanae, Liberae*, eo tempore, ubi *Kalendarium Julianum* invalescere coepit. Quod adcurate perficitur computo temporis rite instituto. Bellum enim Sociale (Sulla duce) duravit usque ad a. 88 a. Ch. n. Ex hoc anno usque ad d. 15 Febr. anni 44 a. Ch. n. [sive, stilo veteri Etrusco, ad d. 20 Apr. (diem ante *vernum* tempus inchoatum) anno 45], quo die J. Caesar, *Dictator Perpetuus*, Diadema regium *adpetiit*, efficiuntur anni 44 : unde 66 + 44 = 110 = CX; qua re sex *Vulturibus*, a *Remo* observatis, penitus satisfiebat.

Ultimo loco jure quaeritur : quomodo factum sit, ut Kalendarium a Numa immutaretur : cur pro *decem* mensibus *duodecim* placuerint; et pro diebus 304 dies 355: cur denique pro numero anni saecularis 110 nunc usurparentur 115 : haec vero omnia, quin vetustorum auguriorum auctoritas tolleretur ? Ex qua re simul saecula XII, a duodecim vulturibus Romuleis indicata, explicabuntur.!


Ad quaestiones duas priores respondere videntur XII vulturum sacra auguria ipsamet, quae, ut ipsa sortem Romanam definiverunt, ita interpretanda fuerunt. Quum vero iisdem XII saecula indicarentur, manifestum faciemus, annos illos 115 (pro 110) cum ea re arctissime cohaerere; nec tamen ad aliam, quam Romanam Epocham pertinere. E qua re simul ut exploratum adparebit: Etruscos augures populum Romanum semper tanquam ex se natum, in se contentum, a se constitutum, considerasse. Quae inquisitio non omni pretio carere videbitur.

Quum igitur *sex* Remi vulturibus suum jus esset tributum, tanquam *bonis* et *justis* auguriis, sex saecula Reipublicae Liberae referentibus; igitur auguria quoque Romulea suis religionibus destitui non possent (erant enim aeque divina) : sequebatur suapte sponte Kalendarii immutatio; sed haec non nisi ad *humanas* (Romanas) res adhibenda annusque distribuendus per menses XII, cum signis eclipticis congruos : quod fieri nequibat citra augmenta saeculi, ex annis 110 in annos 115 commutati. Hoc modo annus quisque auctus est diebus 51, qui, per saeculum (110 annorum) efficiunt annos 18, dies 138; igitur per saecula *sex* (666) annos 110, dies 220. Unde nacti sumus saeculum UNDECIMUM cum diebus 220 (ex stilo nimirum veteri; ex quo omnia *sacra* computanda sunt). Nunc quaerendum est Saeculum DUODECIMUM Romuleum. Exhibet autem differentia annorum vetustorum et eorum, quos Numa condidit, a Sullae tempore (88 a. Ch. n.) usque ad Kalendarium Julianum (1 Jan. a. 45 a. Ch. n.) institutum, (qui sunt anni 44, dies 2204), annos 7, dies 76; igitur, adjectis annis 44, = annos 51, dies 76. Iis adde dies, e priori saeculo residuos, 220, praeterea annos Julianos 32 et eorum differentiam (ratione Kalendarii Etrusci habita) = 6 annos cum diebus 144 : unde obtinebis annos 90, dies 136. Quum vero *duodecim* saecula e vaticiniorum, igitur ex Etruscorum, veteri computo aestimanda, cum *universa* aetate Etrusca congruere debeant : adjiciendum est (ex saeculi 115 annorum rationibus) augmentum Epochae priori, i. e. annis 434, Romam conditam praecedentibus : unde summam nanciscimur annorum 19, dierum 167 (et 7/111). His autem prioribus adjectis, summa adest annorum 109, dierum 303 7/111 : igitur saeculum DUODECIMUM quaesitum, minus horis 23, 29′, 11″; igitur minus fere *uno die* : « quo imperium Etruscum, ipso anno XIII a. Ch. n. penitus esse desiit, cum *Augustus* PONTIFEX MAXIMUS evaderet, igitur Imperium et *sacra* (Etrusca) sibi soli pariter usurparet ». Qua re nihil potest cogitari praegnantius. Nam per REGEM *primum*, Romulum *bellatorem*, Sacerdotibus obluctantem, interitus Etrusci imperii *praeparabatur*, conficiebatur per *Augustum*, *primum* IMPERATOREM.

Ut rem nostram penitus exhauriamus, respondendum est iis, qui forte e nobis quaesierint : Quo jure Haruspices « *Romam aeternam fore* » promiserint ? His facile respondemus : *Ex Urbis nomine !* Hoc enim ipsummet inest in illa literarum synthesi atque mirum foret, si deesset. Quum vero Roma non esset, nisi filia *Valentiae vetustae*, quod adhuc conjectura tantum sumus consecuti ; non *Romae*, sed *Valentiae* nomen in Signis inveniri potest ; unde simul conjectura veritatem nanciscitur. Videamus igitur signa nostra : ΛΛ. I⊳. ⋖. L. X/Λ. V. I ; quae (OCTO !), sic composita et electa, nomen

VAL⋖N↑IA

exhibent. In qua re tenendum : α) omnia signa inesse : β) bacillum inter X/Λ insertum, et nunc in N (X) non necessarium, inserendum esse τῷ ⋖ [E : circa Vocalium enim formationem tenendum est : eos vocales *breves* plane omisisse, reliquas autem, instar Orientalium, siglis indicasse ; unde ex Λ fiebat A ; ex ⋖ seu C seu ⊏ oriebatur E.] : γ) Compositionem vocis *necessario* incipere cum prima synthesi sacra, V ; deinde, in latere adverso, sequi eam literam, quae illi *positione* respondeat, Λ ; reliquas, a *sinistra* (fausta) parte in dextram (scripsere enim *sinistrorsum*), primum *e medio*, deinde *versus extremas* partes, colligendas et disponendas esse, ut vaticinantium moribus respondeant, ex hoc schemate :



Civitas vero, quam fatum adeo adpellavit *Valentiam*, si quae unquam, diuturna esse prae reliquis debuit.

Haec dare volui : si quis plura desideret, ipse quaerat !

18. Ejusmodi sententiam iniquissimam et sceleratissimam latam esse, et quidem a *magistro quodam universali*, disce ex epistola, quae inscribitur : *Mémoire au Roi, au sujet du rapport de M. Kinker sur la méthode de M. Jacotot, par De Séprés* (Louvain 1826. p. ult.) ; ubi haec leguntur : Ainsi, Votre Majesté, placée trop haut pour être arrêtée par les petits intérêts de la société (!), jugera, *je l'espère*, que la méthode, reconnue par M. le rapporteur, applicable à tout (?) l'est conséquemment à l'instruction univer-

sitaire. Dès lors, quand le moment sera venu de faire jouir la nation de l'avantage inappréciable de l'enseignement universel, s'il existe des obstacles, ils disparaîtront facilement devant la volonté ferme de Votre Majesté. Cette détermination sera (?) prise pour le bonheur (?) des pères de famille de toutes les nations (?), qui se trouvent ruinés par le monopole de la vieille méthode (!) malheureusement privilégiée sur toute la terre. Et hanc ignominiam publicarum institutionum, hanc cavillationem sanctissimi Principis, hoc scelus in majestatem universae civitatis cum tanta protervitate commissum, nondum a scriptoris petulantia vindicavit judex ordinarius!

ERRATA.

P.	215	linea	4	lege	*exhauriri*
P.	217	—	2	ab imo:	aliâs
P.	225	—	5	lege	(18)

VIII.

FREDERICI CHRISTIANI

DE GREUVE

ORATIO INAUGURALIS.

IX.

FREDERICI CHRISTIANI

DE GREUVE

ORATIO INAUGURALIS

DE FRUCTIBUS EX INSTITUTO

COLLEGIO PHILOSOPHICO

SALUBERRIMIS EXSPECTANDIS,

DICTA PUBLICE

DIE XVII OCTOBRIS MDCCCXXV.

Quum in eodem Academiae Lovaniensis Collegio Philosophico ordinariam Historiae Universalis et philosophiae professionem solenniter auspicaretur.



ORATIO INAUGURALIS.



Quoties mecum reputo, quam Sacerdotum (inter quos ego, faxit Deus, ne sim indignus!) praeclara sint officia, quantaque, ut in Ecclesiae Dei utilitatem Patriaeque salutem eo munere legitime fungantur, ferre humeris onera illos oporteat; toties timore quodam haud parum conturbor: non enim me latet, hoc sacerdotale munus, nisi adhibitis omnibus viribus exerceatur, tantum abesse, ut nobis honori sit, ut magis sit opprobrio et contemtu nos dignos efficiat.

Cogitanti autem de vocatione, ad hoc egregium munus rite obeundum necessaria, ad quod nemo arroganter accedat, testante Apostolo (1): *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron;* ac sedulo perpendenti, quis Jesu Christi Apostolis adnumeratus presbyter, ut gregis sibi crediti salutem operetur, et sibi ipsi et populo esse debeat, quam optimis moribus ingenuisque disciplinis

(1) Hebr. V. 4.

ornatus : magna mihi multaque subito occurrunt vitia atque impedimenta, quibus obnoxii (ut indignissimos taceam) plurimi sunt, qui quamvis ceteroquin probi habeantur, sibi aliisque inutiles vivere videntur. Cujus rei quum causam perquiro, hanc inde esse repetendam facile apparet, quod aut sine vocatione ad Christianorum sacra accedere audeant aut, licet vocati, non satis studuerint optimis disciplinis neque animum virtutibus necessariis excoluerint.

Quae ut demonstremus, non longa sane opus est disquisitione : multi enim non muniti necessariis praesidiis Dei ministerio se consecrant, et omissa morum atque indolis sedula exploratione iisque disciplinis neglectis, sine quibus in sacro hoc et nobili studio versari feliciter nequeunt, tutissimam vocationis cognoscendae et progressus in Facultate Theologica faciendi viam adspernantur aut inveniendae etiam hujus viae occasione carent : ut in aliqua linguarum cognitione sibi placentes et caeco quodam impetu ad sublimiora sapientiae, ad Theologiae adyta properantes, in Seminario constituti, ad summum, peractis Theologicis passim studiis, semidocti evadant atque adeo Ecclesiae Dei nihil utilitatis afferant.

Cogitantem saepenumero de his aliisque tum vocationis tum scientiae defectuum causis, neque alia, qua tristem consolarer animum, spe ductum, quam quae, futuri credula melioris, saepe suo fallitur augurio, quanta me admiratione laetitiaque commoverit Regis decretum, Vobis, A. A. H. H. dijudicandum relinquo; quippe quo decreto perutile Catholicis

tironibus, qui se Theologiae studiis dicare velint, Collegium Philosophicum conditum est (1).

Vix enim illud perlegeram, cum subito erectus sum in certam spem utilitatis quam maximae posthac inde percipiendae; quin non eo solum quod jam cogitatione prospiciebam, quam jucundum fructuosumque et Theologiae studiosis et omni *clero* hoc Collegium esset futurum, valde delectabar, verum etiam quod ad optimi Regis optimum in Catholicos animum rite aestimandum pertineat, cujus inter egregiae voluntatis exempla, quae omnibus dudum innotuerunt, illud quasi monumentum aere perennius sese extollit.

Itaque si hodierno die ex ipso tamquam gaudii fonte orationis meae argumentum hausero, non erit, ut arbitror, Auditores! quod miremini, quare, de praestantia hujus Collegii Philosophici verba facturus, fructus inde saluberrimos exspectandos esse Vobis ostendere mihi proposuerim. Quod etsi ingenuis probisque Theologis ita jam persuasum est, ut demonstratione non egeat, non tamen a mente virorum vel Regni vel Catholicae Religionis rebus publicis praepositorum, qui ad habendam hanc solennem orationem me invitaverunt, nec a muneris quod hodie auspicor ratione, nec etiam a nostro tempore alienum mihi visum est, si in ipso aditu Praelectionum mearum novi hujus Instituti utilitatem, ne dicam necessitatem, diligenter exponam.

(1) Die XIV. mensis Junii, hoc anno post Christum natum MDCCCXXV, Num. 56. Videatur *Nederlandsche Staatscourant*, die XXIV. Junii, eodem anno, Num. 146.

Quamquam vero tot tantisque publicis Ecclesiae Patriaeque, nec non privatis meis propter praeclarissimi Regis in me benignitatem atque fiduciam, laetitiae causis ad dicendum impellor, virium tamen mearum tenuitate prohibeor; nam licet hoc orationis argumento nihil ad rem opportunius, nihil ad Principis Serenissimi munificentiam ostendendam accommodatius existimem; vereor tamen ne, quo minus hac in re exspectationi Vestrae satisfecerim, eo magis beneficii magnitudini defuisse videar.

Quis enim ego sum, qui hoc opus aggrediar? qui de tantis rebus digne loquar? Fretus tamen humanitate Vestra ac benevolentia, publicum hunc dicendi locum conscendere non dubitavi. Adeste igitur animis et pro Vestra in Literas voluntate quae dicturus sum aequi bonique facite.

Vos quoque, lectissimi Juvenes! sive ad quos, tamquam hujus Academiae alumnos, aliquo id modo pertinet, sive quos, tamquam hujus Collegii tirones, mea potissimum spectat oratio, vos, inquam, qui corpore estis praesentes, adeste item animis et attente me audire haud dedignamini.

QUISQUIS aliquantulam habet cognitionem Seminariorum, quae in Patria nostra reperiuntur, eum fateri mecum oportet, temporis spatium, quum maximae ad Theologicas disciplinas requirantur praeparationes, ibi certe non esse datum longius,

quam necessarium est ad Theologiae studiosos ita informandos, ut tempore studiorum exacto digni habeantur, qui Sacerdotii munere animarumque cura fungantur: atque eo praesertim, quod uno eodemque temporis spatio componere se debeant ad exercitia spiritualia, ut in perfectionis via aliquos progressus facere possint, hanc illorum in Seminariis commorationem breviorem esse credimus, quam quae omnibus suis numeris absoluto Theologiae studio sufficere possit; neque negari potest, illis saepissime, licet ibi admoneantur quotidie atque incitentur ut ad divinam vocationem probandam virtutibus sese imbuant nobilissimis, deesse occasionem hominum ingenia moresque cognoscendi: qua cognoscendi facultate, ἀνθρωπογνωσίαν dixerim, qui sunt instructi, cum illa ad nos ipsos quoque cognoscendos valde sit idonea, melius revera, num a Deo sint vocati, sibi exploratum habere possunt. Quae cum ita sint, non miror, quapropter quam plurimi aut *probi* sine magna rerum intelligentia aut *docti* sine ulla paene virtutum excellentia in hominum societatem redeant et saepissime ne vocati quidem sacrificiis altaria Dei cumulent. Verum enim vero cum neque humanam naturam neque se ipsos noverint, facile fit, ut sui amore, qui pessimus consiliarius esse solet, abrepti, sese vocatos esse sibi persuadeant.

Itaque si Vobis ostendero hujus Collegii Philosophici institutum, cujus prae ceteris hujusmodi institutis excellentiam omnibus notam prorsus fieri arbitror, Theologiae Studiosis praebere occasionem utiles necessariasque cognoscendi disciplinas, quae tamquam praeparatoriae Theologica studia prae-

cedere debent aut saltem iisdem esse levamini possunt, — deinde ea *practice* exercendi, quae *theoretice* didicerunt, — denique utriusque adjumento sese probandi, num ad Theologiam idoneos non tantum, sed vocatos etiam se sentiant : tunc equidem abundanter hujus Collegii praestantiam probasse mihi videbor, atque saluberrimos inde fructus exspectandos esse, neminem puto inventum iri, qui neget.

Neque admodum mihi in hoc laborandum est. Inspiciatur tantum Regii decreti illa pars, quae de rebus in hoc Collegio discendis agit. Ibi autem legitur :

« Tirones Collegii Philosophici docebuntur disciplinas sequentes : Belgicas, Latinas, Graecas, Hebraicas Literas; Eloquentiam; Logicam; Belgicam Historiam; Universalem Historiam Historiamque Philosophiae atque Ecclesiasticam; Ethicam; Metaphysicam; Jus Canonicum. »

« Insuper ipsis dabitur occasio discendi Germanicas Gallicasque Literas, Belgicam Gallicamque Eloquentiam atque Mathesin. »

« Denique ab omnibus omnino discipulis frequentanda extraordinaria erit praelectio, qua summatim tradentur elementa Physicae, Chymiae, Oeconomiae Ruralis ac tandem Naturalis Historiae. »

Quibus recensitis jam parumper evagari per singulas partes

et, quantum unaquaeque disciplina Theologiae Studiosis afferat adjumenti, paucis liceat complecti.

Quod itaque primum ad studium Literarum attinet, de Patrii sermonis utilitate neminem credo, hisce praesertim temporibus, dubitare posse. Patria enim lingua bene culta, sicuti eam proavi coluerunt, ad multarum rerum notitiam non solum sufficere potest, sed ejus quoque naturae est, ut ad amorem Patriae incitare suos cultores possit; neglecta vero corruptaque si fuerit, mores quoque boni sensim corrumpantur necesse est. De hoc argumento Seneca (1) jam scripsit epistolam, qua haec habentur: « Ubicumque videris orationem corruptam placere, ibi mores quoque a recto descivisse non erit dubium. Quomodo conviviorum luxuria, quomodo vestium, aegrae civitatis indicia sunt: sic orationis licentia (si modo frequens est) ostendit animos quoque, a quibus verba exeunt, procidisse. »

At vero fieri non potest, quin oratio sit corrupta, si Patria lingua negligatur. Inprimis igitur ea Sacerdotibus, qui salutiferas populo admonitiones dare debent, non negligenda est, ut neque ipsi orationem proferant corruptam neque haec corrupta placeat auditoribus.

Nec minus Latinae linguae, non eam dico, quae scholis inferioribus acquiritur, sed elaboratam et quodam modo per-

(1) Epist. CXIV.

fectam cognitionem nostris tironibus necessariam esse nemo erit qui infitietur. Ipsa enim, praeterquam quod eam Romana Ecclesia ad sacerdotalis requirat muneris exercitium, tamquam aditus est ad eruditionem universam, cum optima discendi praebeat instrumenta et praestantissima; sine quibus neminem certe fieri Theologum neque ad gradum aliquem doctrinae insigniorem contendere posse constat.

Quid autem dicam de lingua Graeca? quid de Hebraica, linguarum matre? « Hujus enim adminiculo Dei Optimi Maximi oracula ad humanas olim aures pervenerunt, eo etiam tempore, quo neque Grajum neque Latinum nomen in orbe esset nec ulla aliarum linguarum initia, nulla vestigia, ita ut antiquitatis laude celebritatem et gloriam suam abunde commendet (1). » Graecae autem linguae adminiculo praecipua Novi Foederis mysteria Christi Apostoli et Evangelistae posteritati tradiderunt. Utraque summo igitur jure colenda est, ut Revelationis divinae fontes puri serventur. Licet enim nobis Catholicis Ecclesiae auctoritate edita scripturarum interpretatio Latina, quae *vulgata* dicitur, sufficere possit, quid tamen Theologis jucundius, quid utilius, quam ipsam posse conferre cum genuino sermone, ut iisdem atque adversariorum armis, contra hos causam agentes, uti valeant. Insuper prae aliis linguis Graeca se extollit tamquam artium omnium disciplinarumque conservatrix. Literarum quidem atque omnium doctrinarum origo ab Orientalibus populis est repetenda, a Phoe-

(2) JAC. CRUCII Suadâ Delph. p. 43.

nicibus praesertim; sed illae artes inde pervenerunt ad Graecos, qui omni humano generi per Poëtas, Historicos, Philosophos, Oratores plurima et optima fortitudinis, humanitatis, sapientiae praecepta dederunt, ut quidquid eruditionis apud Romanos aliasque fuerit gentes, Literis debeatur Graecis.

Venimus nunc ad linguas Europae hodiernas, quibus quum praeclara et plena eruditionis scripta exstent, perutiles et ipsae tironibus censeri debent; neque iis carere facile quis potest, qui gentium mores perquirere cupiat aut cui (et haec Sacerdotis saepissime ratio est) cum altero, cujus linguam non callet, literarum commercium instituendum sit. Quare vel me tacente unusquisque harum linguarum, inter quas principem fere locum Gallica et Germanica obtinent, praestantiam praedicat atque fructus, quos inde Theologi capere possint, uberrimos esse intelligit.

Jam de praestantia eloquentiae nihil attinet dicere, quandoquidem nemo est vel mediocriter in dicendi arte versatus, quin magna de illa atque admirabilia praedicaverit : de illa, inquam, eloquentia, quae abjecto vulgari dicendi genere ad conceptas animo rerum imagines efferendas grandibus utitur verbis ad persuadendum idoneis, — qua Demosthenes, Cicero, ceteri Antiquitatis Oratores totas permoverunt gentes et quo vellent duxerunt.

At vero sine gratissimo ingenuarum artium ac disciplinarum subsidio verum hoc eloquentiae donum frustra deside-

ratur : quare, cum Sacerdotibus, ut perorandi munere bene fungantur, eleganti maxime opus sit oratione, valde necessarium est Theologis ad hanc facundiae gratiam acquirendam assiduum illarum doctrinarum studium; quae propter alias etiam rationes ab ipsis sedulo sunt colendae.

Quid enim, A. A. H. H. optabilius, quam in sana mente acumen ingenii? quam rectum omnium rerum judicium? quam qua verum a falso separetur, bene distinguendi facultas? Nostrum itaque est perficere et intellectum et voluntatem. Magna autem ex parte falsa plerumque judicia, vel attentionis vel cognitionis vitio orta, cum praecipitatione feruntur, et ut hoc evitetur, recta cogitandi principia discenda sunt : aut pravo voluntatis arbitrio, cujus mater Φιλαυτία est, saepissime cum pertinacia statuuntur; quod ubi fieri videmus, ipsam Φιλαυτίαν supprimere conemur et omnem laborem impendamus, ut voluntatis humanae naturam et conditionem cognoscamus. Itaque et intellectus et voluntatis studium, quod quidem omnibus est hominibus inculcandum, praesertim Theologo valde est necessarium, vel ad Revelationis divinae excellentiam, cujus mysteriis Fidei virtute nihilominus constanter assentiendum est, in suam ipsius utilitatem adversariis explorate ostendendam, vel ad divinae legis humanitatisque praecepta legitime implenda gregique pabulum sanae doctrinae salubriter praebendum. At vero neque intellectus perfici potest neque voluntas sine Rationalis Philosophiae studio, quam qui recte coluerint, Theologi nomine digni soli habeantur.

Philosophia enim, quod nominis etiam origo indicat, est amor sapientiae, qua homo, ceteris excellens animantibus, verum bonumque a falso maloque distinguere atque illud expetere, hoc fugere valet. Omnium itaque artium, disciplinarum omnium parens quoque et nutrix est Philosophia. Haec intellectum voluntatemque sola perficere potest ac debet : hanc quidem per morum doctrinam, illum autem contemplatione rerum, quas sensu percipere licet, cognitione nostri, investigatione principiorum ratiocinandi, consideratione summi Dei, tamquam omnium operum, totius mundi Artificis, observatione viarum veri videndi, judicandi, demonstrandi et cum aliis communicandi.

Sed ne verbis ludere videar, singulas Philosophiae partes, quae hoc in Collegio docentur, percurramus, et quantum Theologos juvent breviter declaremus.

Prima igitur prodeat Logica, quam veteres Dialecticam appellarunt. Omnium haec artium maxima est, cui debemus regulas, quibus veri discrimen a falso reperiamus : mentis enim humanae vires et operationes in veritate cognoscenda dirigit, ex veritate cognita alias deducit, certa stabilit principia, quibus veritates ab errore distingui valeant et, quibus veri falsique species discernatur, regulas exponit. Ope itaque Logicae ita veri studio informatur Theologus, ut ad judicia ferenda omni vacare perturbatione et ad considerandas res omnem adhibere diligentiam discat, ne praepropere nimis et temere judicans, quod Religionis Christianae cultorem et

defensorem dedecet, incerta pro certis, falsa pro veris accipiat aut quidquam colligat, quod ipsi non liqueat. Hac arte instructus Sophistarum fraudes facile detegit adversariorumque argutias dispicit; sed in disputando non iracundiam, non temeritatem, sed gravitatem, constantiam et solius amorem ostendit veritatis.

Neque aliter de Metaphysicae studio sentiendum; quae cum in ultimis versetur veritatibus, a quibus ceterarum veritatum rationes sumuntur, primarum amplissimarumque scientia veritatum recte dicitur. Agit enim de summis cognitionis nostrae principiis omniumque disciplinarum fundamenta jacit communia, *Entis* naturam et attributa, Dei scilicet Spirituumque immortales investigans substantias; generalia de mundo dat praecepta atque animi nostri naturam ejusque libertatem accurate considerat. Nonne igitur Theologis apprime utilis est Metaphysica, quae incredibili sua subtilitate non tantum maximam praebet cogitandi securitatem ac perspicaciam, sed hujus etiam est conditionis, ut aliae ipsius partes evidentissimo fulgeant lumine, aliae densissima latitent caligine? Metaphysicis enim exercitationibus nunc quidem in purissimo solius rationis lumine versantes, ad puram coelestium rerum meditationem animum illi attollunt, quo prima ipsis ad Theologicam doctrinam aperitur via: nunc autem tenebris undique involuti rerumque Metaphysicarum obscuritate prohibiti, facile sibi persuadent, quam sit infirma hominis scientia, si naturali tantummodo ratione ad Dei cognitionem rerumque divinarum se conetur attollere; quo fit ut, na-

turalem experti infirmitatem, dociles fiant paratique ad illas subeundas disciplinas, quae summa Dei auctoritate nituntur.

Arctissimo porro Metaphysicae conjunctam esse vinculo Ethicam nemo nescit. Haec enim honestissimis sanctissimisque Juris Naturae legibus mores instituit, voluntatem dirigit, a flagitiis revocat, virtutis amorem conciliat, cupiditates temperat, jucundam et beatam vitam impertitur. Quis ergo non videt, quam utilis, quam necessaria sit Theologis morum, virtutum, vitiorum, felicitatis verae cognitio, quam Ethicam vocamus? Humanitatem, justitiam, aequitatem, amorem, pietatem, charitatem praedicat summis illa laudibus; quam qui complectuntur, facilius ad majores difficilioresque Religionis virtutes exercendas idonei redduntur.

Quae huc usque de Philosophia diximus, maximam revera Theologis utilitatem afferunt, non tamen sine nobili Matheseos studio, quam cum omnibus perutilem esse sat notum sit, silentio de industria praetereo. Verum, licet minoris utilitatis esse videantur, neque Physicae neque Chymiae neque Rei Rusticae neque Historiae Naturalis omnino negligenda est cognitio : cujus auxilio non solum melius Novi Veterisque Testamenti plurima loca Theologus sibi explanare, sed Laicis etiam, praesertim rusticis, prodesse potest.

Sed forsitan quis inquiet : quid Theologis ista? Insipientibus nihil equidem respondeo; cum vero soleant *in verba jurare magistri*, unius CHRYSOSTOMI, cui facile credent, sententiam

hic proferam. Ille autem, « Sacerdotem, — inquit, — oportet esse inprimis prudentem atque adeo multarum rerum experientia instructum ornatumque in tantum, ut saecularia mundanaque omnia nihilominus norit, quam norunt ii, qui in media hominum turba versantur. » Quibus tamen rebus non inflari debere Sacerdotem cum eodem affirmo dicente : « Rursus rerum omnium mundanarum securior vivat, quam monachi ii, qui montes ipsos habitandos occuparunt (1). »

Sed ut ad partes institutionum Collegii Philosophici nondum nominatas veniam, neque *multarum experientia rerum instructus* esse neque *securior rursus monachis vivere* potest Sacerdos, nisi in Historiarum studium incubuerit, sine quo omnes imperfectae sunt disciplinae.

Historias itaque, Universalem praesertim, doceantur Theologi, nec minus ejus, quae Philosophiae Historia nominatur, plenam acquirendi cognitionem illis occasio detur. Quod Historiarum studium ejusmodi est, ut pars illarum universalior compendiosius, specialior autem copiosius tractetur. Cum itaque suos quaeque gens habeat mores, accuratius harum rerum Studiosi Patriae suae Historiam quam aliarum regionum cognoscere conentur, nec mirum praeterea si ipsis omnibus, quandoquidem tamquam veram Patriam venerantur Ecclesiam, inprimis quoque Historia Ecclesiastica tradatur ejusque comitatu Jus Canonicum explanetur. Quae quamvis ad ipsum

(1) CHRYSOSTOMUS de Sacerdot. Lib. VI.

Theologiae studium magis proprie pertinere videantur, tantae tamen sunt utilitatis, ut dignitatis causa hoc in Collegio eam praecedere possint. Imo etiam ad Juris Canonici studium Theologicum quaedam inprimis requiritur praeparatio, tironibus nostris non tantum utilis, sed vel maxime quoque necessaria, quia haec Juris Canonici disciplina pro consilii diversitate ab aliis aliter tractari et potest et debet. Et sane minime laudandi sunt ii, qui res diversas, quamvis quodam modo consociatas, commiscent ac conjunctim tractant; nec dici potest quantum ea in re vel maximi nominis Canonistae peccaverint. Corpus autem Juris quod dicunt, diversissimi esse argumenti eo patet, quod, ut omittam cetera, quae vel ad jura civitatis, vel ad jura civium privata, vel ad jus criminale, vel ad modum procedendi tum in civilibus tum in causis criminalibus pertinent, ut omnes JCti docent, regulas etiam generales contineat, quae propriae et peculiares Ecclesiae leges merito censentur. Illae vero regulae vel ad fidem spectant vel disciplinam exteriorem Ecclesiae ordinant. Priores omni jure sibi vindicant in Seminariis explicandas Theologi; posteriores vero ad quoddam disciplinarum studium magna ex parte historicum referuntur, tam arcte cum Historia Ecclesiastica conjunctae ac consociatae, ut non modo meditationibus eorum, qui in sanctum Ministerium aluntur, sed etiam omnium fidelium, quin orbis terrarum admirationi proponendae sint. Cujus enim Sacerdotis hominisve Christiani non refert scire quem locum in Hierarchia sacra et in Christianorum coetu teneat? Quis non miretur hanc omni admiratione dignam Ecclesiae administrationem, cujus auxilio Ecclesia,

quamquam omni jure coërcendi destituta, saecula pertransivit una atque stabilis ad postremum aevum permansura? Et si quam dixi, ad altiorem Juris Canonici tractationem praeparatio vel in eo consisteret, ut fontes, unde haustum est, indicaret ac palam faceret et quodam modo ejus complexum et historiam contineret, ex ea certe, nec minus ob eamdem rationem ex Ecclesiastica Historia fructus uberrimi in hoc Collegio percipiendi essent.

Sed jam de hoc praeparatorio Juris Canonici studio taceam, cujus item necessitas satis vel inde omnium oculis patet, quod arcto etiam Historiae Profanae vinculo conjunctum est. Redeam autem ad Historiam, cum Universalem tum Philosophiae, quarum professionem a generosissimo Rege mihi demandatam hodie timidus auspicor.

Historiam esse *testem temporum*, *lucem veritatis*, *vitam memoriae*, *magistram vitae*, *nuntiam vetustatis* dixit CICERO (1), quod praesertim de Fundamentali sive Universali Historia dicendum est. Sed quibus ego illam laudibus efferam? Omnibus certe omnino hominibus tam jucunda, tam utilis est, ut meo quidem praeconio facile carere possit. Inprimis autem a Theologiae Studiosis tamquam experientiae magistra colenda est; qua duce populorum varias indolis proprietates, diversos ritus et mores, laudabiles consuetudines, vituperanda facinora, evitanda vitia imitandaque virtutis exempla, deinde regionum varias secundae adversaeque fortunae vices

(1) De Oratore. Lib. II. 9.

atque urbium regnorumque ortus et occasus, fatales rerum terminos et vicissitudines simul inspiciunt; quo fit, ut quasi in maximo totius mundi theatro multarum rerum experientiam sibi acquirere valeant. Atque etiam haec hujus Universalis Historiae dos est, ut longissima rerum serie, quam admirabiliter tot inter diversas gentes populus a Deo electus semper fuerit conservatus, et quomodo post Christum natum, quem ab illo populo tamdiu exspectatum Pater coelestis *in plenitudine temporis* in mundum miserat, divinae misericordiae Providentia Christianos usque ad hunc diem summis beneficiis cumulaverit, nobis luculenter ostendat.

Neque praeterea sine Historiae Universalis adjumento quisquam sibi perspicuam Ecclesiasticae notionem acquirere se posse existimet. Ubi enim planior, quam illius vestigiis, ad multas res, quae Veteri Novoque Testamento continentur, recto sensu percipiendas via discernitur? « Facem illa praefert ubique, si quid in Dei populo et alibi gestum, ab ipsis mundi primordiis. Vaticinia Prophetarum recludit, in abditissima temporum penetrat et, levato Oraculorum velo, abstrusam saeculis veritatem eruit et spectandam proponit (1). »

Patet igitur Universalis Historiae excellentia. Ei autem rursus, ut omnibus suis numeris queat absolvi, tam veterem, quam recentiorem Ecclesiasticam Historiam jungendam esse, quis est, qui non videat? Quum tandem Philosophiam Theo-

(1) JAC. CRUCII. Suada Delph. p. 523.

logis esse necessariam jam satis probaverimus, hac etiam ratione nobis Universalis Historiae patet utilitas; ut illa aptissimo certe nomine *Philosophiae Metropolis* dicatur (1). Quapropter tironibus quoque tradatur oportet Philosophiae non tantum antiquae, sed recentioris etiam Historia, de qua tamen propter immensam ipsius utilitatem separatim nobis instituendae sunt praelectiones.

Verum enim vero totam illam Philosophiae Historiam pertractantes, stupendum quidem Philosophorum dissensum videbunt, sed simul tamen etiam hoc discent ejus studiosi: in summa sententiarum varietate certas esse conclusiones *practicas* et quaedam praecepta moralia, de quibus, licet ex diversissimis principiis diriventur, inter omnes fere Philosophos convenit; quo fiet, ut non statim ad sectam aliquam se applicent discipuli, sed potius eorum dissensu inducti, ut de pluribus dubitent, ea tantum amplectantur, quae rationi consentanea atque Religionis veritatibus submissa esse videntur; atque ita magis magisque, ut optimum quemque decet philosophum, sibi persuadeant Philosophiam profecto esse Theologiae famulam et ministram.

Sed jam, ut in causa optima, nimis fortasse multa dixi; quorum pondere quasi oppressus, ab imposito mihi munere deterreor. Non enim ignoro, A. A., quam late pateat quamque

(1) DIODOR. SIC. Lib. I. cap. 2.

difficilis sit illa tanto cum honore mihi demandata provincia; sed omnes, quibus valeo, vires ad eam rite administrandam adhibebo: nam Regis in me beneficia ac Vestri, Viri Amplissimi! in me favores nihil humile postulant, nihil mediocre, sed magnum omnino aliquid, si minus praestandum, at certe conandum. Sed jam ad illud, quod suscepimus, propositum redeamus.

Omnibus jam recensitis disciplinis in Collegio Philosophico pertractandis atque earum cognita ad Theologiam utilitate, profecto non opus est iis amplius immorari. Operae tamen pretium est considerare, quanti in hominum consuetudine aestimandus sit ille doctrinarum thesaurus, quem hic sibi colligere possunt alumni. Nonne Literis nobis ad aliorum cogitationes percipiendas adaperitur via? Nonne rationem nosmet ipsos aliosque cognoscendi nobis praescribit Philosophia? Nonne hominum naturam demonstrans, regulas vivendi proponit Historia, qua non unius aevi aut urbis exempla, sed omnium temporum, omnium gentium res gestae spectantur? Quot autem sese offerunt res, quot occasiones, quibus diverso modo cum hominibus versari Sacerdotem oporteat? Quam variae sunt hominum, indole quoque inter se discrepantium, conditiones? Quem gerere arbitrum, quam curam habere de omnibus, quomodo indulgere aliorum imbecillitati aliorumve satisfacere aequitati poterit Sacerdos, nisi claram habeat tum sui ipsius tum ceterorum hominum notitiam, quam si sine multarum rerum experientia acquirere vellet, acquireretur numquam!

« Est ei, cui Respublica commissa est, ait CICERO, nos autem majori quodam jure dicamus : est ei, cui Ecclesiae salus commissa est, necessaria oratio et sapientia, qua regat populos, qua stabiliat leges, qua castiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros viros, qua praecepta laudis et salutis apte ad persuadendum edat suis civibus, qua hortari ad decus, revocare a flagitio, consolari possit afflictos, factaque et consulta fortium et sapientum cum improborum ignominia sempiternis monumentis prodere. » Eadem enim est ac medicorum, sacerdotis conditio. « Quemadmodum igitur, Divi GREGORII NAZIANZENI (1) verbis utar, non eadem medicamenta nec eadem alimenta corporibus quibusvis adhibentur, sed alia aliis, habita videlicet vel sanitatis eorum vel adversa valetudinis ratione; eodem quoque modo animae diversa ratione ac disciplina curantur. Ii porro curationis testes sunt, qui morbis hujusmodi vexantur. Alios sermo ducit, alii exemplo componuntur. Alii calcaribus opus habent, alii freno. Nam qui segnes sunt atque ad bonum aegre impelluntur, hi verborum stimulis excitandi sunt; qui vero spiritu, quam par sit, ferventiores sunt atque effrenato quodam animorum impetu efferuntur, sicut equi generosi procul a meta aberrantes, hos utique orationis freno coërcere ac cohibere praestiterit. Aliis laudatio utilitati fuit, aliis reprehensio, utraque scilicet tempestive adhibita : aut contra detrimento, non tempestive et cum ratione adhibita : alios cohortatio ad officium dirigit, alios objurgatio : atque haec rursus

(1) Orat. Apolog. XVI. 2.

alios si palam arguantur, alios si remotis arbitris admoneantur. Sunt enim, qui privatas admonitiones contemnant, publica autem reprehensione ad officium revocentur : sunt rursus, qui liberius reprehensi, pudorem omnem abstergant contraque occulta reprehensione meliores reddantur, iisque quos vicem suam dolere perspiciunt, hoc muneris vicissim rependant, ut eorum admonitionibus pareant : quidam etiam ad minima ac levissima observandi suut, nimirum qui eo, quod peccata sua obscura et incognita esse putant (quandoquidem id moliuntur tamquam sapientiores) animis inflantur. In quibusdam rursum ad nonnulla connivere satius fuerit (ita ut videntes non videamus et audientes non audiamus, quemadmodum dici solet) ne alioqui eos crebrioribus objurgationibus, tamquam fluctibus obruentes, ad desperationem adducamus, ac dissoluto tandem pudore, quod persuasionis pharmacum est, ad quodvis facinus audaciores reddamus. Quin etiam cum nonnullis ita agendum est, ut non irascentes irascamur, non contemnentes contemnamus, non desperantes desperemus : quatenus videlicet eorum natura id requirit. Alii rursus lenitate et humilitate curandi sunt, atque alacri animo una cum illis meliorem spem induendo. Alios vincere, ab aliis vinci plerumque utilius fuerit : atque aliorum opes et potentiam, aliorum inopiam et calamitatem vel laudare vel deprecari. Neque enim quemadmodum in virtute ac vitio res se habet, ut illa quidem semper pulcherrima et omnibus utilissima sit, hoc autem turpissimum ac perniciosissimum, eodem modo medicinae quoque nostrae ratio est, ut unum idemque medicamentum iisdem semper vel saluberrimum sit vel periculosissimum, v. g. acerbitas aut cle-

mentia, aut unum quodque aliorum, quae a nobis enumerata sunt. Verum aliis hoc medicinae genus bonum atque utile fuerit, aliis autem rursum contrarium medendi genus; prout opinor vel res vel occasio tulerit, vel aegrotantium denique mores admiserint; quae quidem omnia sermone distinguere atque tam accurate perspicere, ut tota medendi ratio in summam colligatur, nemo potest, quantacunque cura et diligentia ingeniique sagacitate pollet : in rebus tamen ipsis et experimentis curatrici rationi et medico perspicua fiunt. »

Huc usque Gregorius : qui cum ipse fateatur, hanc medendi rationem sine experientia nunquam satis perspicuam posse fieri, cumque unius hominis vita brevior sit, quam quae ad tantum colligendam experientiam sufficere possit; Vos, quaeso, Auditores! judicate, quibus auxiliis ad hoc consilium exsequendum, ut scilicet experientia docti sapiamus, magis adjuvari possimus, quam Literarum et Philosophiae, quam inprimis Historiae studio?

Quum jam satis a me hujus Collegii excellentia probata videatur, unum restat utilitatis argumentum, ad quod et ipsum non minori diligentia attendendum esse censeo. In hac nempe studiorum palaestra alumnis etiam opportunissima datur inquirendi occasio, an divini Ministerii aliquas in se reperiant notas, quibus se a Deo vocatos esse cognoscant. Absit vero ut affirmem, ad vocationem divinam cognoscendam non omnem in Seminariis adhiberi curam. At quorsum istuc? Nonne maximi momenti hoc est negotium atque dignissimum, ut praematurae deliberationes illud praecedant? Quot juvenes,

qui jam eo progressi, ut in Seminaria se conferant, vix de vocatione cogitaverint! Quibus autem quantisque fallaciis, ubi primum de ea cogitare incipiunt, illa Φιλαυτία, quae proprio serviens commodo, numquam aequa nos lance examinat, nubem quasi oculis eorum objiciet, ne qua par est severitate de se ipsis judicent? Quam saepe deinde, inceptis jam studiis, aut aliorum reprehensiones evitaturi; aut auctoritatem metuentes parentum, qui, quid sit esse sacerdotem ignorantes, ad Ministerium Ecclesiae, nulla habita ratione, liberos protrudunt; aut etiam perterriti (miserabile dictu!) ne, a proposito retro gradientes, nil habeant, unde sibi victum parent, ad Theologicas disciplinas accedunt? Quot denique, qui se vocatione quidem opinantur impelli, ambitioni autem aut avaritiae serviunt, quandoquidem eo tantum sacros appetunt ordines, quod ament *primos recubitus in coenis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus* RABBI (1), more Pharisaeorum! aut quod saltem quietam mollemque vitam ducere sperent? Non autem credendum est hujusmodi stimulis incitatos, quod indolis perversae indicium saepe est, hocce in Collegio emendatum iri, quamquam emendari poterunt, nec quoquam sane loco facilius, quandoquidem quadam hic praeparatione salubriter ad doctrinarum virtutumque fastigium via sternitur. Quanto praeterea meliora habent subsidia, quibus Φιλαυτίας fraudes detegere et recto judicio causam decernere possint, tanto magis credo sperandum fore, ut se totos cum ratione ac judicio Ecclesiae Ministerio dedicent.

(1) Matth. XXIII. 6, 7.

Haec autem subsidia praebet tum Philosophia tum Historia: Utriusque enim adjumento optime discimus, quod disciplinarum genus, ut nostrae indoli ingenioque magis consentaneum, eligere debeamus. Quae nobis Historia praebet humanae conditionis exempla, ad nostram ipsorum naturam attentos nos faciant oportet. Logicae praecepta Psychologiaeque phaenomena nonne apprime idonea sunt ad recta de nobis aliisque judicia ferenda atque a vanis Φιλαυτίας imaginibus veram mentis humanae naturam discernendam? Quibus igitur adminiculis si nosmet ipsos cognoscere didicerimus, omnis elatae mentis ambitio necessario evanescet; assiduisque dediti studiis, mollem facile adspernabimur vitam, disciplinarum nobilitate capti. Scilicet,

ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores nec sinit esse feros.

Quid porro dicendum de ceteris cognoscendae divinae vocationis impedimentis, quae Theologiae Studiosos forsitan a regressu prohibeant? Nonne hujus Collegii institutione hujusmodi quoque obices magna ex parte tolluntur? Quo instituto Regis clementia in eandem Catholicos, tam docentes quam discentes, erexit dignitatem, qua ceteri gaudent doctores atque discipuli. Quapropter si qui sint, quorum voluntas alio quam a Philosophia ad Theologiam dirigatur, illis in Literarum Facultate Promotionis facilior erit via; quem honoris gradum qui sunt assecuti, summis privilegiis gaudere, atque ad magnifica docendi munera evehi possunt. Si quis autem fortasse tam perverse sibi consuleret, ut, licet se non

vocatum esse sentiret, nihilominus, sui tantum habita commodi ratione, lucri gloriaeve cupidus, Sacerdotii munus ambiret : is profecto animi occupationum concursu aut eo deveniet, ut melius de Sacerdotii dignitate cogitet, aut mole oppressus studiorum, quae cultoribus suis nil incommodi afferunt, imo propter exantlandos labores voluptati sunt, ab incepto protinus deterreatur : de quo quidem sibi Ecclesia merito gratuletur!

Quae cum ita sint, uti revera sunt, quanta sit Collegii Philosophici dignitas atque utilitas, neminem credo esse, qui ambigat.

O studia vere digna! O industriam omni laude majorem! O discendi cupiditatem, qua studia aluntur et quae rursus studiis alitur! Quid non efficitis, ubi semel generosa ingenia occupastis? Quot quantaque ad fructum animi inde virtutis ac pietatis incitamenta! O fructus uberrimos saluberrimosque, quos colligendi spes nova nunc certaque nobis affulget! In posterum enim Theologiae Studiosis peracto studio Philosophico persuasissimum erit, maximi esse momenti earum studium doctrinarum, quas ad Ecclesiasticam dignitatem adspirantibus necessarias esse intelligent; quapropter haud inconsulto, omnibus difficultatibus bene perpensis, Theologiae studio animum adjicient, digni deinde habendi, qui Ecclesiastico munere fungantur. Tunc Patria gloriabitur de talibus Dei ministris, qui populum ad pacem atque concordiam incitantes, illos spargent igniculos, quibus ad debitum Patriae amorem in-

cendantur animi. Tunc suos Ecclesia habebit optime de Religione meritos Verbi divini interpretes, qui sacras ad aras puro corde divinum Numen adorantes, dogmata Christi Apostolorumque perspicuo tradent sermone, quo devios ut in viam veritatis reducant, peccatores a lapsu revocent ad poenitentiam probosque ad altiorem perfectionis gradum consequendum incitent, ipsis continget. Tunc populus, quem sibi Christus suo sanguine acquisivit, salutarem animarum escam accipiens, omnibus debita reddet; quae Caesaris, Caesari; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem; atque omnibus se invicem diligentibus, nemini quidquam debebitur. Plenitudo legis omnes simul amplectetur, scilicet *dilectio :* unus omnibus ardor Charitatis erit, quo incitabuntur, ut alter alterius salutem operetur. O quam mirabiliter hisce cogitationibus recreor! O magna spes, quae mihi ipsam vitam multo quam antea efficit cariorem, fore ut illud Salvatoris (1) citius impleatur vaticinium : *et fiet unum ovile, et unus Pastor!*

Sed quo longius in altum provehor, Auditores! eo mihi amplior dicendi campus ostenditur. Quum tamen jam satis patientia audientium abusus esse videar, properantem ad exitum orationis, quanto diligentius causae patrocinium suscepi, tanto breviorem esse oportet; neque enim multis mihi in eo morandum est, ut Vobis persuadeam, quanti hujus ab Augustissimo Principe conditi Collegii beneficium sit habendum; quod ut justo aestimetis pretio, nulla amplius eget commendatione.

(1) Joan. X. 16.

Si igitur, quod mihi ab ipso orationis exordio proposui, sum assecutus, ut ex instituto Collegio Philosophico fructus saluberrimos intelligamus Theologiae Studiosis esse exspectandos: vestrum erit, spectatissimi Juvenes! meam causam sustinere; vestrum erit, re et facto illius Collegii praestantiam ostendere.

Vos itaque compello, literarum et artium hoc in Collegio Studiosi Juvenes ornatissimi, Ecclesiae spes spesque Patriae! Vos inprimis, qui Dei Ministerio operam estis aliquando navaturi, Commilitones dilectissimi! Arripite sedulo occasionem hanc, quam videtis ad magnos et celeres progressus faciendos opportunissimam. Agite ergo, alacres operi admovete manus! Hoc a vobis Patria, hoc Religio poscit. Vestris autem inservire utilitatibus, egregios vestros in Historiae et Philosophiae studiis, (quae doctrinae partes mihi docendae traditae sunt), conatus adjuvare, mihi semper erit gratissima cura. Vobis me totum devoveo; me vestrum ducem et amicum recipite, diligite!

Dicendi nunc finem facerem, nisi hujus diei solennitas meique officii gravitas me monerent, ut orationem ad singulos auditorum ordines, et primo quidem loco ad Vos converterem, Viri Excellentissimi! quibus a Serenissimo Principe, quem toto animo veneror et cui palam et coram omnibus hodie toto mentis affectu quas possum ac debeo maximas ago gratias; ad Vos, inquam, quibus hujus Collegii demandata fuit institutio! Ad Vos quoque, Viri Amplissimi, qui tam hujus Academiae quam

Collegii Philosophici curam suscepistis! Nec minus ad Vos, vigilantissime hujus Civitatis Consul, Praesides et Senatores nobilissimi, cujusvis ordinis ac dignitatis Viri gravissimi! quorum omnium sub auspiciis diu floreat in hac Musarum sede illud Collegium, ad quod stabiliendum, Vobis publice curantibus, Civitas Lovaniensis suis impendiis auget Regii muneris largitatem. Me autem, quae Vestra est humanitas et Literarum amor; me, inquam, Vestro favori ac benevolentiae, Collegium vero Philosophicum Vestro patrocinio atque tutelae ea qua par est observantia enixe commendo. Favete conatibus meis, favete studiis discipulorum. Nihil equidem prius habebo, nihil antiquius, quam omnibus viribus eniti et elaborare, ut mei officii partes, quod Vobis sit grati animi testimonium, sanctissime expleam!

Ad Vos nunc me converto, Collegii Rectores ac Professores, mecum eodem loco Regis munificentia collocati, Collegae conjunctissimi! Non sine timore Vobis ego, in muneris sacri curriculo octo annos versatus et Patrio quidem sermoni adstrictus, insuetus vero his institutionibus, socius adjungor. Vestra tamen fretus comitate ac benevolentia, ut me in amicitiae Vestrae societatem recipiatis et me consiliis, doctrina atque prudentia juvetis, Vos etiam atque etiam velim rogatos.

Idem Vobis de mea voluntate atque studio dictum sit, Rector Magnifice! ceterique hujus Academiae Professores clarissimi! Quando enim Vestras ingenii animique dotes usu multiplici confirmatas admiror, lubenter meam imbecillitatem confi-

teor. Patiamini, quaeso, ut Vestro sapienti consortio Vestrique ingenii lumine utar; equidem certe Vestram amicitiam, quibuscumque modis potero, demereri conabor.

Superest tandem, A. A. H. H. (quod quidem hoc ipso die lubenter fit) superest, inquam, ut Deum Optimum Maximum votis supplices veneremur.



★ ★ ★

TIBI ergo, Fons omnis luminis et boni inexhauste! cui quidquid sumus, quidquid habemus, quidquid discimus aut docemus, unice debemus, pro Tuis jam acceptis beneficiis et in posterum accipiendis infinitas ore animoque agimus habemusque gratias! Tu Supreme regnorum omnium Moderator et Rector! Regem nobis carissimum, GULIELMUM PRIMUM, nostro et Patriae, cujus salutem fundavit, commodo diu integrum incolumemque conserva atque Ejus imperium fac ut sit firmum, florens ac stabile! Tu Patriam et Ecclesiam nostram, imo Tuam, Tu utriusque rectores benigne custodi, ut laetiores in dies fructus ex utilissimis percipiant conatibus, quibus communi bono consulunt! Serva nos, doctores, incolumes nostrumque animorum consensum confirma. Sustenta vires nostras viresque discipulorum, ut

nostris consiliis atque ipsorum industria, Tua sub tutela, Tuo praesidio, haec Academia, hocce Collegium Philosophicum semper vigeat, floreat et laetiora in dies incrementa capiat! Tu studiis, Tu nostris omnium conatibus adsis, ut felicem habeant successum ad augendam Ecclesiae Patriaeque salutem, unde Tua magis magisque Gloria celebretur. Tibi enim omnium bonorum Largitor! *qui potens* es *omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis;* Tibi *gloria in Ecclesia, et in Christo Jesu, in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen* (1).

(1) Epist. ad Ephes. III. 20, 21.

IX.

RODOLPHI WINSSINGER

ORATIO.

ORATIO

DE

RATIONE STUDII JURIS CANONICI

IN BELGIO NUPER INSTAURATI

QUAM HABUIT

RODOLPHUS WINSSINGER

DIE XX DECEMBRIS ANNO MDCCCXXV,

QUUM

IN ACADEMIAE LOVANIENSIS COLLEGIO PHILOSOPHICO,

HISTORIAE ECCLESIASTICAE ET JURIS CANONICI PROFESSIONEM ORDINARIAM

SOLEMNITER AUSPICARETUR.

Tene disciplinam; ne dimittas eam; custodi illam, quia ipsa est vita tua. Prov. IV. 13.

ACADEMIAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI; ILLUSTRISSIMI!

QUI COLLEGIO CURATORUM AB ACTIS ES, VIR GRAVISSIME, AMICE!

RECTOR MAGNIFICE, CAETERIQUE PROFFESSORES, OMNIS ERUDITIONIS LAUDE CUMULATISSIMI!

URBIS REGIONISQUE MAGISTRATUS, VIRI PRUDENTISSIMI, SEVERISSIMI!

QUI SACRIS ET DIVINIS PRAEESTIS, VIRI PLURIMUM RÊVERENDI!

DOCTORES ATQUE ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRI, PERITISSIMI, ERUDITISSIMI!

CIVES ACADEMICI, JUVENES LECTISSIMI!

QUOTQUOT PRAETEREA ADESTIS, CUJUSCUMQUE LOCI ATQUE ORDINIS, AUDITORES HUMANISSIMI!

Si pro explorato habetur eam esse hominis naturam, ut non semper quodam timoris sensu se vacuum praestare queat, de quo aliquando juste excusari poterit, sane is excusatione dignus est, qui sicut ego, ex officio quidem munus oratoris, ipse discendo parum valens, implere tenetur, nec tamen sperare potest, deficiente vi oratoria, se illecebris argumenti

quod tractat, aliquam saltem dilectationem auditoribus suis esse allaturum. Etenim id in me haud sentio quod oratorem constituit, quum et exercitatio dicendi, ut scitis, fere nulla sit, sed etiam materiam orationis quadam necessitate eligere debui, praelectionibus consentaneam, quas in hac Academia habendas mihi imponere complacuit Regi nostro serenissimo; et non sine causa vereor ut mihi ejusmodi argumentum pro posse tractanti aures animumque vestrum omnium vel modicum detinere contingat. Quamobrem, quum vulgo oratores, initium dicendi facturi, timorem aut aliquam ex loci amplitudine et personarum dignitate, aliisve fontibus communibus deductam animi perturbationem simulant, ut auditorum suorum benevolentiam captent, ego verius me timidum hanc cathedram ascendisse dicere possim, si officio mihi imposito non essem perfuncturus, benevolentiamque vestram erga me non novissem. Itaque oratoriae artificiis neglectis, propius statim ad argumentum accedam.

Fato fere rebus vel optimis communi, plerumque accidit ut certis intervallis praecipue aut unice colantur; deinde negligantur aut omnino omittantur. Haec quoque fuit juris canonici conditio : postquam enim summo splendore diu floruisset, continuo corruit, quanquam in hoc compensatio quaedam inesse dici potest, scilicet quod, postquam plurima a se aliena invasisset, deinde ipsi ne propria quidem relicta sunt. Igitur hic etiam Belgio nostro datum erat, moderante principe aequissimo, boni atque utilis modum justum praebere. Canonum studium quod penitus exciderat, faustis avibus, ergo intra proprios fines restitutum est, quos definire, si viam rectam tenere velimus, magnopere refert. Res

sane ardua est : sed juvat hinc decretum regium, ex quo satis patet iter medium, quo et tutissime itur, esse tenendum ; illinc cogitatio, si in aliquibus erravero, me ab iis melius edoctis corrigi posse. Quapropter rem ipsam aggredi non dubitabo atque dicam : *de ratione studii juris canonici, in Belgio nuper instaurati.*

Inter omnes in confesso est, A. A. H. H., cujusvis diciplinarum generis studium ex eo multum utilitatis percipere, quod cum aliarum doctrinarum studio, ad illud plus minusve quadrantium, conferatur : sed non minus pro certo omnibus habetur multum detrimenti ex earum communi et confusa tractatione oriri, si cujusvis fines non satis accurate determinentur. Quamobrem non sine damno juris canonici studii evenisse dixerim, ut illud cum pluribus aliis doctrinis partim quidem affinibus, sed ab eo tamen disjungendis, commixtum fuerit. In corpore enim canonum, quod dicunt, multa inveniuntur commode ad varia variarum disciplinarum capita reducenda, ut ad theologiam et dogmaticam, ad ethicam, ad jus publicum, sive ad statum Reipublicae Ecclesiaeque, ad jus criminale, ad jus civile, denique ad modum procedendi tum in criminalibus, tum in civilibus causis; quae omnia quia eodem libro conclusa fuerant, conjunctim a canonistis, deinde a decretalistis tractata fuerunt, atque scientiam quandam confusam constituerunt, quae male pro jure canonico genuino habita est. Feliciores in hoc jurisconsulti,

qui quoquo modo jus civile suum tractaverunt, saltem in eo solo operam suam posuerunt, nec immerito *Civilistae* appellati sunt, ea magis negligentes, quae, quanquam corpori juris civilis, sic dicti, inserta fuerant, ad jus civile tamen minus pertinebant. Quod vero ii intra fines proprios cesserint, ex parte adscribi potest praestantiae, intuitu ordinis ac delectus materiarum, fontium quibus usi sunt, qua in re ratio temporum maxime habenda est; nam si imaginem temporum fidelissimam, in quibus comparati sunt, exhibent legum codices, hoc certe verissimum est de corpore juris canonici, in quo rerum omnium confusio deprehenditur. Illud quis molem indigestam pace mea dixerit, qua scientia canonum, *lato* sensu, honesto vocabulo, contineri dicunt doctores, atque ad ea sane respicientes a jure canonico magis aliena et tamen ad illud referri solita, canonicum sive regulare nominatum affirmant, quod sit omni jure alio rectius. Nos minus ambitiosi, prudentius duximus *latam* illam canonum scientiam *restringere*. Itaque in hac nostra investigatione de iis circa quae versari hodie debeat apud nos juris canonici studium, quidquid proprie ad illud parum pertinens invenerimus, consulto seponemus, atque ita quamdam juris canonici *stricte* sumpti ideam nobis proponemus, quam ad solam Ecclesiae disciplinam accommodari posse credimus.

Primum itaque, A. A. H. H., de locis theologicis (1)

(1) Sub locis theologicis me cum theologis non intelligere *fontes seu promptuaria ex quibus tanquam principiis theologia argumenta sua desumit*, non est quod moneam.

dicemus, quae in corpore juris canonici omnes quidem reperiri fatentur, nonnulli vero quamdam affinitatem inter theologiam et jus canonicum statuentes, ex natura sua ad jus nostrum pertinere, aut saltem accedere putant. At in ipso limine objectione me detentum sentio : mihi enim audire videor quis es tu, qui de eo quod sit theologicum vel cum theologia consociatum, an contra, verba facere praesumas, num ipse theologus? Quo pacto quid tale sit, an non, dicere potes, si quid theologia sit, vastissimumque ejus amplexum ignores? Equidem fateor me plane in theologia hospitem ac peregrinum videri posse : attamen quare non dicam me talium studiorum semper fuisse maxime curiosum atque avidum, ita ut saltem circa quae versetur eorum argumentum ignorare non possim. Praeterea multum interest de re quadam affirmare quid sit, an quid non sit; atque ego in animo tantum habeo dicere quid ad jus non spectet; et hoc mihi eo libentius concedendum est, quod nemo quid sit jus me jure constituere inficias ibit. Jure itaque jurisconsultus, quid ad jus canonicum non pertinere sentiam, statim proponam.

Primum igitur loci, inquam, theologici corporis canonum nullum inter theologiam et jus canonicum nexum statuunt; atque illa ab hoc separanda est : etenim sicuti in ipsa rerum natura est, ut eae sint, priusquam quae sint doceri possit, sic leges fuere, quibus societas civilis gubernaretur, et Ecclesia regulas habuit, quibus regeretur, priusquam jurisprudentia, scientiave canonum esset. Sed sicuti initio inter varias juris partes non satis distinguebatur, verum eae promiscue tractabantur, sic etiam primum canonum

doctrina, quae pars theologiae videbatur, cum ea admixta, nusquam sola et per se exstans apparebat. Exinde factum est ut postquam jus canonicum separatim tractari coepit, plura adhuc mere theologica in eo remanserunt. Quod vero plura ejusmodi capita in corpore juris canonici exstent, certe nihil inde ad ejus naturam theologicam effici potest; nam sicuti quidquid attingunt theologi, non ideo theologicum fit, sic etiam quae inter juridica reponuntur, non ideo juridica fiunt; et frustra aurum cum metallo minus pretioso immixtum fuerit, semper separari potest. Quapropter, quamquam ex. g. primus titulus Decretalium de ipso religionis fundamento, scilicet de Sancta Trinitate agit, non ideo aliquid theologici in jure canonico esse dicendum erit, nam idem affirmandum esset de jure romano, siquidem primus titulus codicis justinianei pariter de Sancta Trinitate et quidem fuse disserit, qua in re Tribonianum secutus est Raimundus; et quod nemini in mentem venit de jure romano in medium proferre, non magis de jure canonico asserendum est.

Sed cardo rei in his non vertitur, quae tum in jure romano, tum in jure canonico, dignitatis causa collocata fuisse omnes haud aegre mihi dabunt. Totum jus canonicum theologiae affine, atque cum ea esse conjunctum volunt, quod, ut aiunt, circa sacra et ipsam religionem versetur. Sed haec assertio de jure tantum canonico, quod late sumendum esse dicunt, valere potest; et sponte collabitur, restricto jure canonico ad limites suos, qui, sicut mihi videtur, ultra id, quod speciatim spectat ad compositionem Ecclesiae, disciplinamque ab omnibus, qui in ea comprehenduntur tenen-

dam, propagari non debent. Notione vero juris canonici ita restricta, vel potius definita, arctum vinculum, quod praetendunt, theologiae cum jure canonico prorsus relaxatur, imo solvitur. Si quid enim est theologiae in jure canonico, quod quantum sit non disquiram, hoc ei adjunctum, aut in eo relictum fuit, verum ex natura utriusque scientiae ad illud minus pertinet; quod saltem nullo negotio concedendum erit, si jus canonicum ad disciplinam ecclesiasticam restringatur, uti contendimus esse faciendum. Qua ratione autem res duae natura sua conjunctae dicerentur, quarum altera una semper eademque manet, altera subinde mutari potest? Atqui inter omnes constat fidem atque doctrinam Ecclesiae firmo fundamento stare immutabiles; disciplinam vero mutationes identidem pro necessitate temporum subiisse. Haec clara sunt: attamen rem adhuc illustrare nullamque inter jus canonicum et theologiam conjunctionem, seu consociationem esse, luce clarius exemplo commonstrare juvat. Nempe sicut nemini opus est, ut praescriptum quoddam vel ordinationem de modo constituendorum tribunalium explicet atque percipiat, juris apices callere, nec quidem juris peritus esse debet, sic etiam neminem ut ordinationem Ecclesiae atque ejus disciplinam animo comprehendat, theologiae adminiculum, quaelibet sit ejus relatio cum jure canonico, adhibere oportet.

Sed age: ponamus plura in jure canonico occurrere theologiae confinia; ne hoc quidem negaverim. Confinia porro plura theologiae esse possunt, quae non ideo sunt theologica; et si nondum theologica sint, manent juridica, ad jurisprudentiam pertinentia, illiusque ope explicanda. Quod

si talia sint, quae explicationem ulteriorem ad theologiam pertinentem requirant, haec theologis relinquenda est. Duplici itaque aspectu consideranda sunt, quae in jure canonico tehologiae affina reperiantur : illa jurisconsultus, qua juridica explicet, qua vero theologiae confinia, nequidem attingat, nec attingere debet; et in hoc praesertim valent quae disertissimus vir, Clarissimus DE GREUVE (1), qui me in hac cathedra praecessit, de jure canonico in nostro instituto tractando, nuper disseruit, tanquam praeparatione quadam ad juris canonici tractationem altiorem, nempe theologicam, habendo.

Maneat itaque, seque totum intra fines rerum canonicarum contineat, qui tantum canonum et juris peritiam profitetur, iisque in rebus quae ad theologiam vergant, non ultra earum aspectum juridicum procedat, sibique quoddam *nec plus ultra* statuat. Sicuti enim prudens separaverit atque omiserit, quae ad theologiam pertinentia cum jure nostro coagmentata et conflata sunt, sic etiam ea in quibus concurrere posse visa fuerit, theologice non premet, sed tamen juridice attinget. Nam alias jurisconsulti a multis excluderentur, quae scitu sunt pernecessaria, nec ab aliis explicari possunt (2); quin etiam judicia a jurisconsultis essent relinquenda; non amplius de jure, sive in litibus dirimendis, sive in quaestionibus exercendis, de peccato tantum esset quaerendum; quod, an melius foret, non disquiram, si qui-

(1) Orat. inaug. pag. 18 sqq.

(2) Quam ob causam canonum professores semper ad ordinem JCtorum pertinuerunt.

dem experientia satis docet homines vulgo ad hanc reipublicae formam non esse comparatos.

Ex hisce patet theologiae cum jure canonico conjugationem vel tantum facti esse, atque ideo non attendendam, vel eam esse ut tantum aliquid confinii inter theologiam et jus canonicum esse dici queat, ita ut illa in quibusdam incipiat ubi hoc finivit; hoc ergo ab illa disjunctum et separatum sit, nec in scholis praeparatoriis conjungendum. Quapropter satis demonstravisse credimus nihil theologici, quidquid id sit, in jure canonico tractari debere, aut saltem in eo apud nos docendo esse attingendum; quod, quum ad propositum nostrum sufficiat, ad aliud caput properamus, in quo tamen hucusque dicta, propter convenientiam suam cum iis nunc tractandis, ulterius explicabuntur.

Dogmaticae enim de qua nunc pauca sunt disserenda, commune est id quod de theologia disputavimus, cujus partem illa constituit. Et praecipue de dogmatica valet quod de affinitate qualicumque juris canonici cum theologia quaesivimus. Qua de causa quidquid ad dogmaticam pertinet, e jure canonico proprie sic dicto amovendum erit. Dogma ad essentiam rei spectat; jus canonicum formam tantum constituit; prius conscientiae regulas praescribit; alterum ad solam Ecclesiae ordinationem respicit; sunt quidem canones bene multi de fide conditi, ut conscientiae regulae sint, sed sub nomine canonum, jus nullum condunt canonicum stricte sumptum; gradum altiorem tenent; ad illud non sunt deprimendi, nec a sublimioribus theologiae doctrinis separandi. Quapropter quidquid quoad fidem in titulis Decre-

talium *de Baptismo et ejus effectu*, *de Reliquiis et veneratione Sanctorum*, et in aliis, sancitum reperitur, canonum peritus in explicationibus suis juridicis omittat, sicuti quae habet codex justinianeus sub titulo, ex. g. *ne sanctum Baptisma iteretur*, vel in aliis, tantum attingat, in quantum ad jura pertineant. Æquum enim est sua cuique tribuere; primum est juris praeceptum. Jura igitur doceat jurisconsultus, dogmata et prisca fides sub custodia sacrorum antistitum maneant (1). Nemo in aliena invadat, jusve suum nimis acriter persequatur, ne jus summum summa injuria fiat. Nam quum in omni vitae momento et in omnibus peropportuna sit religio sancta, si id majori, quam par est, auctoritate commendarent divini cultus ministri; nimio religionis promovendae studio, omnia ad se traherent, vel quod eodem redit, nescio quid arcani in rebus suis constituentes, se a reliqua hominum societate segregarent, atque disrupta civilium ecclesiasticarumque rerum concordia, pacem publicam, specie boni decepti, moribusque hominum reluctantibus, facile in discrimen adducerent. Contra si quisque de rebus divinis disserere praesumeret, quidquid somniaret aliis pro veritate intrudere tentans, tempora illa turbulenta atque pro Ecclesia luctuosa, quanquam ipsa Dei promissis stabilis atque inconcussa in nullum periculum adduci potest, renasci videremus, in quibus miserrimis discordiis disputationibusque, principum sanctionibus non quidem componendis, dilacerabatur.

(1) In hac re praecipue valet distinctio inter ea quae divinae, atque ea quae humanae institutionis sunt.

Quid nunc dicam de ethica, qua duce mores ad praecepta boni atque honesti diriguntur, cum jure canonico conjuncta, pro eo tamen non accipienda? Sane in jure nostro multa de reformatione morum sanciuntur, et cum eo arcta est ethicae affinitas : attamen probe a disciplina distingui debet, quae tantum via est ad honestatem atque bonos mores promovendos. Arctiori vinculo fere dixerim, cum nullo doctrinarum genere conjungitur ethica, quam cum disciplina Ecclesiae. Sed omnium temporum, omnium aetatum, omnium locorum quoque est; cujusque hominum consortii refert ut mores floreant. Legislatoris est officium non mediocre mores promovendi legibus suis : de eo quod in hac re praestare potest ac revera praestat, quum jura publica, tum jura privata testantur. Ethica in omni civilis communitatis vita viget : quin etiam vinculum commune est hominum omnium partium, quoquo modo de republica administranda sentiant, quave ratione numen divinum adorent; imo populos sacris et legibus disjunctissimos, non raro boni atque honesti sensu communi conjungit. Nil mirum itaque quod scientiam propriam atque antiquissimam constituat, ad quam ea quibuscum in jure canonico commixta occurrit, melius remittenda sunt, quam conjunctim tractanda.

Huc usque, A. A. H. H., plura recensuimus cum jure canonico non conjungenda, attamen quae aliquam cum eo affinitatem habere dici possunt. Quae praeterea cum jure canonico late sumpto, quod dicunt, coagmentata fuerunt, ab eo magis aliena videntur, ita ut quis, nulla temporum habitá ratione, merito mirari possit, tam diversa elementa in unam massam coaluisse. Hoc tamen de jure publico mi-

2*

nus intelligi velim, cujus partem constituere dici potest jus disciplinae Ecclesiae, quanquam omnia quae in eo Civitatis jura tangere possunt, libentius ad jus publicum ecclesiasticum remittam. Prudenter enim praescriptum regium de modo studiorum in altioribus disciplinis in hac regni parte constituendorum (1), sub jure publico collocat jus ecclesiasticum, a quo jus canonicum discernit. Quum itaque plura sint in corpore juris canonici, quae ad jura Civitatis proprie spectant, quod mihi facile quisque dabit, qui vel leviter libros nostros pervolverit, haec ad jus ecclesiasticum referenda sunt. Huc igitur pertinet non una decretalis epistola, quae, in rebus mere juris publici, de statu olim perturbato Reipublicae et Ecclesiae, hodie adhuc luculentum dicit testimonium. Sed illa ad historiam temporum spectant; satisque nobis est indicasse ea in jure canonico non esse tractanda, praeterquam quod melius sit iis abstinere.

Haec vero sunt quae nullo nomine probabili adscribi debuisse juri canonico contendimus, ut illa una appellatione comprehendam, scilicet omnia ea quae vel ad jus criminale, vel ad jus civile, vel ad quaestiones habendas, litesve ordinandas mere pertinentia, in juris nostri fontibus repeniuntur. Verum quidem est poenas ab Ecclesia jure statui posse ac merito sanciri; consentaneum est ut in illis poenis accommodandis judiciorum formulas praescribat. Sed sicuti potestas ecclesiastica a potestate civili toto coelo natura differt, sic etiam poenae quas utraque sancit, et judiciorum

(1) *Reglement op de inrigting van het Hooger-Onderwijs in de Zuidelijke Provincien van het Koningrijk der Nederlanden. Art.* 15.

ordo differre debent. Quin etiam quidquid circa res extrarias atque hominum instituta versatur, ab Ecclesia alienum est; eam aeterna manent : praecepta fidei et cura animarum his in terris patrimonium suum sunt. Profanis ergo commodis curandis ipsa non gravetur. Habeat quidem disciplinae regulas tanquam societas, vel potius tanquam familia magna per terram omnem habitabilem diffusa : at sontes non habeat; quaestiones non exerceat; forum de commoditatibus humanae vitae non agat; haec omnia sunt extra rem ipsi propositam. Ecclesia in simplicitate ambulat; pacis ministerium exercet. Non est itaque quod clerici apices juris civilis captent, litigatorumque cavillationibus excutiendis operam dent, quidquid de hujusmodi argumento in jure canonico admixtum inveniatur; imó ab omni strepitu temporalium cessare (1), nec in eis inanes secularium negotiorum fabulae audiri debent (2). Quid multa? Jus canonicum quale saeculis anterioribus excultum fuit, praesenti apud nos Ecclesiae statui parum convenit (3), et sicuti non amplius necesse est ut clerici v. g. a causis patrocinandis interdicantur (4), sic etiam quod habet civile vel forense corpus

(1) Caus. XII. Quaest. I. can. 7.

(2) Dist. XLIV. can. 11.

(3) Non aliud hic volo quam ut significem mutato juris canonici argumento, mutari etiam debere hujus studii rationem. Sed non ideo novam doctrinam introducere in animo habeo. Ea tantummodo ex antiquis doctrinis eligenda sunt, quae ad rem nostram, sicuti hodie est, pertinent.

(4) Ne Clerici vel monachi secularibus negotiis se immisceant (lib. III. tit. L. Decret. et in Sexto tit. XXIV.). Cfr. L. 17 et 41. Cod de Episc. et cler.

canonum eis qua tale non amplius est proponendum, sed ad historiam juris canonici rejiciendum.

Sic etiam ad historiam diversarum juris scientiae partium pertinet, et cuique singulam partem tractanti relinquendum est dicere, quomodo jus criminale, jus civile et ordo sequendus in causis tum criminalibus, tum civilibus, a canonibus vel potius a jure pontificio temperatum, immutatum, vel informatum fuerit: haec disquisitio valde digna, quae instituatur, forte supra vires nostras, saltem extra propositum nostrum est.

Toti igitur in jure canonico simus, nosque rerum canonicarum finibus contineamus. Qui tandem sint isti fines, quidve jure canonico, judicio meo, intelligendum sit, explicatius proponamus. Hoc jam parvo negotio efficere posse confidimus, si modo ad formam necessitatesque Ecclesiae respiciamus. Hanc itaque, A. A. H. H., cogitatione fingite aliquantisper ante oculos stare: hinc Pontificem summum, fidelium patrem, antistites sacros, reliquosque Verbi divini ministros, dignitatibus conspicuos, moribusque venerandos; illinc fidelium gregem certatim pastores suos circumfluentem ac venerantem animo cernatis. Quisque praesul pro jure suo privataeque ecclesiae in synodis, et tota Ecclesia in conciliis leges condunt, easve pro quibusdam ecclesiis latas, tanquam toti christianorum communioni proprias recipiunt; legibus mores supplent usu recepti, legumque vim

habentes; populus obedit; ordo regnat. Christianorum enim societati, tanquam cuivis alii, suae debent esse leges sine quibus subsistere nequit. Earum argumentum duplex, atque alterum ab altero disjunctum est, siquidem prius, quod circa fidem versatur mutari nescit, posterius vero in ordinatione disciplinaque externa Ecclesiae positum, pro temporis et loci ratione variare potest, ac revera mutationes subiit. Ergo leges Ecclesiasticae vel ad fidem, vel ad regimen Ecclesiae respiciunt; dogmata sunt, vel disciplinae regulae, id est, canones; sub qua voce aequum est comprehendere, tam conciliorum statuta ad disciplinam spectantia, ut primum usu venit, quam alia ejusmodi praescripta, a legitima potestate profecta. Jus itaque canonicum, proprie sic dictum, circa instituta externa Ecclesiae, disciplinamque, ut ita dicam, exteriorem versatur; vel huc restringendum est. Hi sunt fines ipsi ex natura sua positi. Non ultra procedere debet ut jus canonicum maneat : nam si ultra progrediatur, jam ad theologiam, sive ad dogmaticam, ethicamve accedet; de juribus Civitatis statuet; criminaque, judiciaque privataque civium commoda ac litium ordinationem, latissimo amplexu suo comprehendet; uno verbo fere omnia, praeter jus canonicum, amplectetur.

Certum igitur atque statum sit jus canonicum ad disciplinam esse restringendum : at ne forte videar illud nimium coarctare, quousque pateat disciplina paucis aperiendum est. Verbum enim ipsum non omnibus idem valet; latoque juris canonici argumento ad disciplinam restricto, contra hujus notio ad plura quam vulgo fit extendenda videtur. Nam in regulis non modo consistit de moribus ab Ecclesia proba-

tis, poenisque in eos sancitis qui illas negligunt vel violant, sed ordinationem quoque Ecclesiae patefacit, ejusque vitam quasi civilem exhibet. Formam antiquam Ecclesiae retro ab ejus institutione, veluti picturam mobilem in cannabo pretioso atque immobili adumbratam repraesentat, et variationes, quas pro ratione temporum subiit, commonstrans, simul novas admirationis ansas, a priscis temporibus usque ad nostram aetatem continuo praebet. Aedificium Ecclesiae a lapide angulari usque ad fastigium percurrit, quaevis sit ejus facies, vel mutationes in eo factae, nam illud permanet et firmo fundamento stat, per totum aevum christianum duraturum. Sed illa tantum circa parietem versatur; intus non intrat, neque ad interiora religionis descendit; quod quo melius indicetur, non inepte disciplina exterior vocetur.

Ex ipsa disciplinae notione facile conficitur quam sit utile operam diligentem illi probe addiscendae navare. De ipsius vero utilitate, imo necessitate, verba facere neque necessarium, neque utile est : in re omnibus cognita verborum jactura esset. Sed quae fuerit et quae sit Ecclesiae disciplina, praesertim quidem clericorum, attamen laicorum etiam valde refert noscere, quoniam hi quoque ad Ecclesiam pertinent, majoremque hujus partem constituunt. Clerici autem ex canonibus relegunt quo modo omni tempore ipsis praescriptum fuerit reliquis fidelibus exemplo esse, eosque anteire modestia, continentia, morum et vitae sanctitate : sensum altiorem dignitatis, ordinisque praestantiae consequuntur, simulque ea re non superbire discunt, quia ex Ecclesiae institutis atque ex ipsius fine, potestatem

suam atque celsitudinem, in omni cordis humilitate fundari sentiunt. Laici vero quum ad illam antiquam atque genuinam Ecclesiae disciplinam erudiuntur illamque mirari consuescunt, legum ecclesiasticarum amorem ac venerationem inter illas noscendas concipiunt; et quum easdem amant ac venerantur, ipsis frontem submittere discunt. Omnes quem locum teneant in fidelium communione, quas partes habeant agendas, sive penes eos sit imperium atque auctoritas, sive eorum sit obedire atque obsequi, ex sola cognitione canonum in rebus disciplinae repetere possunt. Ab omnibus fidelibus teneri debent; ergo nemini eos ignorare licet; ne longum sit, disciplina ecclesiastica clericalis, quin etiam vitae christianae magistra est.

Praeterea quantae utilitatis, imo necessitatis sit, ut disciplina Ecclesiae recte noscatur, ex eo ipso fluit quod ipsa non solum utilis, sed etiam necessaria est : sine legibus enim societas nulla concipi animo potest : leges vero, si non noscantur, perinde sunt ac non existerent. Disciplinae itaque Ecclesiae canonibusque omni cura vacandum est, ut ab unoquoque calleantur, atque ita quisque in Ecclesia se iis subjicere possit. Clericorum vero eorumve qui in dignitatibus ecclesiasticis constituti sunt, quum prae caeteris, vi muneris sui, pluribus teneantur atque obligentur, magis etiam refert quae sint eorum obligationes discere, atque canonibus incumbere, ut disciplinam Ecclesiae quasi suam faciant. Peculiaris autem ad hoc diligentia requiritur. Nam ad notitiam disciplinae ecclesiasticae pertinent quoque ejus variationes atque mutationes, ex historia repetendae, quas varia tempora secum attulerunt. A primordiis igitur Eccle-

siae disciplina attendenda est, ut quae hodie sit, recte dignoscatur. Quo pacto enim quis quousque valeat atque pateat institutum quodlibet dijudicare poterit, si ejus quod antea extitit, nullam notitiam habuerit; si nescierit qua ratione et quo consilio priora instituta immutata sint; aliave in eorum locum venerint; si denique quae illa fuerint, ignoraverit. Quod enim de omnibus valet, scilicet posteriora quaeque ab iis quae antecesserunt explicari, hoc etiam de disciplina ecclesiastica omnino dicendum est. Unde satis apparet quantum pateat ejusmodi argumentum, ejusque tractationem ad modum institutionis nostrae sufficere debere; quod tamen expressius adhuc dicere operae pretium erit.

Porro ex iis quae disputavimus tum de modo quo jus canonicum considerandum sit, tum de utilitate ac necessitate penitus disciplinae ecclesiasticae incumbendi, ad quam illud restringimus, sponte fluit, ut putamus, in praesenti rerum statu, nobile canonum studium non esse ultra extendendum, et campum in quo versatur, ejus amplitudinis manere, ut in eo larga seges colligi, et fructus aeque solidi ac expetendi percipi possint; quod praecipue de nostris institutis valet, nec ullam exceptionem patitur, quia disciplina omnium aetatum omniumque locorum est. Contra multa in corpore canonum reperiuntur, ut antea dicta iterem, quae in praesentem, praesertim in Belgio nostro, Ecclesiae statum non quadrant; alia naturae sublimioris sunt, nec in studiis tantummodo praeparatoriis attingenda. Ea autem in quibus disciplina ecclesiastica versatur, praeterquam quod magis sint historica, mere praeparatoria sunt, fere eodem modo ac romanae antiquitates v. c., quae etiam

quale fuerit reipublicae regimen enarrant, iis praescribuntur ediscendae (1), qui serius ad jura transire intendunt; et sicuti antiquitates romanae in scholis nostris juridice non traduntur, nec debent, sic etiam nihil theologici ab eo attingi convenit, qui de disciplina Ecclesiae tractat; ad quam ideo ex hac quoque similitudine jus canonicum restringendum est.

Sed ob aliam rationem etiam, A. A. H. H., tanquam praeparatio quaedam ad studia altiora habendum est jus canonicum ex nostra de eo ad quod restringi debeat sententia, scilicet quod, quum disciplinam Ecclesiae assuetam perspectamque faciat, quae nunquam satis attendi atque praedicari potest, fontes simul indicat a quibus manavit. Atqui fontium illorum notitia ante omnia acquiri debet, siquidem nemo sanus praesumet doctrinam ullam appetere, si unde haurienda sit nesciat; et quum ii communes sint sublimiori, nempe theologicae canonum tractationi, ad eam iterum ea ex parte jus canonicum restrictum viam praeparat, et hujus rei intuitu quoque studium mere praeparatorium constituit; quod historiae juris nostri conjunctum adeo utile ac necessarium dixerim, ut vel eo solo ipsum institutioni nostrae maxime sit accommodatum, atque dignum cui opera haud segnis detur.

Nec forte dicat quis quavis juris canonici parte sic expuncta, jam jacere corpus canonum atque nullam amplius

(1) *Art.* 48 ub. supr.

occasionem dari de ejus harmonia sive contextu judicandi. Corpori enim canonum pondus ac momentum suum manet, eo saepius adeundum, diligentiusque evolvendum, quo res magis diversas atque seriores complectitur. De ejus complexu vero sermo esse non potest, propter ipsam rerum diversitatem, ad se invicem non satis quadrantium, ex quibus conflatum est. Quo pacto autem in unum coactae sint, quum id ad historiam praesertim juris canonici pertineat, qui eam tractabit, videre poterit. Quaevis interim doctrinarum pars specialis quod sibi proprium est in corpore juris canonici vindicet : theologia res theologicas, jura juridicas. Jus caconicum hoc modo ad suam quam maxime simplicem essentiam redactum, inter fines suos circumscriptum, videlicet ad disciplinam ecclesiasticam restrictum, eos quidem qui in Verbi divini ministerium erudiuntur omnino doceri oportet, sed ab iis qui Verbum Dei suscipiunt minime negligendum est. Non solum enim unicuique homini christiano expedit leges quibus subjectus est noscere, sed id maxime ab illo exspectatur; nec video cur illas non aeque callere deberet, nisi aequum non esset judicem qui de lege judicat, a qua nihilominus ipse pendet, in eam penitius descendere, quam is qui ei tantummodo subjicitur. Sed quod plus est officii in clericis, nihil officio laicorum detrahit. Itaque hi quoque optime de Ecclesia, judicio meo, merebunt, si ejus disciplinam, aeque admiratione quam quae apprime noscatur dignam, diligenter ediscant, eo animo ut illam eo melius observent. Ex iis enim juxta ex aliis, sine ullo dignitatis discrimine, constat Ecclesia. Qui vero aliter sentiant mihi illam in clero ponere videntur, quod aeque absonum veritati esset, ac si ex iis tantum qui in Civitate muneribus funguntur, Civitatem constituerent.

Quid tandem dicam de ratione jus nostrum ad disciplinam restrictum tractandi? Patet in hoc tantummodo esse consulendum propriam ejus, et Ecclesiae naturam cui accommodatur. Quapropter in hac re vestigia eorum qui de jure civili scripsere, serviliter premenda non erunt, ut plurimum ad hanc usque diem factum est : viam propriam eligendam, solasque divisiones genuinas attendendas esse natura rei monstrat. Doctrinam enim per se constituit; nulli alii subjecta est; nec aliter aliena ope indiget quam quaevis alia, propter commune inter omnes vinculum. Sed si cui magis quam aliis revincta sit, hoc certe de historia ecclesiastica affirmandum est, quae sola canonum origines detegit, causasve mutationum in rebus disciplinae, vel cur diversa in diversis ecclesiis fuerit, explicat atque retegit; aditumque aperit ad jus canonicum; quod, ut quae hucusque disputavi, paucissimis resumam, si ad disciplinam ecclesiasticam, eo modo quem dixi tractandam restringatur, ut rationem postulare puto institutorum nostrorum, ecclesiaeque belgicae necessitates, doctrina supererit amplissimi adhuc argumenti, valde quidem digna quae ab omnibus christianis sedulo colatur, pro iis vero qui ad sanctum ministerium instituuntur, quanquam maxime in se utilis atque necessaria, tanquam praeparatio quaedam habenda ad studia altiora; ita ut non alienum, imo aequissimum sit, sicuti apud nos reliquae doctrinae sublimiores, puta jura, cura hominum vitae, res mathematicae et physicae, literaeque humaniores, ut theologia quoque, sive rerum divinarum scientia, omnium sublimior, praeparationem suam antecessionemque habeat, qua in re ipsi liberaliter prospectum est prudentissimo Regis nostri decreto.

Haec habui, A. A. H. H., quae vobis de ratione qua munus in me honorificentius collatum in hac Academia putarem partim adimplendum, indicarem potius quam dissererem, ne vos diutius detinerem, patientiaque vestra abuterer. Sententiam meam in pluribus saepius attigi quam expressi; saepius verba cum otio et dicendi facultate deesse cognovi. Vos pro summa vestra humanitate rogo atque obsecro, nae vos et vitia orationis, mihi homini ad dicendum parum formato, condonetis : quae vero male sonantia dixi, aut quae peccavi in bonam partem interpretemini et corrigatis. Lubenter propriam cum rectiori commutavero sententiam; huic enim non omnino me confidere ingenue profiteor; neque id uni homini datum puto, ut in omnibus semper rectissime judicet; sed hoc fere semper licet, ab erroribus, oblata veritate, recedere. Quam ideo, si tantum offeratur, ac ipsam videam, avide arripiam. Mihi itaque omnes, Viri boni, non deestote, consiliisque et doctrina favete. Scitis munus gravissimum mihi impositum esse, quod plures et a me alienum, et supra vires meas queruntur. Ego saltem in eo iis consentio quod me tanto oneri ferendo, quamquam haud imparatum, imparem confiteor. Quid facerem ? alii aliter de me judicabant, et quod ipse nunquam praesumpsissem, ii me ad hunc honoris gradum evehebant. Ergo quod jam non sine timoris suspicione detrectare licebat, et quia simul aliorum judicio stare, obedientiamque didici, alacriter in me recepi recreatus atque confirmatus spe auxilii, in re bona, viri cujuscumque boni; quod iterum a vobis majorem in modum peto atque contendo.

Et quidem quantos animos mihi additos sentio, quum in

hoc coetu amplissimo Viros spectatissimos cerno et gravissimos, quorum beneficia in me multa, quae grato animo mecum reputo, eosdem mihi in posterum non defuturos quodammodo spondent. Quantum me juvat atque reficit recordatio officiorum insignium mihi a pluribus hic praesentibus praestitorum, quae mihi spem certam faciunt illos, ubi maxime opus est, mihi studiisque meis favere perrecturos. Quam velim spes meas de consiliis prudentia atque doctrina plenis, quibus me hoc novo munere meo fungentem relevatum rectumque iri confido, omnibus probabiles facere, ni longiori enarratione studiorum meorum, in quibus quantum adjutus sim non valeo dicere, vos remorarer. Quam mihi jucundum sit simul testificationem grati animi Viris clarissimis omnibus facere, qui tum in hac Academia, tum in aliis, de me tam egregie in studiis meis adjuvandis et dirigendis meriti sunt. At saltem si alias non licet, Vos una voce compello, Viri illustrissimi, hujus Academiae Curatores, inter quos sedem unam occupatam fortiter desidero : si Vobis hanc Academiam florentissimam omni sapientia curantibus, rationem munere meo fungendi probare potuero, omnibus probaturum fidenter credo ; idque effecturum magnopere spero prudentia et labore indefesso : prudentia enim, ut in me est, utar in rebus tradendis quae ad institutionem meam pertinent ; labore indefesso, quod in me deest doctrinae supplere conabor ; qua difficultate, quanta sit, non deterreor, quum expertus sim et in aliis rebus, patientia et perseverantia multum profici. Tempore quoque procedente nova auxilia nobis afferentur, praesertim si diu adhuc, quod duit Deus, huic Academiae curandae incolumes servati fueritis. Plura precari per otium vestrum prohibeor : at quum in Collegio vestro

Virum amicissimum conspicio, quomodo hanc occasionem praetermittere possem merita ejus in me paucissimis verbis celebrandi? Tu enim ROELANTSI, quanta comitate atque humanitate me olim plus quam advenam in hac Academia excepisti! Quantis officiis me juvisti, animoque pene et corpore deficientem refecisti! quas dulcissimas horas in familiaritate tua tuorumque habui! Nam tu me inter tuos recepisti, tuumque fecisti; neque unquam benevolum animum erga me intermisisti; pluraque tribuisti, majora voluisti, adeo Tu, summe in omnes officiosus, amicos tuos mente benigna prosequeris!

Ad Vos quoque me converto Professores Clarissimi, Viri multa eruditionis laude maxime conspicui, quos nunc collegas dicere licet. Me benevolentiae vestrae ex more commendabo, quam antea feliciter compertam habui : illam tantum ut mihi conservetis vehementer opto atque Vos rogo. Ex benevolentia enim nascitur amicitia, amicitiamque vestram maxime colere cupio, quam scio tum suavissimam, tum doctrinae plenam; diversa quidem sunt studia nostra, sed facile conjunguntur, atque una est Academia.

Vos autem quos in hoc doctissimo numero Praeceptores meos venerandos cerno, talesque adhuc agnosco, pro vestris in me meritis gratias debeo maximas, omni vita, quantum in me erit, habebo, vosque debita observantia prosequar. Quae de me tam bene, tam humaniter meriti estis, majora sunt quam ut ea valeam enarrare; mea enim studia sub vestris auspiciis peracta longius esset retexere. At quod in me omnes fuistis, exemplo unius vestram signifi-

care liceat. Tu scilicet, BIRNBAUMI, mi magister atque amice, in omnes quoque humanissimus, me longe humanissime et amicum potius quam discipulum habuisti. Quando studiis meis defuisti, vel potius quando me in iis non omni auxilio adjuvisti? Sive enim te in museo tuo me comiter excipiente librorumque supellectilem benigne deferente atque communicante, sive inter ambulationes jucundissimas colloquia mecum instituente, animum dubitationibus liberatum sentiebam, novaque doctrina continuo adauctum. Pro tua autem in me amicitia saepius me collegam exoptasti, in hoc curriculo incitasti, objectaque diluisti. Et idem semper in omni re, si vel impeditus, aeque comis atque affabilis mihi exstitisti, ut otium tuum meum feceris. Num me horum omnium memorem dicam? Nequaquam: tu me etiam novisti.

Nec vos praeteream in hac solemni die, Cives Academici, concives mei, lectissimi juvenes, et Vos magis peculiariter, quibus viam aperire ad studia altiora destinatus sum. Lubenter hac occasione utor ut vobis iterum atque iterum palam declarem quantum discupiam ut vos quam maximam ex hisce studiis academicis utilitatem percipiatis. Sed hoc vobis consilio et re magis demonstrare studebo. Me, commilitones dulcissimi, itineris comitem atque ducem habebitis. Sicut ipse omnimodis auxiliis in eo doctrinae quod in me est, quidquid sit, adipiscendo, adjutus sum, sic etiam vos in vestris studiis dirigam, omnibusque viribus atque ingenio vobis praesto ero; nec ullo loco deero. Quod enim vobis conjunctim proposuero in praelectionibus meis, si res erit, cuique ex vobis qui me adire velit, copiosius explicandum supplebo. Studia vestra mea quoque studia erunt, in quibus propter id

quod profeceritis, tanquam ex proprio commodo recreabor. Interea me totum hisce studiis vestris tradere atque dedere volo; nam in hac bonarum artium disciplinarumque sede, quod olim poetae in voto erat, mihi licet; in medio vestrum, inter haec dulcissima studiorum otia, jam mihi datum est ducere sollicitae jucunda oblivia vitae (1); jam exclamare possum : Alma mater, Academia Lovaniensis, me in sinum tuum totum recipio.

(1) Cfr. HORATIUS Sat. II. 6. v. 60-63.

X.

MICHAELIS GLOESENER

ORATIO.

MICHAELIS GLOESENER

ORATIO

DE

VERA SCIENTIAS PHYSICAS EXCOLENDI METHODO
ET VERO ILLARUM STUDII FINE,

QUAM PUBLICE HABUIT

DIE XXVI JANUARII MDCCCXXVI.

CUM EXTRAORDINARIAM IN FACULTATE MATHEMATICA ET PHYSICA PROFESSIONEM
SOLEMNI RITU AUSPICARETUR.

IX.

Universarum disciplinarum in omni Belgio Inspector prudentissime, Vir amplissime, gravissime!

Academiae Curatores illustrissimi, honoratissimi. Qui collegio curatorum ab actis es, Vir spectatissime; magnifice Rector dignissime!

Omnes Academiae Professores illustrissimi, doctissimi!

Collegii philosophici Regens et Subregentes honoratissimi, amici conjunctissimi!

Urbis Magistratus viri severissimi!

Gymnasii hujus urbis Professores clarissimi!

Omnium Doctrinarum doctores eruditissimi!

Hujus Academiae Cives spectatissimi!

Cujuslibet ordinis et dignitatis Auditores optatissimi, humanissimi!

Docendi provincia mihi a summo et optimo rege demendata, Diu dubius heerebam, quodnam dicendi ad officio professoribus novum munus adeuntibus imposito satis faciendum eligerem: quae attentione forte haud indigna visa fuissent, varia excogitabam; at perpendens, in concessu virorum cu-

juslibet ordinis doctissimorum me loqui, de materia, quae a plurimis intelligeretur, et nemini forsan ingrata foret, disserere et loco huic et proposito meo magis congruere arbitrabar: verum quum talem reperire haud potuerim, occurit, non abs re esse, de scientiarum physicarum philosophia loqui, cujus indolem et scopum cuilibet rite cognoscat, oportet, qui, uti vulgo dicimus, utile cum dulci ex iis percipere velit: etenim illa sola cognitio veram aperit ad naturae sacraria viam, sola naturae leges docet, quas cujuslibet scire scientiarum studiis incumbentis, quam maxime interest.

Itaque misso omni alio dicendi argumento, de una aut altera materia physica speciatim tractante, disserere mecum constitui.

De vera scientias physicas excolendi methodo, ac de vero illarum studii fine.

Quod quidem, dum molior, facile sentio, quantum et quam viribus meis longe superius in me opus susceperim. — In tanto eruditissimorum et literatissimorum hominum, attentis oculis in me conversorum, concessu trepidans de rebus physicis dissero, quae plurimorum doctissimorum consensu latine sat accurate, sat nitide tractare hodiedum nequeunt. Prima vice publico sermone fungi adgredior. Innata aliqua timiditate et tot hominum praesentia commotus, tot confusis animum subeuntibus cogitationibus vos omnes, auditores humanissimi! enixe rogo atque obsecro, ut bona venia et aequo judicio audiatis, quae modo confuse dicturus sum.

Dicam igitur.

A *Natura* homini est innatum desiderium, augendi cognitiones, et singulorum, quos videt, effectuum explorandi causas. Axioma vetus : « *nihil sine ratione sufficiente* ». Omnis scientiae, quatenus nobili hoc titulo dignae, fundamentum est. agitatur ingenium humanum et torquetur, donec rei, quam scire interest, rationem veram aut saltem probabilem seu hypotheticam reddere queat.

Quemadmodum homo ad corpus suum conservandum fame cogitur et siti, nec non ad felicitatem propensione ductus officia moralia veneratur et implet, ita quoque, effectuum causas perscrutandi cupidine naturali impellitur, ut cogitet, et meditetur ad inventa explicanda, ut ipse nova inveniat eorumque causas et relationes reciprocas videat et interpretari sciat.

Verum enim vero, quum effectuum causae, quas in physica vires nuncupamus, iterum alii sunt effectus, causas effectuum sine intermissione quaerentes, mox incidimus in effectus, quorum causae sese sensibus nostris subducunt, ita quidem, ut intellectus noster supplere cogatur, quae sensus subterfugiunt : ast hac re facile fit, ut in mera illabamur phantasmata, nubem pro junone amplectentes. Praeterea, sapiens et benignus creator nostrae felicitatis gratia ita statuit, ut multae veritates naturales nobis velis impenetrabilibus obductae manerent : nec ulla spes mortali esse potest, fore ut unquam causarum naturalium primariarum indo-

lem et naturam cognoscat, quibus creator, ne in perpetuum nova creet, cuncta producit, gubernat et conservat (1).

Hinc patet, nos in rimandis naturae arcanis, sistere cogi gradum, priusquam ad virium primariarum cognitionem pervenerimus; esseque jam, cur nobis gratutemur, si naturam investigantibus, nobis eo devenire contingat, ut phaenomena nova et inexplicata ad virium leges, nobis jam cognitas, aut ad causas generales reducamus : quo plura enim et quo diversiora phaenomena ad unam eandemque causam, seu vim agentem, reducere possumus, eo propius, absque omni dubio, ad ipsam naturam accedimus, quanquam ipsa vis, cui phaenomena adscribimus, nihil aliud sit, quam effectus generalior, qui, qua ratione a causa primaria producatur, nos penitus ignoramus.

Ita verbi gratia, jure merito, mechanica coelestis explicata dicebatur, quam primum immortalis *Newtonus* omnium corporum coelestium motus unius ejusdemque causae effectus esse monstraverat, licet illius indolem et naturam penitus inexplicatam reliquerit.

Sed, ut phaenomeni cujusdam causam perscrutari possimus, oportet ut ante omnia singulas illius proprietates accurate inquiramus, easque rite pernoscamus.

Quae reipsa in natura fiunt, haec non nisi ratiocinio ex

(1) Ins Innere der Natur, inquit *Hallerus*, dringt kein erschaffener Geist, zu glücklich, wenn sie ihm die aüssere Schale weist.

iis, quae observamus, per inductionem deducere nobis concessum est: neque enim ex falsis vera inferri, neque verae effectuum causae ex aliis fictis derivari possunt.

Quam ob rem intelligimus quoque, cur antiqui philosophi, systemata excogitantes, non vero observationibus superstruentes, in tot prolapsi fuerint errores, quum de phaenomenis naturalibus explicandis ageretur.

Dictat absque omni dubio sana ratio, nos primo quaerere oportere quid sit explicandum, antequam explicemus.

Si *Keplerus* non prius accuratis observationibus corporum coelestium motus determinatos ad leges empiricas reduxisset, forte *Newtono* haud contigisset uni eidemque principio GRAVITATIS totam mechanicam coelestem superstruere.

Vis illius universalis, quam ATTRACTIVAM adpellare licet, rationem ultimam quaerere, frustra tentamus. Planetas, quanquam intervallis immensis a se invicem remotos; actionem tamen in se exercere reciprocam, observatione edocti, negare haud possumus, licet, quo id fiat, modum ultimatum mens nostra concipere nullatenus valeat.

Caloris effectus in formam doctrinae reducere, eos legibus accuratis subjicere physicis contigit, quae autem sit indoles, quae natura caloris causae, quam caloricum dicunt, omnino eos latet.

Luminis effectus computare et praedicere scimus, quae autem ipsius natura sit, ignoramus.

Lapidem, in aëre libere suspensum, versus terram praecipitari cuilibet notum; ast, quo modo ultimato fiat, ut prolabatur, ignorat philosophus aeque ac vulgi rudissimus. Quales, sint vires electricae, quales magneticae; et utrum hae ambae uni eidemque causae primariae adscribendae sint, jam veteres disputabant et in hunc usque diem frustra quaerebatur.

Ne quis tamen dicat, in vires naturae phaenomena producentes inquirere, esse omne oleum perdere et operam. — Hae vires, quanquam impenetrabili velamine tectae, omni physicorum attentione sunt dignissimae, mundum, ut ita dicam, idealem constituunt, quem agnoscere et observare nostrum quidem est, quin tamen liceat eum intueri.

Itaque physicae studium excolentes, in eo nequaquam simus oportet, ut omnia explicare studeamus, sed contra, ut singula naturae phaenomena accurate observemus, scrupulose determinemus, tumque ad leges generales empiricas reducamus, ac denique inquiramus, quantum poterimus, in virium ipsarum leges generaliores : explorare enim et stabilire naturae leges, philosophiae naturalis, et praecipuum officium, et verus finis est. Qui facta cognita et undique sparsa, ad quaedam principia generalia reducere haud conaretur, is, phaenomenis multiplicatis, sterilem scientiarum componeret nomenclaturam, ad nihil omnino inservientem.

Quem enim fructum, navigator ex observationibus acus magneticae perciperet, nisi legem, cui illius directio submissa est, cognosceret ?

Quid luminis phaenomena observare interesset, nisi leges juxta quas in corpora, per quae transit, aut a quibus reflectitur, cognitas, ad vitae usum et commodum vertere, nisique ex iis legibus, ad ipsas corporum proprietates et mutuas earum relationes concludere liceret ? Cur demum, ad theoriam lunae perfectiorem reddendam Astronomi laborem tam improbum impenderunt, nisi ea inserviret ad lunae respectu solis positionem accurate in plures annos futuros computandam, tabulasque navigatoribus construendas, quarum ope itineribus diuturnis per maria tam tuto quam per terras trajiciant ?

Vera et sola scientia physica, hoc nobili titulo digna, consistit in bene observandis et inter se ligandis phaenomenis, ita quidem, ut mutuae earum relationes elucescant, legesque, quibus sunt submissa, inde deducantur.

Tria potissimum physicis excolenda sunt :

Oportet.

1°. Observare phaenomena, ea accuratis, repetitisque observationibus determinare, nec non novas detegere veritates experimentis multifariis summa cum cura capiundis.

2°. Phaenomena cognita inter se ligare atque ad leges empiricas reducere.

3°. Per inductionem et analogiam determinare vires abstractas, ipsa phaenomena producentes.

Omnes omnium rerum physicarum cognitiones, observatione innituntur; sed ut scientiam formare dici possint, com-

muni vinculo quodam inter se conjungantur, oportet. Ne autem phaenomena cognita aliis, quam quae verae sunt, viribus adscribamus, ante omnia, quales sint illae vires, phaenomena explicanda progignentes, debite inquirere et earum notas characteristicas observatione et experimentis firmiter stabilire oportet; quibus effectis, omnia observata, et multifaria experimenta instituta, et roborata, sed usque eo ab invicem separata et dispersa inter se unienda, et ad leges physicas reducenda sunt.

Hae leges nobis nihil aliud sunt, quam phaenomena quaedam generalia, (sed non plura quam quae necessaria sunt, admittenda), e quibus singula inventa, ab iisdem viribus producta, deduci queunt, quaeque ipsa, aut nullatenus, aut modo tantum quocunque probabili, explicari possunt. Facta peculiaria explicata dicuntur, quam primum ex legibus statutis derivari posse probaverimus.

Quod si phaenomena generalia non amplius ab aliis generalioribus inferre valemus, ipsum effectum generalem pro causa peculiarium habemus, ultra quem limitem nos nihil scire, ingenue nobis fatendum est; penitus convictis sagacissimi *Leibnitzii* verbis; illis satisfieri non posse, qui causam causae scire desiderent (1).

Hic modus catenam quasi phaenomenorum continuam formandi ab una eademque vi productorum est, quem in physica *theoriam* appellamus. Theoria physica igitur aliqua ra-

(1) Ceux, qui veulent savoir le pourquoi du pourquoi ne sont pas à contenter.

tio est phaenomena omnia eidem vi adscribenda, inter se coadunandi et magis peculiaria ex generalioribus derivandi. Est nobis omnino necessaria, tum ut intellectui, et memoriae subveniamus, cum ut inventa vitae usui applicare possimus.

Verum enim vero, quum unum solum phaenomenon, rite confirmatum, cumque theoria stabilita nullatenus conciliandum, sufficiat, ut, ea in medio relicta, novam invenire cogamur, patet, quam cauti esse debeamus in theoriis physicis stabiliendis, quamque multifariae observationes accuratae sint capiendae, quamque varia experimenta sint instituenda, prius quam theoriam in physica stabilire liceat.

Ut autem in rebus naturalibus explicandis ad limitem, quem attingere concessum est, perveniat physicus, ipsius est nihil relinquere intactum; et si materia ipsa, cujus theoria quaeritur, calculo tractari potest, Analysis mathematica ea in re opem praebet egregiam. Calculo enim algebraico ratiocinia breviter, perlucide, accurate, concinne exprimentes, omnem incertitudinem, omnemque paralogismi suspicionem excludimus et per implexos naturae labyrinthos securi conducimur. plerumque plures novas theoriae consequentias detegimus, quae falsa et impossibilia ea continet, comperimus et ad plura nova phaenomena invenienda viam edocemur, quae probabiliter nunquam simus inventuri.

Theoria physica nunquam ut veritati consentanea admittenda, nisi prius, si fieri possit, calculo, tanquam lapide lydio

explorata fuerit. Phaenomena ex legibus, et hae ex causa supposita, calculi ope sunt deducendae. Quibus peractis, certi solummodo esse possumus, utrum singula facta sint consequentiae modi, quo virium phaenomena progignentium resultans agit : qua enim ratione vires simplices ad eam resultantem formandam concurrant, non ab experientia edoceri possumus; conjicere tantum illud ex phaenomenis et calculo verificare nobis concessum est.

Mathesi adjuvamur multiplici ratione in philosophiae naturalis investigationibus : experimentorum enim eventus et observationum data saepe formulis brevibus et simplicibus exhibere licet, quae dum semel rite stabilitae sunt, semper inservient Calculo repraesentare saepe possumus quantitates variabiles, substituendas in functione alterius incognitae, ita ut hanc eruere non possimus, nisi prius illa substitutio facta fuerit (1). Matheseos ope saepe ex apparentia veritatem, si ita loqui fas est, deducere possumus; phaenomena enim ipsa, priusquam eorum causas rite investigare liceat, oportet accurate cognoscere; et quum frequenter accidat, ut ea non, qualia revera sunt, observare queamus, ad accuratam eorum cognitionem non nisi calculi ope pervenire possumus. Ita verbi gratiâ ad veras leges motuum planetarum cognoscendas nunquam pervenissemus nisi matheseos auxilio observationes terrestres ad solis centrum reduci possent (2) figu-

(1) Hujus rei exempla sunt : la formule barométrique pour mesurer les hauteurs de différens objets, la théorie des expensions des corps liquides, les méthodes de déterminer les pésanteurs spécifiques des corps gazeux liquides. Vid. Traité de physique de Beut. vol. 1.

(2) Dans un tableau, qui imite la nature, le peintre a dû choisir des

rae caudarum cometarum, quanquam in se eaedem manere possint, in diversis orbitarum positionibus valde diversae nobis esse videntur, quum ex terra et non ex centro solis observantur. Ad veram igitur earum cognitionem sola tantum geometria conducit (1). Phaenomena enim in natura tum tantum explicamus, quum de singulis eorum conditionibus diversis judicare eaque mensurare et numeris repraesentare valemus, non vero dum aliquid vagi et indeterminati de iis proferimus aut ea fluidis electricis vel aliis causis incognitis attribuimus.

Sed et alius matheoseos usus in philosophia naturali est egregius, quum non solum phaenomena, sed et ipsas ea progenerantes vires cognoscere possimus : ita verbi gratia positis *Kepleri* legibus, tanquam observatione sancitis, calculo probavit *Newtonus*, planetas versus centrum solis sollicitari vi quadam, cujus intensitas esset in ratione inversa quadrotorum distantiarum. Et vice versa, posita illa gravitatis actione veros planetarum motus determinavit, nec non quanquam distantiis infinitis a nobis remotorum massas atque corporum quae in ipsorum superficiebus versus cujuslibet centrum praecipitantur, celeritates assignavit.

Hisce usus methodis *Newtonus* totam creavit astronomiam physicam, tum utilitate sua quum sublimitate scien-

portions de différentes parties d'un objet tout différentes de celles qui existent réellement dans la nature.

(1) Vid. *Brandes*. Unterhallungen für Freunde der physik und Astronomie. 1826.

tiam nobilissimam : astronomiae theoreticae dogmata, immo omnes anomalias apparentes unius ejusdemque causae consequentias esse a priori demonstravit. Eadem inita via astronomi recentiores ac praecipue summus *Laplacius* astronomiam ad eum perfectionis, qua hodie gloriatur, gradum evexerunt.

Keplerus itaque et *Newtonus* verum Matheseos in philosophiam naturalem usum primi praesertim introduxerunt, quorum ille corporum coelestium motibus observatione determinatis et ad leges empiricas reductis, verum codicem coelestem scripsisse, hic vero, illorum motuum causa assignata, ipsius codicis mentem interpretatus esse dicendus sit. Geometriae in astronomia usum non melius quam hisce *Schubertii* verbis laudare possumus. « In diesen Tempel, wie in Platos Lehrsaal kann nur die Geometrie den Eingang œffnen. »

Quantum mathesis in physica praestet. hujus progressuum recentiorum historiam perlustranti soli patebit. Vix una theoria est, quae non ex parte calculo suum incrementum debeat, et plures ex iis suam ipsi debent originem. Quid esset verbi gratia optica? Quid theoria phaenomenorum capillarium, quid theoria magnetismi, electricitatis, caloris etc. si ab iis abstraheremus, quae analysis praestiterit. Plures ex iis forsan theoriae nomen vix mererentur.

Equidem calculus, observationibus et experimentis haud accedentibus nihil omnino habet utilitatis; sed si his rite applicatur ille, mirum in modum physica et sustinetur et

promovetur. Consequentiae analyseos, suppositioni cuidam applicatae non aliae quam hypotheticae sunt; verum utrum hypothesis admissa firmo pede stare possit, necne, inconsulta experienta calculo probare possumus; et si nec experimenta nec observationes capi queant, solo calculo de hypothesium validitate certi esse possumus.

Quum *Bradleyus*, pluribus observationibus, sedulo inter se comparatis admitteret expressiones algebraicas, quibus phaenomenon, quod abberrationem luminis vocamus, repraesentari posset, quumque earum valores accurate cum observationibus quadrare videret, utique phaenomeni explicationem tantum hypotheticam cognovit, cujus vera causa adhuc latebat : verum postquam, supposito, veram phaenomenorum accuratius examinatorum causam forte in terrae circa solem motu quaerendam esse, computavit terrae velocitatem intra temporis spatium, quo lumen ex sole ad terrae pervenit (1) et mediante illo valore numerico veram cujuslibet stellae positionem calculo determinare valuit, non potuit non hypothesin, quam primo fecerat, pro ipsa veritae habere; quippe quod inter veram observationem et falsam suppositionem non tam serupulosa existere posset concordantia. Probantes mediante tertia *Kepleri* lege terrae motum annuum, supponimus utique id quod quaerimus; sed si valorem numericum inde deducimus accurate aequalem anni duritiei, observationibus exactae determinatae, vinculum esse videmus inter suppositionem nostram et observationes accuratas tale, ut

(1) 8′,13″,2.

aut illam pro re vera et non amplius hypothetica habere aut aliquid aliud supponere cogamur, quod virium naturae agendi modo repugnat. solo casu ea physice vera non credenda est, quo monstrari potest, eundem inter calculum et experientiam consensum accuratum etiam alia facta hypothesi obtineri posse. Et quis non concedat, si quotquot sunt diversa ab eadem vi progenita phaenomena, ex causa admissa calculi ope adaequate numeris absolutis repraesentari queant, talem calculi inter et experientiae data convenientiam non nisi ab eo provenire posse, quod causa supposita revera ea sit, quae phaenomena ipsa producat? Dubitarine potest, quin existat attractio universalis, postquam illa sola causa supposita astronomi corporum coelestium motus, immo motuum illorum anomalias apparentes accurate deduxerunt, et usque in tempora futura praedixerunt?

Si virium legem aliquam hypotheticam admittimus, quae calculo riguroso submitti potest; sique omnes calculi consequentias accurate deducimus, illa lex utrum cum phaenomenis quadret videre, dijudicareque possumus, an dissensus si sit inter experientiam et hypothesin statutam, ex causis aliis secundariis derivari queat; an vero haec falsa omnino sit. Calculo edocemur, quae experimenta capta hypothesi admissa haud faveant, et quae cum illa conveniant, licet anomaliae esse videantur. Et sola analysis hoc in casu hypothesium lapis lydius esse potest (1).

(1) Par exemple on sait, que les adversaires du système des ondes lui opposent comme un des argumens principaux, que l'on ne peut concevoir

Itaque, ut in investigandis causis naturalibus adscendere possimus a phaenomenis satis variatis et bene observatis ad causas proximas ct dein ordine ad remotiores, et phaenomenorum indolem et extensionem seu qualitatem et quantitatem cognoscere, atque ea computare oportet; recteque cum illustrissimo *Bioto* dicimus : « Mesurer et peser voilà les deux grands secrets de la physique et de la chimie; ce sont là les causes de toutes les découvertes, que ces deux sciences ont faites dans ces derniers temps. » Sciamus oportet, et exempla hucusque allata jam sat superque probant, analysin mathematicam, et phaenomena naturae, sensus nostros afficientia, arcto vinculo ligari, numerisque absolutis virium effectus repraesentari, comparari et mensurari posse. Si nuda quidem et simplici formulae algebraicae constructione nulla naturae lex firmari possit; attamen, quum vires non modo arbitrario, sed juxta leges determinatas suas exerant actiones, earum effectus nihil aliud sunt quam valores peculiares conditionum, quae inter eas leges obtinent; unde patet, et in philosophia naturali virium effectus inter se,

la propagation d'un filet isolé de lumière comme l'expérience le fait voir. — Il n'y eut que le calcul, qui pût résoudre cette difficulté, comme M. *Poisson* l'a montré annales de *Gaylussac* et *Arago* an. 1823 vol. 22. p. 250—157.

Le même Géomètre a levé par le calcul d'autres difficultés de la même Théorie, et d'autre part il en a montré des nouvelles par la même voie. Voyez l'endroit cité.

Ampere a prouvé par le calcul, que plusieurs Phénomènes de sa théorie électrodynamique sont en accord avec les expériences; tandis que sans l'application de l'analyse on les eût regardés comme des anomalies directes et suffisantes pour faire abandonner la théorie. — Voyez théorie électrodynamique d'Ampere. Paris 1823.

sicuti relationes admodum diversas quantitatum variabilium quarumcunque, aequationibus algebraicis ligari posse.

Quam ob causam eadem functio, qua in geometria exprimitur inclinatio tangentis linearum curvarum, in dynamica corporis in motum variatum positi celeritatem repraesentat, et simul in theoria caloris quantitatem, quae ex uno corporis calefacti puncto effluit, per superficiem datam.

Scimus notas caracteristicas, quâ natura orbitae unius planetae ab alterius distinguatur, esse excentricitates; et si plures planetae simul considerentur, orbitarum naturas simul ab excentricitatibus et inclinationibus in se invicem dependere — horum elementorum variationes mutua planetarum reactione producuntur : sed quum hae serie mathematica exprimi queant, patet, et has series abstractas cum corporum proprietatibus physicis relationem habere et talem quidem, ut ex iis formulis algebraicis tuto concludere liceat, totum systema nostrum solare non tempore corruere posse, sed opus esse in perpetuitatem creatum. Ita videmus, sub numeris abstractis, quibus occupentur geometrae, summa saepe naturae latere mysteria. Phaenomena opticae et corporum et materiae lucis debentur proprietatibus phycicis; sed accurate nihilominus formulis algebraicis repraesentari queunt.

Formulis, quas *interpolationis* vocant, si rite cum observationibus comparantur et ligantur, in astronomia motus planetarum (1), et in physica leges stabilire v. g. leges dila-

(1) Vid. *Gauss*. theoria motuum corporum coelestium.

tationum liquidorum (2), et in antecessum determinare valemus. Methodo sic dicta minimorum quadratorum non solum legarum physicarum investigatio adjuvatur et promovetur, sed et ipsae observationes et experimenta instituta, quae propter sensuum et instrumentorum imperfectionem semper et necessario erroribus sunt affecta, quarumque ope nobis tantum ipsas leges detegere concessum est, perpoliuntur et corriguntur ita quidem ut, error qui totus evitari nequit, minimus tamen evadat, nobisque solius calculi auxilio ad veritatem quam proxime fieri potest, accedere liceat.

Ast, quod caute notandum, nec aequo jure nec aequali cum successu hanc vel illam formulam adhiberemus: in hujus forma eligenda observatio et experientia nostra duae sit, omnino est necessarium. Dum phaenomena detecta videntur esse periodica, et ipsa formula algebraica functio sinuum et cosinuum sit, oportet; ita verbi gratia ad repraesentandam in aliquo loco declinationem magneticam, non interpolationis formula quaecunque, sed fonctio aliqua sinus aut cosinus continens, est adhibenda: et pari ratione in omnibus aliis inquisitionibus physicis *forma* formulae semper rei ipsi conveniens sit, necessarium est.

Dein non nescii simus, quemadmodum determinatus punctorum numerus requiratur, antequam dicendum sit per ea omnia unam solam curvam transire posse, ita quoque, ut ulla naturae lex accurate aut cum certitudine ex effectibus erui queat, necessarium esse tot et talia ex observatione

(2) Vid. *Biot*. Traité de physique vol. I. p.

vel experimentis haurire data, ut haec unica tantum relatione, non pluribus modis inter se ligari possint.

Re ita intellecta cum doctissimo *Fouriero* dicere possumus : « L'analyse mathématique a des rapports nécessaires avec les phénomenes sensibles; son objet n'est pas créé par l'intelligence de l'homme il est un élément préexistant de l'ordre universel et n'a rien de contingent et de fortuit : il est empreint dans toute la nature (1) ». Theoria mathematica caute a physica est distinguenda : haec in legum phaenomenorum causam remotiorem inquirit, illa phaenomena legibus tantum empiricis per inductionem stabilitis exhibet; veraque manet, qualiscunque sit ipsa causae agentis natura : ita v. g. leges caloris a celeberrimo *Furiero* stabilitae nunquam corruent, sive caloris causam cum quibusdam physicis fluido subtilissimo, sive cum aliis interno molecularum corporum motui vibratorio attribuamus.

Opticae leges mechanicae firmae semper stabunt, quantumvis acriter de ipsius lucis natura inter se discrepent physici.

Quae ex calculo eruimus, bene scimus, certo scimus, et quae ipsius ope possibilia esse edocemur, haec, dum ubique ac accurate cum observatis et experimentorum consequentiis congruunt, non solum a nobis tanquam probabili sed et tanquam realia in natura sunt habenda.

Quae hypothetice fuere admissa, ipso calculo aut evertuntur aut roborantur.

(1) Vid. théorie de la chaleur, Préface.

Nec in iis scientiarum naturalium partibus, quae calculo nulla ratione tractari queunt, nos ad eundem certitudinis gradum pervenire posse, libenter omnes fatentur. Sed si dum applicari potest, oportet ut praecedat omnem investigationem in phaenomenorum causam, aut si hanc intactam relinquat, rem ita intellectam velim, ut hoc medium adhibitum veram ad causam explorandam aperiat viam, nosque tutius et brevius ad ejus cognitionem perveniamus, non ita ut in legum physicarum causas negligamus inquisitiones.

Hominis mens naturali sua omnia sciendi et explicandi cupidine non potest non impelli ad elaborandum et sudandum, donec ipsius imaginatio ideis fixis supersedeat. et quid sanae philosophiae magis consentaneum est, quam nullum lapidem non movere, ut leges naturae, quoad fieri possit maxime generales cognoscamus. ubi veram phaenomenorum causam non invenimus, probabilem quaerimus et aliquam prae caeteris existere nobis fingimus, quae verae locum teneat (1).

Itaque hypotheses in scientiis physicis non solum utiles sed et necessariae sunt. — Habent insuper id commodi ut ad

(1) Recte Treviranus. Vid. Biologie vol. I. p. 119.
« Der Geist strebt nach Einheit im Mannichfaltigen und er verschfft sich diese durch Vermuthungen, wo sie ihm die Erfahrung nicht liefern kann ».
Et Breislak. Géologie vol. I. p. 8. « C'est en vain qu'on déclame contre les hypothèses ; on ne parviendra point à changer la nature de l'homme. Lorsqu'il connaît un fait bien constaté, son esprit est continuellement agité et inquiet, jusqu'à ce qu'il ait pu concevoir une chose capable d'avoir produit ce fait, cette cause ne fut-elle qu'approximative ; on trouve un moyen

eas confirmandas aut improbandas variae instituantur observationes, multifaria capiantur experimenta, utque eam ob causam multa nova inveniendi ansam praebeant. Saepe quidem non ipsam rem, quam supposuimus, confirmatam videmus; sed ipsius loco non unam sed plures alias summi momenti detegimus. Ita verbi gratia alchymistae frustra quaerentes lapidem philosophicum, chemiam pluribus inventis utilibus auxerunt.

Brandlejius, supposito, stellis fixis parallaxin esse diurnam, non quod quaesivit, invenit; sed tria alia multo majora detexit. Nimirum monstravit 1° Diametrum orbitae terrestris, cum immensis fixarum a terra distantiis comparatum, punctum tantum videri. 2° Accuratam luminis velocitatis mensuram nobis suppeditavit et tandem 3° Terrae motum annuum extra omnem dubitationis aleam posuit. Nunquam forte detecta fuissent instrumenta, quae fulmina e nubibus in terram transmittunt, nisi sagacissimus *Franklinus* per modum hypotheseos proposuisset, nubium fulmina cum viribus electricis identica esse. Hypothesis igitur ortum dedit theoriae, mediante qua impedimus, ne domus et templa nostra igne devastentur.

Hypotheseos ope *Keplerus* ex multis observationibus perpulchras suas leges deduxit nunquam satis laudandas.

sinon de satisfaire entièrement, du moins d'appaiser en quelque sorte sa curiosité.

Les hypothèses, dit Duchatelet, Institutions de physique, y (en physique) sont aussi nécessaires que les échafauds dans une maison que l'on bâtit; il est vrai, que lorsque le bâtiment est achevé, les échafauds deviennent inutiles, mais on n'aurait pu l'élever sans leur secours.

Stoechiometriae fundamentum omnino hypotheticum esse, nullus chimicus non sincero animo confitetur; at quis neget, illius doctrinae auxilio chimiam evasisse scientiam aliqua ratione mathematicam.

Corporum compositiones numeris exhibere licet; et dum de eorum compositione aut decompositione agitur, stoechiometria quorumlibet elementorum adhibendorum convenientem quantitatem praedicit. De hypothesium utilitate plane convictus ipse *Newtonus*, quanquam hypothesium inimicissimus, professus est, peculiaribus hypothesibus ad veritatem novis experimentis indagandam uti licere, ubi certitudinis obtinendae nulla spes affulgeat.

Verum ne noceant, oportet 1° ut caute et parce adhibeantur, atque observationibus aut experimentis ac calculo vel raborentur vel infirmentur. 2° Ut non stabiliantur, donec ipsa phaenomena explicanda bene cognita et ad leges empiricas reducta fuerint. 3° Ut non majorem quam quem merentur, valorem iis attribuamus.

Hisce de ipsa scientiis physicis excolendi methodo dictis, ad alteram argumenti mei partem propero scilicet.

Quis scientiarum physicarum sit finis?

Finis scientiarum physicarum praecipuus est, leges naturae investigare, ad eas vitae usui applicandos, ut nimirum homo sibi comparet necessaria, utilia et jucunda. Omnia nostra studia eo tendant, oportet, ut societatis prosperitati, quantum fieri possit, prospiciatur.

Naturam, si propius contemplamur, omnia ad hominis

utilitatem et felicitatem aut immediate distinata esse, aut saltem ea labore et experiundo ipsi utilia reddi posse, experimur.

Ne igitur, naturae operam impendentes, perverse omnia agamus, nostrum est, ex amplissimo illo rerum thesauro seligere, quae immediate, quae mediate nobis inserviant, et experiri dein, quomodo haec posteriora in usum nostrum vertere possimus, quod studium, si solidum sit, comprehendit singularum rerum naturalium conditiones, proprietates et leges, quibus quaelibet submissae sunt; adeoque supponit amplexam notitiam singularnm partium scientiarum, quae naturales vocantur.

Hoc loco breviter tantum tangam, quae commoda ex astronomia, physica et chimia in hominem redundant.

Cuilibet nota sententia illa, quasi in adagium recepta: « tridens *Neptuni* est sceptrum mundi ».

Verum si rerum nauticarum scientia provinciarum, regnorum et imperiorum commercia sustinet et promovet, sique ea suadente pax aut conservetur, aut restituatur, seu bellum feliciter geratur aut evitetur, cui alii scientiae quam astronomiae tanta beneficia debemus.

Cui alii temporis distributionem homini adeo necessariam debemus?

Quis navibus se mari committere auderet, nisi astronomiae ope globi terraquei figura cognita esset, nisique locorum singulorum longitudines ac latitudines determinatae essent aut determinari possent?

Quamnam plurium monumentorum antiquissimorum maxime utilium haberemus notitiam, nisi chronologiam juvaret astronomia?

Cujus alius scientiae quam astronomiae auxilio physicis contigit ponderum et mensurarum unitatem universam et indelebilem in societatis usum firmam et solidam stabilire?

Franklinus suis circa electricitatem hypothesibus ingeniosis et experimentis sagacissimis et physicae progressus auxit et simul quam maxime de humano genere bene meritus est.

Coelo abscuro acus magnetica navigatori sola dux, solum tutamen in mari est.

Optica homini innumera suppeditat oblectamenta, ad oculorum defectus naturales, aut tempore oriundos, tollendos propria instrumenta conficienda docet. Illius face artifex telescopia construit, quibus astronomus objecta ad distantias remotissimas detegit, et examinat : microscopia invenit, quibus physicus objecta, nudis oculis nullatenus visibilia, contemplatur, et persaepe homini valde utilia reddit. Eorum ope mechanicus instrumentis confectis artes diversi generis mirum in modum promovet.

Theoriam vaporum tanto cum successu industriae applicari, ut inde in societatem immensi varii generis beneficia redundent, nemo est, qui ignoret.

Theoria soni perfectior redditur musica.

Legum proprietatum fluidorum usus in industria fit frequentissimus.

Studio phaenomenorum electro-magneticorum sagacissimus *Davyus* eo ductus est, ut naves contra aquae marinae corrosiones tueretur.

Theoriam caloris diversorum corporum, et scientiarum progressibus et artibus haud parum profuisse nemo inficias ibit.

Vix ulla ars est, cui non opem egregiam praestet aut physica aut mechanica aut chemia aut omnes tres simul.

Chimiae usus latissimus est. Chimiae periti pulverem pyrium fabricamus, arti bellico adeo necessarium, et in vitae usu persaepe utilissimum. Ligna a putrefactione liberamus, alimenta conservamus incorruptibilia, et ab omni fetore eximimus. Artem dealbatoriam vilissimo pretio exercemus. Pannis et telis omnis generis colores imprimimus. Diversi modi olia, aethera, acida praeparamus, in vita sociali adeo prodige consumenda. Vinum et cerevisiam fabricamus. Ferrum chalybeum in omni arte adeo utile adeoque necessarium conficimus. Aurum et argentum a caeteris naturae productis separamus. Combustibilia et metalla artibus utilia e terrae gremio extrahimus. Agrorum naturam cognoscimus, cuilibet vegetabilium solum proprium et ipsi conveniens experimur. Artem eos stercorandi caeteris anteponendam, inque vegetabilia stercorum verum agendi modum addiscimus. Chimiae periti antiquam terrae formam, ejusque incrementum cum fructu exploramus, immo in prisca tempora retrospicimus.

Prisca scripta plane obscurata in talem restituimus statum, ut facile legi possint; utque rei periti ex pulcherrimis antiquitatis monumentis permagnam utilitatem capiant.

Chimia instructi omnis generis aquarum naturas exploramus, earum indolem perspicimus, partes ingredientes determinamus, quae durae, crudae et impurae sunt, emendamus; in locis, ubi non sunt, ipsam imitantes naturam, salutiferas praeparamus, a naturalibus vix, aut ne vix quidem distinguendas.

Morborum epidemicorum contagiones destruimus, cubi-

cula nostra pestilenti aura expurgamus, et inhabitabilia reddimus.

Chimiae fere totum domuum nostrarum suppellectile et omnia fere vasorum domesticorum ornamenta immo ipsa vasa magna ex parte debemus. Illi debemus eximium beneficium et perpulchrum spectaculum aedes nostras, immo urbes integras vili pretio lumine, quod gaza hydro-carbonica emittunt, collustrandi splendidissimo, formae varietate, puritate et suavitate omnium praestantissimo.

Non de usu technico carbonii vegetabilis et praecipue animalis loquar?

Nihil de eximia, quam medicinae affert chimia, utilitate in medio proferam.

Non de usu lampadum securitatis dictarum dicam, quibus plura hominum millia in fodinis laborantium suam vitam debent.

Quid plura! ex omnibus scientiis chimia maxime industriam fovet. Qui eam perfecte noscit, ubique utiles illius applicationes deprehendit.

Sed ex hucusque exaratis sat superque patet, quid scientiae positivae ad artes promovendas adeoque ad societatis prosperitatem augendam valeant: his, rationem physicam operationum, operationumque causarum et productorum reddentibus, industriae progressus celeriter crescunt, et multum splendent.

Si quidem plura adhuc exstant inventa physica et chemica, quorum utilitates immediatas nondum perspicimus, pauca tamen dantur quae non mediate utilia sint aut evadere possint. — Multa sane sunt, quorum usum ignoramus; nec

dubium esse potest, quin ex scientiarum progressibus, magis magisque auctis, plura in industriam et artes diversas in hunc usque diem incognita beneficia redundatura sint.

Eximias itaque scientiarum utilitates ac praestantias grato animo omnes agnoscamus; omnium enim commodis atque prosperitati prospiciunt.

Sed sicuti omnium disciplinarum dignitatem, ita quoque, scientiarum naturalium non sola utilitatis magnitudine ac necessitate metiri oportet — maxima hominis voluptas, summum ipsius bonum est, in naturae leges ac causas latentes investigare. Rerum naturalium studiis non tantum ingenium formatur, sed et animus colitur, movetur, delectatur, elevatur. Qui naturae sanctiora contemplatur, ipsius scruticinium, quasi theatrum officiorum moralium reputat. Ubique leges invariabiles et veritates aeternas deprehendit, ubique luculenta divinae sapientiae, potentiae atque bonitatis testimonia dignoscit. Illa philosophorum sententia « nosce te ipsum » scientiarum naturalium studiis praecipue expleri potest. Hisce homo suum et rerum extra se positarum finem agnoscere potest, quum ipsum se, suamque conditionem cum illis contulerit.

Quo propius in rerum physicarum causas penetramus, eo majorem, ac jucundiorem ex illarum contemplatione voluptatem haurimus, eoque sublimiores de ipso creationis opere, ideas formamus.

Sic verbi gratia, quamvis sufficiat nobis scire, virium attractivarum actiones in physica decrescere in ratione inversa quadratorum distantiarum, multo tamen nobiliores de universi architectura deque ipsius architecto alimus cogitationes,

si introspiciamus, illa sola lege sapientem creatorem totius mundani systematis pulchritudini et simul ipsius conservationi providisse ita quidem ut universum neque pulchrum neque perfectum esset, inque demum tempore collapsurum foret si alia lex qualiscunque existeret. Sed accidit semper, ut, quum demum omni cura adhibita multis arduis ac diuturnis laboribus impensis, omnibusque viribus nostris exhaustis, omnia physice explicata credimus, in innumeras adhuc quaestiones inviti incidamus, quarum solutiones non nisi in illius, qui omnia fecit, arbitrio, reperire possumus (1).

Ita verbi gratia lex modo relata aliquid in se continet omnino arbitrarii nimirum absolutam virium intensitatem. Nullatenus nos scire possumus, quare primo minuto secundo quo labitur, accurate 4, 9044 metra nec plura nec pauciora percurrat. Nullatenus repugnat admittere, gravitatis lege et corporum coelestium ordine eisdem manentibus, eorum massas et distantias reciprocas mutari ita ut vis centripetae quantitas absoluta simul mutetur. Eam unitatem optimam esse credere debemus, sed nullo modo explorare possumus : causae rationem solus architectus inspicit. Penitus nos latet, cur planetae ab occidente orientem versus moveantur et non versa-vice ab oriente occidentem versus. Nec concipere possumus, quo modo ultimato fiat ut lumen in oculis nostris

(1) Vid. Algemeine Naturbetrachtungen von *Bode* in seinen, gesternten Himmel. 1320. — Vid. *Schubert* Astronomie populaire, vol. 3, pag. 383. qui alia ita : « Sie (die Astronomie) Giebt dem Menschen ein erhabenes Herz und ein Auge, das über die Erde hin aus reicht, und Flügel, die in die Unermesslichkeit heben, und einen Gott, der nicht endlich sondern unendlich ist. »

visum et aer motu suo vibratario in auribus auditum producat?

Hisce et sexcentis aliis quaestionibus similibus humiliatur qui nullam causam primam admittit.

Deprimitur homo, si cernat, quam arcti limites suae rationi circumscripti sint, sed elevatur ipsius animus, quum inspiciat, quanta illius ratio intelligere valeat. Tum, totam creationem communi morali vinculo ligatam et verum, ad quem destinatus est, finem intellecturus est.

Si, auditores spectatissimi! naturam explorare studemus modo, quem hucusque exposuimus, non cum quibusdam dicimus : cui bono illius studium! quodnam inde lucrum, quinam quaestus, quaenam deliciae inde capi possunt? nec quaerimus, quid mathesis in physica valeat, et quid juvet in phaenomenorum naturae caussas physicas inquirere.

Quanquam haud iis assentiar, qui omnia in natura explicari volunt, et ad ea explicanda saepe leviter et inconsiderate hypotheses fingunt, haud raro omni fundamento carentes; ab eorum tamen partibus stare haud possum, qui omnem hypothesium usum rejiciunt, malentes nullam factorum caussam assignare, quam aliquam rationem physicam illorum proponere, siquidem haud adaequatam, probabilem tamen seu aliis phaenomenis et analogiae innitentem. Exclusa omni phaenomenorum ratione, non aliquod fundamentum habente, maximae est utilitatis plurium physicarum quaestionum tentare solutiones, si facta certa et ratiocinia solida in auxilium vocari possint, summa sane in scientias redundant commoda ex inquisitionibus in vires physicas, si hae bene dirigantur, nec per eas futilis quorumdam metaphysicorum de ipsa virium

natura disputationes intelligantur. Quum viam hucusque indicatam in philosophiae naturalis investigationibus sequimur, virium quidem effectus cognoscere et mensurare possumus, sed ignoramus adhuc et ipsarum virium naturam et modum illum, quo illae vires simplices, quibus ultimato phaenomena adscribenda sunt, concurrant ad producendos illos effectus, quos nos pro viribus ipsis habemus.

Sed si sunt, quae semper ignorare cogimur, haud parum lucri in scientias redundaret, si earum rerum numerus ad minimum reduci posset. Hanc ob causam quoque physici tanto ardore studuerunt atque hodie praesertim student plures naturae vires ad pauciores aut ad unam solam *universalem*, si possit, revocare. Vere enim scire est per causas scire; et cognita indole causae seu vis agentis, quamquam ipsius natura maneat incognita, nostrae investigationes aliam nanciscerentur directionem, phaenomenorum leges facilius, tutius et breviori tempore detegerentur.

Itaque haud miremur oportet, tam saepe agitatam esse illam magni momenti quaestionem, utrum *gravitas*, *affinitas chimica*, *vis cohaesionis* et *crystallisationis*, demumque *vires electricae* et *magneticae* non eidem principio vel causae primariae debeantur, quae variae modificata modo unam modo aliam illarum virium repraesentet. Analysi superiori probarunt et *Laplacius* (1) et *Tobias Mayerus* (2) eandem vim posse producere et affinitatem chimicam et phaenomena capillaria ac cohaesionis.

(1) Vid. Annales de Gilbert, 1809 et 1810.
(2) Vid. commentationes societatis Goettingensis, v. XVI.

Bertholletus in eximia sua statica chimica studuit ex attractione universali derivare et phaenomena cohaesionis, et attractionis chimicae et capillaris : ast hanc theoriam utut ingeniosam in multis cum observatione et experientia haud quadrare, edocti sumus.

Tobias Mayerus (1) via inita contraria gravitatem seu attractionem universalem ex diversa molecularum attractione specifica facile derivari posse, calculo probare studuit et quid haec admittere recusemus ? Chimia edocti, elementa diversa attractionem molecularem diversam exercere, putemusne, elementa planetarum massas constituentia alii legi submissa esse ? rei quidem possibilitatem haud negans, quaeram tamen, quamnam illa opinio prae se ferat speciem probabilitatis ? ubi una lex sufficit, sane haud plures sunt statuendae. Quid impediat, quominus verbi gratia tria elementa constitutiva A, B, C alicujus planetae vim mediam edant constantem et talem, ut omnia corpora, utcunque eorum materiae sint heterageneae aequali vi terram versus gravitent, utque, in computandis mutuis corporum coelestium attractionibus, sicuti observatio docet, nulla nisi massarum et distantiarum ratio sit habenda. Quod ex calculo facile sequi, videre est loco modo relato.

Caeterum hanc legem ipsam dubiam reddunt insensibiles quas causantur cometae, perturbationes et praecipue computus, quos *Enkius* (2) circa motum cometae suo Enkiani nomine vocati instituit. Ex his sequitur, planetas in diversa

(1) Vid. commentationes societatis Goettingensis, 1816-1817.

(2) *Enke Schumaeher* Astro. Nachrichten, 1823.

corpora coelestia diversas attractiones exercere admittendum esse, ut eorum perturbationes ad eandem legem vocari queant.

Sed si eadem vis diversis nominibus designatas attractiones producere potest, modo est quaestio, utrum re physice considerata sufficiat solam vim attractivam in natura admittere? scimus, non omnia elementa simplicia in natura sese attrahere; sed et plura se invicem repellere, adeoque praeter vim attractivam etiam repulsivam existere. Jam *Keplerus* attractionem universalem cum magnete comparavit, et proinde vim quoque repulsivam admisit. *Newtonus* attractionis nomine phaenomenon, non causam designavit, et in pluribus locis suorum principiorum philosophiae naturalis etiam vim repulsivam in natura existere manifestavit. *Olbertius* et post eum *Brandius* feliciter explicarunt caudarum cometarum figuras, supponentes, partes caudarum, cujuscunque sint naturae, tam ab ipso cometa quam a sole repelli.

Crystallisationis phaenomena, viribus attractivis et repulsivis specificis corporum elementa regi, extra omnem dubitationis aleam ponunt.

Itaque, quemadmodum quaedam particula magnetis cujusdam duos habet polos diversae naturae, ita quoque quodlibet elementum materiale duabus viribus, una attractiva et altera repulsiva praeditum esse, in principium exaltari posse videtur.

Verum enim vero quae est illarum virium natura?

Si in unum colligamus, quae ex actibus chemicis atque ex phaenomenis concomitantibus inferri posse videntur, patet:

1° Vires electricas in actu combinationum chemicarum

mutua sua neutralisatione calorem producere, et persaepe calorem et lumen.

2° Vires electricas corpora decomponere, eorum particulis minimis constanter et stabiliter inhaerere, harumque polaritati electricae et variae polarisationis intensitati, observatione comprobatis, omnem corporum attractionem molecularum seu affinitatem chemicam attribui posse, nec vis crystallisationis causam aliam videri.

Porro experimentis circa electro-magnetismum, thermomagnetismum, circa magnetismum in corporibus solo motu evolutum atque circa phaenomena electrica institutis tanquam irrefragabilibus argumentis confirmatur, ultimis materiarum particulis vires adhaerere, nullo modo ab iis separandas, quae repulsiones edant et attractiones, mutuo corporum contactu haud evanescentes.

Sed hucusque nondum et fortasse nunquam cum certitudine ex phaenomenis erui potest, utrum vires illae sua natura sint electricae, an magneticae, utrumne demum ab alia causa incognita dependeant. Et dein incertum est, utrum vires electricae phaenomena modo relata immediate producant, an mediate tantum, evolventes veras eorum causas et tali disponentes modo, ut omnia phaenomena edere queant. Hoc in casu vires evolutae aut cum electricis aut cum magneticis identicae esse possunt, prout vires magnetis sunt naturae electricae vel magneticae. In illo autem casu supponitur, ab ipso fluctu electrico per conductorem transeunte omnia phaenomena electro-magnetica produci. Alii hanc, alii illam defendunt sententiam : sed ex eo, quod fluida elec-

trica re ipsa per couductorem transeant, vel phaenomena vi proprietatis incognitae particularum corporum eodem contingant modo, quo si transmittantur, non sequitur necessario, ea quoque acum magneticam afficere; hac enim ratione novas vires, veras phaenomenorum causas evolvi, cogitari potest. Itaque ea, quam aliqui in theoriae principium exaltant, opinio, non facto aequivalet, sed mera est suppositio, quae utrum valida an falsa sit, non nisi ex accurata omnium phaenomenorum electro-dynamicorum comparatione mutua et explicatione adaequata aut non adaequata dijudicare possumus. Verum exstat, ni fallor, altera theoria et multo simplicior et cum phaenomenis magis conveniens. Virium elementarium vim mediam in conductore electro-magnetico in axim esse ad perpendiculum et in sensu determinato revolutivam, ex phaenomenis omnibus inter se comparatis inducimus; et quamvis ipsi fluctui electrico phaenomena adscribamus, eandem tamen sententiam tueri cogimur, quod caeteroquin ex ipsa hujus theoriae lege analytica sequitur.

Qaestio igitur princeps est scire, quomodo vires elementares dispositae sint oporteat, ut talem vim mediam generare queant. Utique latet nos, semperque probabiliter latebit, cur illa vis media potius hanc quam illam directionem sequatur, sicuti scire non possumus; cur planetae potius orientem versus quam occidentem versus moveantur. Argumenti nostri ratio dependet a lege, cui vires simplices sunt submissae, et quam indagandi aut imitandi nullum nobis medium est. Illam itaque ignorabimus, sicuti plurium aliarum rerum in physica nullam causam introspicimus.

Sic in natura investiganda eo semper ducimur, ut videamus, nos quidem catenam phaenomenorum ab annulo ad annulum sequi posse, sed illud, quo ipsa catena suspensa sit, punctum attingere vires humanae rationis haud posse. Ast secus se res habet quoad alterum quaestionis punctum. Plures modos concipere possumus, quibus vires electricae aut magneticae in conductore ita disponantur, ut earum vis media phaenomena producat, qualia experentia docet. Physicorum nunc est, phaenomenis ad leges per inductionem statutas reductis, inquirere, quinam inter illos modos in natura locum habeat. Magni dein momenti est investigare in diversas conditiones, sub quibus eadem vis diversos edere possit effectus aut investigare, quomodo eadem vis modificetur, ut modo haec modo illa phaenomena producere queat. Sed quum circa has et alias similes quaestiones nihil certi proferendum habeam et rebus dubiis dicendis nimium abripiar, ne vestra, auditores humanissimi! patientia abutar, illa omnia hoc loco missa faciam et causa mea coram vobis nunc dicta est.

Tria solummodo peragenda mihi remanent. Vobis inprimis, Curatores clarissimi; gratum animum pro beneficiis erga me collatis publice exhibendi mihi esse occasionem, magnopere laetor. Mea exspectatione longe majus judicium de exiguis meis studiis, ingeniique facultatibus tulistis. In inclytam vestram Academiam me recepistis. Eo munere me condecorastis, in quo semper meam delectationem, totamque meam felicitatem posueram. Et tu, illustrissime Inspector WALTHERE! dum de tua erga me benevolentia cogito, quae dicam, verba deficiunt. Quid tua tutela mihi valuerit, quam

gratum mihi sit, me tua amicitia honoratum videre, verbis exprimere nequeo. Te primam originem totius felicitatis, qua nunc munere meo fruor, laetabundus publice declaro, pronuntio. Et quid ego tibi praeter gratissimum animum pro tantis beneficiis reddam? Sed nequidem est, cur hac de re anxius sim. Quae in tuo corde scripta sunt, legere valeo: tu unus ex illis rarissimis es, qui toti aliis vivunt, se ipsos parum curantes: tu vis, ut et ego, tua sequens vestigia aliis utilis evadam. Hoc praestandi omni ardore me flagrari, tibi polliceor, et eo omnes meos conatus tendere, sacro objuramento me obstringo. Si vires meae exiguae sint, de vivo meo desiderio, ut labores mei utiles evadant, noli dubitare, confidite, Superiores omnes! in sinceram meam voluntatem; omnium mearum virium intentionem sancta fide vobis spondeo.

Ad vos nunc me vertam, illustrissimi professores! Ad vestrum ordinem honorificentissimum receptum me video. Vos, Viri omni eruditionis genere praestantissimi! collegas prima vice salutare mihi contingit. Faxit Deus, ut labores mei haud indignum me reddant, qui tantorum eruditissimorum virorum numero adscriptus sim. Me, quem ne nomine quidem noveratis, benevole excepistis: ut vestra amicitia magis, magisque dignus fiam, omni opera curabo.

Vos Juvenes egregii! cognoscite, perpendite suaves voluptates, praeclara praemia, quae ex scientiarum studiis profluunt. Qui animarum curam in se suscipient, in rerum naturalium studiis codicem sacrum reperient, ex quo argumenta haurire poterunt suavia, quibus auditores delectare, movere et convincere possint.

Agnoscant omnes, scientiarum studiis diversi generis artes florere, vitam gratam et amaenam reddi, ad veram animi felicitatem perveniri.

Accipite me studiorum vestrorum socium, vestrum amicum, et siquid valeo, vestrum ducem. — Simul imitari studeamus eos, qui maxime scientiis floruerunt, et florent: eos intueamur, ad earum laudes simul suavi ardore adspiremus; mea consilia, mea auxilia, vobis laetabundus et sincero animo offero, omnes meas qualescunque vires atque cogitationes vobis promitto, consecro.

DIXI.

ERRATA.

Pag. 1 *linea* 1 *lege* demandata *pro* demendata.
Ibidem — 2 — diu *pro* Diu. haerebam *pro* heerebam. dicendi argumentum *pro* dicendi.
Pag. 2 — 6 — quilibet *pro* cuilibet.
Ibidem — 10 — incumbentis quam maxime *pro* incumbentis, quam maxime.
Pag. 3 — 3 — *sufficiente* » omnis *pro* *sufficiente* ». Omnis.
Pag. 7 — 26 — observationi *pro* observatione.
Pag. 9 — 1 — adscribendum inter *pro* adscribenda, inter.
Ibidem — 21 — Plerumque *pro* plerumque.
Pag. 10 — 12 — inservient. Calculo *pro* inservient calculo.
Ibidem — 23 — (2). Figurae *pro* (2) figurae.
Ibidem — 27 — de *Biot* *pro* de *Beut*.
Pag. 11 — 26 — Unterhaltungen *pro* Unterhallungen.
Pag. 12 — 17 — praestet, *pro* praestet.
Ibidem — 23 — etc., si *pro* etc. si.
Pag. 13 — 4 — experientia *pro* experienta.
Ibidem — 9 — aberrationem *pro* abberrationem.
Ibidem — 19 — veritate *pro* veritae.
Ibidem — 24 — durationi *pro* duritici.
Pag. 14 — 23 — admissae *pro* admissa.
Pag. 16 — 4 — Dynamia *pro* dynamica.
Ibidem — 8 — characteristicas, queis *pro* caracteristicas, qua.
Pag. 17 — 9 — regularum *pro* legarum.
Ibidem — 13 — dux *pro* duae.
Pag. 18 — 6 — de l'homme, il *pro* de l'homme il.
Ibidem — 22 — probabilia *pro* probabili.
Pag. 19 — 12 — Et *pro* et.
Ibidem — 15 — Ubi *pro* ubi.
Pag. 20 — 9 — *Bradleyus* *pro* *Brandlejius*.
Pag. 21 — 15 — roborantur *pro* raborantur.
Ibidem — 19 — scientias physicas *pro* scientiis physicis.
Ibidem — 23 — applicandas *pro* applicandos.
Pag. 23 — 7 — obscuro *pro* abscuro.
Ibidem — 19 — immensa *pro* immensi.
Pag. 24 — 9 — olea *pro* olia.
Pag. 25 — 13 — in medium *pro* in medio.
Pag. 27 — 24 — in seinem *pro* in seinen.
Ibidem — 26 — alibi *pro* alia.
Pag. 28 — 1 — vibratorio *pro* vibratario.
Ibidem — 29 — futiles *pro* futilis.
Pag. 29 — 22 — varie *pro* variae.
Pag. 30 — 24 — producunt *pro* causantur.
Ibidem — 28 — *Schumacher'*, Astr. *pro* *Schumacher* Astro.

XI.

MICHAELIS PAGANI

ORATIO.

ORATIO

QUAM HABUIT

MICHAEL PAGANI,

A. D. XVI MARTII, ANNI MDCCCXXVI,

QUUM IN ACADEMIA LOVANIENSI

MUNUS PROFESSORIS EXTRAORDINARII

DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM AD ARTES MECHANICAS ADPLICATARUM

SOLEMNI RITU AUSPICARETUR.

Academiae Lovaniensis Curatores nobilissimi!

Rector Magnifice!

Qui hac in urbe rebus publicis administrandis, justitiae vindicandae praeestis, viri gravissimi!

Professores quarumvis doctrinarum clarissimi!

Ingenui literarum studiosi adolescentes!

Auditores ornatissimi!

Ad rei mathematicae doctrinam, Augustissimi Regis gratia, in hac celeberrima musarum sede constitutum, ubi quatuor abhinc saeculis literarum gloria nitet, me deficit animus cum tot coram tantisque viris sermo habendus sit et ratio de iis quae prae vobis infirme sentiam. Quid adferam argumenti? At vero qui me hic antecesserunt, et dictis et scriptis, plenius de omnibus disseruere. Sunt nobilissimo hoc artium collegio qui Newtoni, Euleri et Laplacii summa laude vestigiis ingrediuntur; adsunt et doctores qui eo sapientiae procedunt ut ingenii flumine et eloquendi copia illustrium virorum opera mirifice dilucident, tradant, exornent. Numnam quid valeat labor geometricus, commemorem? Hoc autem dictum, doc-

tissimisque praeceptoribus saepius et luce clarius expositum. Quid Chymia habeat veri, quid diu natura phenominis obvolvit, in aperto est. Sic lux Europae, Academiis jampridem exorta, et tenebras pepulit et hominum longe lateque protulit eruditiones.

Nunc mihi, haud antea scientiarum magisterio acceptum, in animo est agere argumentum. Res nova munus expleat eloquii atque ingenii; quapropter ut obsequio unusquisque utatur obsecro, neve incomptus sermo auctori vel rebus noceat iis quae omnium vehementer animos adeo accendant, ut haec quoque praeclara Academia eidem incitamento, quod nunc Britannorum favet studiis atque institutis, indulgeat.

Patet ex dictis me de materia orationem habiturum de qua facunde exposuerunt Albionii oratores, et quam pro-merito patriae flagrans caritate, Galliae detulit insignis geometriae cultor ille (1) qui per quadriennium inter Anglos vitam degit, ibique hujusce artis tot prodigia summopere admiratus.

Virorum clarissimorum BIRBECK et DUPIN certum iter agens, quanti sit, reipublicae gratia, vulgi operarii rationibus atque doctrinis consulere, nec non utriusque aemulae gentis consilium adsciscere, palam vobis ostendere conabor.

Primum igitur de *popularibus institutis quae in Magna Britannia atque in Gallia vigent; quid inde valeant;* postremo *qua ratione in Belgio recipi possint*, referre tentabo.

(1 Cl. *Dupin*.

Jampridem de institutis quae Magna Britannia pro doctrina populari decrevit, in ore omnium sermo est : utrum et quo valerent officio, diu quaestio fuit. Quae vero fides ei adscribi potest quorum discordes dissidebant sententiae eo jam tempore, quo auctores ipsi quid instituta possent vel recusarent nondum sentiebant?

Urbs quae summis viris, scientiis, literis atque artibus floruit, Edimburgum, gymnasium quo populus edoceretur statui jussit. Non homines sapientia vel ingenio praediti, non qui fortunis vel gloriae student, at vero horologii fabricator nomine Bryson, primus fuit cujus in mentem idea talis instituti, ut ita dicam, incidit. Is, geometriae, machinalis scientiae, graphidis, quibus egent ad horologia construenda, inscios opifices esse jam animadverterat. Haec non aegre caeteris quae ad artes attinent et industrias, congruebat cogitatio. Cum vero quaereretur cur artifices omnes theoretices notionibus, quibus maxime opus esset, omnino carerent, initum est consilium quo pacto plebs scientiis, quae manuum operibus congruunt, erudiretur. Hinc gymnasium illud, quod meritam quinquennio in toto orbe terrarum laudem est consecutum.

Artium atque operum instituta, A. A., eo tendebant ut artifices, machinalis scientia, chymiae et omnium quae ad opificia spectant, praeceptis imbuerentur : illis hoc modo in artibus agendis convenientia assequi studia, ingenium protendere, atque adeo proposita varii generis exemplaria superare fas est. Cum autem expensi ratio artificum qui vacarent disciplinis, facultates longe excederent, statutum est

ut gymnasium non equidem ex toto gratuitum fieret, si opifices qui alienis sumptibus parcerent, onus in singulos ferre vellent. Hinc opulenta beneficorum hominum societas qui civium commodis et gloriae patriaeque rebus inserviunt; pecuniasque in commune conferunt annuatim quo hujuscemodi instituta in Magnae Britanniae urbibus constituant, amplificent.

Edimburgi exemplum quamplures civitates secutae sunt, statim ac expertae fuerunt quantum comercio et artibus universis prosit ut plebs industria edoceatur. Erat quidem in urbe Glasgoae jampridem hujusmodi institutum, quod vero Edimburgi aemulas virtutes non effecisse videtur. Londinum, Liverpool, Birmingham, Newcastle, Manchester, omnes hae civitates, institutis artium et operum usae sunt. Hoc incitamentum tanto emicuit splendore, ut primis Julii diebus anni elapsi jam triginta quinque urbes nova gymnasia instituerint.

Si de iis agere velim quae Anglia ad gymnasiorum popularium institutionem ordinavit, non incassum eloquar de consiliis queis ipsemet ego studui id temporis cum regionem illam petivi mihique institutis quae praeter alia in Europa excellunt, adesse licuit.

Nova eo tendit igitur doctrina ut artifices et fabricatores de scientiis quae ad eorum artes pertinent erudirentur; cum ad industriae formam, quae iis convenit, concedendam, quod est geometriae artibus adplicatae; tum ad opificum, rerum naturalium, et animalium vires exercendas, ita ut nostris et

studiis et curis inserviant, quod de mechanicis artibus habendum est. Alia vero novae eruditionis ratio postulat ut opificum facultates sicuti memoria, intellectus, comparatio, judicium, omnimodo excitentur, et ut quod necesse sit praebeatur illis, qui opera omnia facilius atque utilius more perficiant; ut denique nova rerum series pro illis vertatur, illique moribus exornentur, quorum animis ordo, consuetudo, atque agendi rationes subeant, ex quibus pacis publicae fundamenta et felicitatis injiciuntur.

Neque vero lignarios vel aedium fabros vel tinctores instituta illa emittent; at cum artes omnes scientiarum elementis incumbant, ita oportet ut de illis operaria plebs edoceatur. Qui etenim dexter in operibus conficiendis, suae artis praecepta noscit, fit ille peritissimus omnium.

Artium atque operum scholis auditores, plerique studio mechanicorum operum dediti, geometricae theorices, machinalis scientiae, chymiaeque primordia, et omnia simul ad eas attinentia, ediscunt. Nihil praeterea omittitur ut discipuli de elementis atque graphidis usu linearis, et de iis quae ad officia machinalia et architectonica pertinent, edoceantur. Omne institutum pluria tenet instrumentorum exemplaria, et bibliothecam qua hujus generis scriptorum utilibus abundat operibus.

Sic statutum est in Edimburgi gymnasio, atque exitus spem eorum vicit quorum erat in votis : haec sane institutio ultra modum ac fidem hominum generi prodesse potest.

Num mihi de instituti utilitate, ubique loci habenda, ex-

ponendum arbitror. TULLII utar dicto : *mihi non tam oopia quam modus in dicendo quaerendus.*

Sunt qui, ut artifex optimus fiat, nihil aliud quam diligentiam in agendum conferat, proximeque ad exemplar propositum accedat, opus esse sentiunt; cui sententiae apprime congruit Indorum exemplum, apud quos nulla species artis mechanicae invenitur. Quem vero Indiae latent opificia? summa omnia esse in filo xilino quis vestrum nescit? In genus vilissime constat apparatus ad lineas nebulas (gallice *Mousseline*) texendas, quae maximam universamque movent admirationem. Et quidem vagans opifex Indus secum ferre solet instrumenta quibus ad manuum opera perficienda utitur.

Quid ex hac ratione provenit notandum. Pluribus abhinc saeculis inter Indos hujusmodi opificia, nulla re innovata, vel lenita populorum sorte, locum eumdem tenent : omnes autem in miseriam et servitutem adducti sunt fabricatores.

Magnam nunc accedite ad Britaniam, et ut opificii industriaeque tot variaque genera omittam, tantummodo ad fabricas xilini, natas etsi diem, ut ita dicam, prae Indicis, mecum A. A. intendite quaeso.

Anno millesimo septingentesimo sexagesimo quinto, Gossypii pretium quod Angli exportaverant, vicies centum millia nummorum argenteorum habitum est : anno vero millesimo octingentesimo vigesimo quarto, idem millies tercenta et septuaginta quinque millia. Haec industriae pars suprema Anglis praebuit inventa artis mechanicae quae illos praeter

caeteras gentes ad gloriam sustulerunt. Anglos Gossypium ad Indici fabricatoris domum ubi colitur, emere, in patrias urbes advehere, idemque industria elaboratum ipsismet Indis vendere minoris quam ipsi faciant, maxime animadvertendum est. Hoc hominum industriae prodigium, hoc rerum humanarum paradoxum, inventis adscribendum est quibus et ignis, aquae, ligni, metallorumque concursu, in unica insula Magnae Britanniae, conficiuntur opera quae vix millies centum millia hominum perficere possent.

Automatis pares esse qui nimis serviliter exemplaria imitantur, ideoque nihilum perfectius aliis agere qui antea fuere, A. A. plane videtis. Equidem multa ex inventis vel fortunae vel indoctis debentur artificibus : exemplo sit machina ad nendam lanam et gossypium quae, mirum! a tonsore ARKWRIGHT inventa, res omnes, non secus ac typorum vel novi orbis inventio, commutavit. Attamen nullius rei investigatio, nisi scientiis adjuta, diu valere potest : neque admodum frustra de rebus inquirere aut eas experiri conarentur ii quibus theoretices erudimenta paterent, et quorum ingenium ad nova ignotaque spectat.

Inventa in artibus usualibus, haud theoretices tantum doctrinis teneri nemo nescit. Qui iisdem semper operibus aut cogitationibus se continet, in hoc aut aliud inventum fere necessario incidit. Si quis vero theoriae doctus iisdem studeat, nullum subest dubium quin praecepta facilius actu effecturus sit; et quae nova in animo habeat in lucem prolaturus. Nulla sane unquam delebit oblivio memoriam GALILEI qui primus isocronas penduli oscillationes adinvenit. Numne HUIGENIO,

Belgarum honori atque decori, cui, sicuti LAGRANGIUS ait, data sunt ea perficienda quae reperit GALILEUS, debetur opus celeberrimum, machina nempe horologii oscillatorii? Vaporiferae machinae inventio, monstrum sane mechanicae virtutis, Italo debetur geometrae qui anno millesimo sexcentesimo vigesimo nono, librum in lucem edidit ubi demonstratur qua ratione vis vaporis ad rotas movendas adhiberi potest. Haud multo post, BRANCHAE inventum a nobilissimo Marchione a WORCESTER perfectum, paulo serius ab homine militari, SAVARY vocato, peritius conductum, denique a celeberrimo WATT mechanicorum facile principi theoretices tantum adminiculo omnibus numeris expletum est. WATT, nomen clarum ubique gentium, favet nunc consilio quod de theoreticis studiis utile statutum est, quibus in artem agendam utendum foret. Insignis hic vir ajebat magni interesse ut id quod artes valeant non secus ac quod recusent sciat artifex. Si quid enim praxi vel fortuna, absque ullo theorices auxilio, inveniatur; theoricae tantum doctrinae quid valeat hominum ingenium, ostendere possunt.

Eidem quoque ingeniosissimo viro debetur ars nova qua nunc *gaz* inflammabilis ope longe vilius lucidiusque illuminantur civitates. Lucerna salutaris (gallice *Lampe de sureté*) incliti Angliae chymici insigne opus, machinaque admirabilis ultro, qua telae xilinae depilantur, aperte indicant quid una scientiae atque artes efficiant. Quadrans marinus praesidem Regiae Londini Societatis auctorem habet. Astronomus, nauticae pixidis aberrationem, quae ab attractionibus e loco proficiscitur, primus animadvertit. Diebus autem nostris Cl. BARLOW Physicae professor problema magni

momenti pro navigatione dissolvit, cum invenit quid necesse sit ut id quod illas attractiones nauticae pixidi adfert, amoveatur.

Pulchrius praeter veterum consuetudinem nunc tela dealbari, imprimi, et tingi possunt; hoc quidem recentioribus chymiae inventis, scientificis laboribus, atque illis tandem debetur qui naturae diligenter arcana scrutati sunt.

Denique mihi sunt ea dicenda quae ex talibus institutis in Belgio commoda sperari possunt, quorum nonnulla tantummodo dealbavi, et quae omnia nunc praesto erunt ubi artes scientiis feliciter erunt conjunctae.

Solerter adeo, acriterque Angli negotia ubique persequuntur, ut quocunque oculi inciderint, nil nisi mechanicae virtutis et opificii opera videantur. Hinc omnes fere Magnae Britanniae urbes, unde optimus fiat artifex, circum et intus habent. Quapropter in singulis provinciis extant gymnasia quorum alia aliis prorsus aliena sunt. Potest ne idem in aliis regionibus haberi? vel hujusmodi apud nos haud aliter ac Edimburgi, Londini aliisque anglicis urbibus gymnasia? sane quidem; sed nullum est dubium quin expensi ratio pro institutis accepti rationem superaverit. Jam enim et in primis, gymnasia in eis urbibus ubi plebs industria frequens est, institui debent, aliter vix attingi posset finis propositus, scilicet universae plebis emolumentum. Praeterea, arithmeticae, geometriae, artis mechanicae, chymiae et graphidis professores pro singulis gymnasiis creandi forent; bibliotheca, totiusque generis instrumentorum et machinarum

exemplaria colligenda; quae omnia ob nimios sumptus aegre suscipienda arbitror. — Porro subest ratio et via qua, et quin imitatorum Angliae servile pecus dicamur, finem sperandum obtineamus, nimirum; instituantur in una ex regni magis conspicuis urbibus, instituantur, inquam, scholae publicae in quibus erudiantur futuri praeceptores, et quae a recentioribus *Normales* nuncupari solent. Sufficiens hic colligatur numerus machinarum omniumque instrumentorum artibus utilium; ibi tandem edoceantur chymia, machinalis scientia, graphidis, et omnia quae ad opificia pertinent. Quid inde? ex hoc instituto emittentur docti praeceptores qui in alias urbes ad plebis eruditionem se conferent. Quibus factis quid vetabit quominus intra paucos annos Belgae in decus antiquum restituantur? publica negotia rebus secundis faveantur? vitae commoditatibus potiantur, innumeri qui nunc non nisi duriter vitam agere possunt? quin denique mores, fides, ceteraque officia libentius a plebe colantur? Quae omnia tanquam mercedem et praemium iis proponimus qui hoc maximum et pulcherrimum facinus ad exitum perduxerint.

An absurde dixerim, attendite. Praestantissimus geometriae cultor, cl. *Dupin*, suos inter concives studium honestae aemulationis adeo provocavit ut in spatio triennii, Galli ultra octoginta gymnasia in quibus erudiuntur artifices, attonite meritoque admirari possint. Neque id satisfecit dignissimo huic artium fautori; mox enim operam dedit scriptioni tractatus ex professo ad usum eruditorum atque erudiendorum. Quod opus nunc in lucem simul editur a Gallis et Belgis; atque ex eo patet quantus sit auctor, quanta ejus sapientia, doctrina et vis eloquendi.

Quin igitur expergiscimur? Nos quibus vota et fortuna Regem tribuerunt qui scientiis, literis, artibus, industriae, libertati et publicis commodis et negotiis quam maxime et munifice favet, nos, inquam, doctrinae et populorum utilitati servire, et famam quaerere omittemus?

Non equidem ego, cui fatum patriam bonarum artium parentem et literarum, consilium vero, industriae procreatricem dedit, quae non aliter ac mater studiosa natum bello reversum amplectitur, me rerum actum angustiis, humaniter et blande recepit; cujus ingentis beneficii nec memoria nec studium unquam remunerationis ex animo meo discedet.

Ipsemet ego anglicum oratorem suis audivi dicentem; « cum nos tot in artibus progressus, nulla elementorum ope habuerimus, quid tum, si haec elementa nempe opificum ingenio et dexteritati superaddimus? » Nunc ego Belgis: si praeter vos in artibus Britanni excelluere tempore quo servili adhuc imitatione, et citius natura quam judicio illae exercebantur, heu quam longe jamjam vos antecedent, nisi opificum doctrinae celeriter consulatis qui aequo pede ac Britanni, Anglo-Americani, et Galli progrediantur.

Laetandum jure eo quod justitiae et pietatis vocem audiverint optimi viri quibus res humanae, scientiae atque artes sapientissime reguntur: laetandum eo quod virtutis simulatoribus philosophiam exilio, tanquam Religioni perniciosam, adficere nefas sit; dum scientiam legum quae universum orbem moderantur contra superstitionem atque intolerantiam nobis valde auxiliari, inter omnes perspicuum est. Laetandum denique eo quod nihil habeat Religio unde

2*

metuat a doctrinis quas hominum ingenium e materiae animaeque studio educere queat : imo etiam quo magis doctrina difunditur, eo rerum Auctor cognoscitur magis, et minus hinc populi decipiuntur.

Nullum amplius dubium quin in posterum, de illis quae supra exposuimus, plebs apud nos edoceatur; hoc enim necessitate indictum, hoc gentium consilio statutum : quaestio autem est utrum pars plebis, an omnis plebs, utrum de paucis, an de omnibus quae rerum status postulat, et quomodo edoceatur. Verum facilius ad propositum perveniemus, ubi schola Normalis aderit, in qua praecepta Chymiae, Scientiae Mechanicae artibus adplicatae, Graphidis geometrici et architectonici tradentur; ubi omnis generis exemplaria, machinarum et instrumentorum quibus utuntur artifices, in unum conferentur; ubi bibliotheca quae ad industrias pertinet habebitur; tandem ubi omnes artium studiosi in eundem locum convenient, ex quibus eligentur praeceptores qui doctrinas et philosophiae imperium late propagandum suscipient.

Ex his futurum gloriae perpetuum monumentum, futuraque facilis et certa ratio qua ubique industria et nobilis effervescat aemulatio. Hinc autem notitias omnes, quibus egent artes et opificia, nos nullo negotio habituros, easque in quascumque partes regni celeriter transmissuros arbitror.

Si nunc vero quae et quanta pro patria et rege publicae rei atque industriae *Moderator* amplissimus adhibeat (1) ex-

(1) Clar. Eques. *Van Ewyck.*

pendatur; si quantum scientiis, literis atque artibus consulat studiorum *Inspector Generalis* (1) animadvertatur; si praeprimis ad doctrinam eximiasque virtutes hujus Academiae Curatorum Illustrissimorum attendatur; si denique de effectibus incitamenti ad cupiditatem discendi, quod Professores quarumvis disciplinarum in hac Academia, Viri Doctissimi, in animo studiosorum ita feliciter huc usque defigere valuerunt, aliquid inferre liceat quoad opifices generatim sumptos; non timeo quin cum anglico oratore (2) dicam. « Tempus adesse quo artifices, magno conatu, omnia scientiae commoda et emolumenta sibi conciliari queant: nunquam adeo favit occasio, dum plebs serviat atque incitamenta superiorum sequatur. Qui jam scientiis ornantur nullo hortatu egent. Verum enim vero opifex haud agramatus *Franklinii* biographiam emat, ubi ex opifice librario sapientissimum philosophum virumque rerum et temporum callidissimum inveniet. Quisque artificum *Franklinius* fieri nequit; nemo vero nisi expertus, quantum assurgere atque ad egregium hoc exemplnm accedere possit notum et perspectum habebit. »

Quae cum ita sint, Vos etiam atque etiam rogo atque obsecro, Curatores Nobilissimi, ut me vestro munere, hinc vero Augustissimi Regis gratia, in hoc virorum clarissimorum concilio nuper susceptum, sapientiae patrocinio sustineatis. Vitae brevis equidem citius cursum explebo quam,

(1) Clar. Eques. *Walter*.
(2) Clar. *Brougham*.

deleat oblivio beneficii vestri magnitudinem. Quapropter vobis, ut velim, gratias agere nequeo, magnis etenim animi motibus ora silent.

Vos modo, quorum egeo consiliis et doctrina, quos habeo et comites et duces, vos deprecor, inquam, Professores Sapientissimi, decus et hujusce Musarum sedis praesidium, ut in hoc vitae genere quid satius agendum admoneatis, meque tanto onere gravatum officiis atque benevolentia sublevetis. Vestra in hoc virtutis itinere vestigia sequar, ut quae professus sum aequis viribus absolvam.

Ad vos denique dulce mihi et suave est vocem animumque convertere, Juvenes Studiosissimi, civium delecta manus, in quibus patriae spes plurima, Regis amor optimi, et gloria regni praecipue sita est. Vobiscum erit mihi maxima consuetudo, labor atque studium; eaque vobis tradere conabor quae vos propere quo tenditis adducant. Mihi dicenti linguis tantummodo animisque indulgeatis, quaeso, ut quae mirifice jampridem suscepistis ea me ductore peficiatis.

DIXI.

XII.

XAV. CAR. EUG. LELIÈVRE

COMMENTATIO ANTIQUARIA.

XAVERII CAROLI EUGENII LELIÈVRE

NAMURCENSIS

IN ACADEMIA LOVANIENSI NUPER JURIS ROMANI ET HODIERNI DOCTORIS

COMMENTATIO ANTIQUARIA

DE LEGUM XII TABULARUM PATRIA

QUAE EX SENTENTIA ORDINIS PHILOS. ET LITERATOR.

EJUSDEM ACADEMIAE

PRAEMIUM REPORTAVIT D. XVII A. KAL. NOVEMBRES

MDCCCXXVI.

Historia data est, neque pendet ab Historico.

DUMBECK.

PROOEMIUM.

Cum amplissimus Ordo Philosophorum et Literatorum hujus Academiae quaestionem proposuisset: An traditio, leges XII tabularum ab Atheniensibus fuisse petitas, veritate nitatur, nec ne? in ea re periculum virium mearum facere eo libentius constitui; quo majoris momenti ipsa quaestio mihi esse visa est, quae, uti est pulcerrima, ita plurimum mihi arridebat, atque ut de ea re commentationem conscriberem vehementer impellebat.

Verum cum examen, pro adipiscendo gradu Doctoris subeundum, totum me occupatum teneret; interea plures mihi menses ab inde publicato Certaminis Programmate elabebantur: quam rem, ne dicam de Dissertatione pro capessendis Doctoris Juris Romani et Hodierni Honoribus scribenda et publice defendenda, aegerrime tuli. Haec igitur causa una fuit, cui, quae vestra est voluntas, velim tribuatis menda et vitia, quae in Commentatione inesse mi-

nime dubito : altera enim causa quaerenda est in virium mearum tenuitate, quod impedimentum constantissimá etiam laboris industria totum vincere nequibat.

Nec tamen exiguum mihi attulit solatium haec scriptio, qua id mihi contingere sensi, ut, antequam ex hac Academia discederem, clarissimis Ordinis Philosophorum et Literatorum Doctoribus, quibus nihil magis placere constat indefesso discipulorum studio, in elegantioribus artibus collocato, nisi referrem, haberem tamen gratias maximas pro singulari benivolentia, qua interrogantem me excipere solebant et discendi cupidum, concessis liberalissime subsidiis datisque consiliis, informabant. Licet enim jam totum me Juris studiis dedissem, tamen continuo optimi viri concesserunt mihi, ut iteratis vicibus in suas scholas ventitarem ab iisque erudirer. Tu vero, Illustrissime DUMBECKI, cujus beneficia, in me unum collata, verbis narrare nequeo, benigno accipe animo, cum te, extra ordinem, sigillatim compello. Accipe a discipulo, quod penitus tuum est, hoc qualecunque opusculum, nisi eruditionis, certe gratissimi erga te animi mei testimonium.

Ut vero, uno oculorum obtutu, judicare possitis, quid sit in opere pretii; posita Quaestione deinceps Argumentum et Distributionem Commentationis per Capita et Paragraphos describendum esse mihi visum est.

QUAESTIO.

Dijudicetur nobilis illa Romanorum traditio, leges XII Tabularum ab Atheniensibus esse petitas; ita quidem ut et veterum ea de re testimoniis examinatis et indole potissimum ipsarum legum explorata statuatur, utrum quae illarum cum Atticis ac Doricis maxime legibus similitudo reperiatur, ex Romanorum illius aetatis ingenio ac moribus queat explicari, an peregrinae earum origini sit tribuenda.

ARGUMENTUM COMMENTATIONIS.

CAPUT I.

§ I. Exponuntur ea, quae ab auctoribus veteribus et recentioribus de traditione illa relata sunt.

§ II. Livio, Dionysio Halicarnassensi caeterisque scriptoribus leges XII Tabularum ab Atheniensibus fuisse repetitas, narrantibus, non est fidendum; sed rei veritas ex ipsarum Legum Atticarum et Romanarum natura, ex temporum indole ingenioque Romanorum eruenda est.

CAPUT II.

§ III. Traditioni nulla fides est adhibenda; tum quoniam auctores veteres, qui de ea loquuntur, nullo modo inter se consentiunt, tum quia Leges XII Tabul. Pericleis institutis, tunc temporis apud Athenienses vigentibus, omnino adversantur.

§ IV. Leges ipsae Solonis a XII Tabularum legislatione toto coelo differunt, et praeterea traditio ipsamet sibimet obloquitur.

§ V. Status Athenarum illius temporis Romanorum moribus tempore Decemvirorum vehementer repugnat.

§ VI. Indoles juris, in XII Tabulis constituti, a jure Attico prorsus differt.

§ VII. Omnes leges Solonis, quae cum Romano ingenio aliqua ratione congruere poterint, Romae etiam ante XII Tab. viguerunt, unde nulla erat necessitas, eas apud Athenienses quaerendi : leges vero reliquae a voluntate Patritiorum abhorrebant.

§ VIII. Decemviri leges ad sacra pertinentes, aut in aequitate naturali innixas, ex Atticis institutis non desumserunt. Objectiones, de ea re a clarissimo CIAMPI prolatae, refutantur : praeterea ex religionis utriusque populi diversitate argumentum ducitur.

CAPUT III.

An leges XII Tabul. a Spartanis fuerint petitae, disquiritur.

§ IX. Exponuntur de ea re variorum auctorum veterum et recentiorum sententiae, cum argumentis, quibus illi utuntur.

§ X. Refutatur sententia eorum, qui Decemviros a Spartanis leges petiisse dicunt. Demonstratur, Laconica instituta Romae sponte sua nata fuisse atque Romae jam ante XII Tabulas usitata. Insuper variae rationes proponuntur, cur fieri non potuisset, ut Romani Spartanorum leges petiverint; qua data opportunitate similitudo institutorum utriusque populi ex ingenio Romanorum explicatur.

§ XI. Exponitur, quid veri contineatur in traditione, de qua in hac Commentatione sermo est; in probationem vocatur sententia clariss. GRATAMÆ.

CAPUT IV.

§ XII. Traditio vetus impugnatur variis argumentis; quae ducuntur ex plurimis auctorum classicorum locis, e Ciceronis testimonio, ex hujus auctoris Graecorumque XII Tabul. aequalium silentio.

§ XIII. Sermo Romanorum a Graecorum legibus abhorret; forma dicendi in XII Tabulis usitata, cum Atheniensium moribus et dictionis genere nulla ratione cohaeret; ex diverso sermone, quo Romani et Graeci utebantur, atque ex diversa utriusque populi indole nonnulla argumenta ducuntur, quibus traditionem fictitiam esse demonstratur.

§ XIV. Refutatur sententia eorum, qui, ad defendendam traditionem, contendunt: Romanos necessitate fuisse adactos, ut peregrinas leges peterent, quoniam ipsi illo tempore fuissent incultissimi.

§ XV. Ex magno Romam inter et Athenas locorum intervallo argumentum novum ducitur.

§ XVI. Traditio repugnat indoli Romanorum, qui peregrinos omnino et ipsos adeo Graecos tanquam hostes et barbaros considerabant.

§ XVII. Traditio, totius historiae antiquae ingenio adversatur.

§ XVIII. Eadem impugnatur ex ratione cultus generis humani in Regno Historico Graeco atque Romano.

§ XIX. Romani, etiamsi voluissent, ne potuerunt quidem leges peregrinas assumere; quoniam ea re, populari proprietate sua amissa, omnibus praeceptis prudentiae politicae valedixissent.

§ XX. Nec Plebeji neque Patricii volebant leges peregrinas, sed consilium scribendarum XII Tabularum id tantum habuere propositum, ut cognitio legum, quae antea, in Romana civitate, viguerant, non penes solos Patricios esset, verum plebejis quoque innotesceret.

§ XXI. Nulla erat necessitas Leges Atticas Romam asportandi, quoniam jam praesto fuere quaevis elementa, ad leges scribendas necessaria; quae sententia variis argumentis probatur.

§ XXII. Leges Regiae Moresque Patrii in XII Tabulas migrarunt: unde probatur, Romanos nihil a Graecis accepisse. Quod argumentum confirmatur ipsorummet veterum auctorum, qui de traditione loquuntur, dissensione.

CAPUT V.

Ex comparatione legum XII Tabularum, ad jus publicum, sacrum et privatum pertinentium, cum Atticis legibus ejusdem argumenti institutâ efficitur, nihil omnino e jure Graeco Romanos desumsisse: qua opportunitate ratio similitudinis legum Atticarum et Romanarum explicatur.

§ XXIII. *De jure publico.* Examinatur lex : quod postremum populus jussit, id jus ratum esto.

§ XXIV. De lege : de capite civis nisi per maximum comitiatum ne ferunto.

§ XXV. De quaestionibus parricidii.

§ XXVI. De prohibitione connubiorum inter Patres et Plebem.

§ XXVII. De nexo solutis, fortibus Sanatibus.

§ XXVIII. De privilegiis non irrogandis.

§ XXIX. De poena judicis, qui se corrumpi passus sit.

§ XXX. De perduellione.

§ XXXI. De coetibus nocturnis et poena in eorum auctores.

§ XXXII. De parricidio.

§ XXXIII. De homicidio, veneficio et incantationibus.

§ XXXIV. De patrono, qui clienti fraudem fecerit.

§ XXXV. De tutore non ex fide gerente.

§ XXXVI. De injuriis verbalibus.

§ XXXVII. De poena illius, qui membrum alteri ruperit.

§ XXXVIII. De falsibus testibus.

§ XXXIX. De testibus testimonium dicere renuentibus.

§ XL. De furto frugum aratro quaesitarum.

§ XLI. De frugum incantatione.

§ XLII. De incendio.

§ XLIII. De damno dato.

§ XLIV. De damno dato a quadrupede.

§ XLV. De damno dato a servo.

§ XLVI. De poena furti manifesti et nec manifesti.

§ XLVII. De furto, lance licioque concepto.

§ XLVIII. De jure furem nocturnum et diurnum occidendi.

§ XLIX. De caesis arboribus alienis.

§ L. De lege, qua cavetur, non dari furti actionem, si fur cum domino pactus fuerit.

§ LI. De uxorum delictis et potestate mariti, de iisdem statuendi; de adulterio uxoris cet.

CAPUT VI.

De jure sacro.

§ LII. De juris jurandi religione.

§ LIII. De mortuo intra urbem non inferendo.

§ LIV. De lege: rogum ascia ne polito.

§ LV. De tribus riciniis et decem tibicinibus in funere solummodo adhibendis.

§ LVI. De lege, ne mulieris genas radunto, neve lessum funeris ergo habento.

§ LVII. De lege: homini mortuo ossa ne legito quo post funus faciat extra quam si belli endove hostico mortuus escit.

§ LVIII. De lege: servilis unctura omnisque circumpotatio auferitor.

§ LIX. De lege, qua cavetur, ne murrata potione rogus respergatur et ne longae coronae neve acerrae praeferantur.

§ LX. De lege, in qua exceptio huic regulae statuitur, in favorem eorum, qui virtute coronam meruerint.

§ LXI. De pluribus funeribus non faciendis.

§ LXII. De auro a funeribus removendo.

§ LXIII. De spatio, quod inter rogum aut sepulcrum et aedes alienas relinquendum sit.

CAPUT VII.

De jure privato.

§ LXIV. De patria potestate et juribus, quae cum ea conjunguntur.

§ LXV. De infante monstroso necando.

§ LXVI. De liberis posthumis legitimis.

§ LXVII. De lege : ambitus parietis sestertius pes esto.

§ LXVIII. De collegiis et corporibus.

§ LXIX. De finium ratione; sive de spatio in plantandis arboribus foveisque fodiendis servando.

§ LXX. De arbitris dandis ad controversiam de finibus ortam, dirimendam.

§ LXXI. De ratione, qua arbor in vicini fundum impendere possit.

§ LXXII. De glande legenda.

§ LXXIII. De aqua pluviae arcenda.

§ LXXIV. De latitudine viae.

§ LXXV. De officio dominorum fundorum, qui prope viam publicam siti sunt.

§ LXXVI. De jure patrisfamilias testandi et testamento liberis tutorem dandi.

§ LXXVII. De successione legitima.

§ LXXVIII. De successione patroni in bona liberti.

§ LXXIX. De legitima agnatorum tutela.

§ LXXX. De furiosorum et prodigorum curatela.

§ LXXXI. De ratione, qua debita et credita defuncti inter heredes sint dividenda.

§ LXXXII. De dominio ex-jure Quiritium.

§ LXXXIII. De statu libero.

§ LXXXIV. De pretio rei solvendo antequam in emtorem dominium transferatur.

§ LXXXV. De usucapione rerum mobilium et immobilium; de rebus, quae usucapi non possunt, et de perpetua mulierum tutela.

§ LXXXVI. De matrimonio per usum.

§ LXXXVII. De vindiciis dandis secundum possessorem et in causa liberali secundum libertatem.

§ LXXXVIII. De fructibus restituendis a malae fidei possessore.

§ LXXXIX. De poena ejus, qui rem litigiosam in sacrum dedicat.

§ XC. De tigno alieno juncto aedibus suis.

§ XCI. De divortio.

§ XCII. De doloso depositario.

§ XCIII. De usurarum modo restringendo et poena foeneratorum.

§ XCIV. De juribus creditorum in debitores obaeratos.

§ XCV. De in jus vocatione et antestatione.

§ XCVI. De dimittendo reo, si quis ejus personam defendere velit, aut in via fuerit transactum.

§ XCVII. De eo, qui a judicio abest, et de tempore, quo judicia sint habenda.

§ XCVIII. De vadibus et judiciis differendis.

§ XCIX. De eo, qui caret probationibus ad jus suum probandum.

§ C. De aliis differentiis inter leges Solonis et Duodecim Tabularum.

§ CI. Leges XII Tabularum ex consuetudinibus et moribus Romanorum ortas esse, neque vero ex Graecorum legibus translatas, variis argumentis probatur, et praecipue similitudo legum Atticarum et Romanarum explicatur.

CAPUT VIII.

§ CII. Eadem sententia veterum testimonio confirmatur.

§ CIII. Omnes leges, quae, ad statum privatum et publicum pertinentes, in XII Tabulis sancitae sunt, jam antea Romae vigebant, et earum severitas cum humanioribus Solonis legibus nullo pacto quadrare potest.

§ CIV. Refellitur objectio, a clarissimo GRATAMA proposita et ex epistola Heracliti ad Hermodorum traducta.

§ CV. Judicium de XII Tabulis a veteribus auctoribus prolatum in probationem vocatur, et quae de ea re ipsi sentiamus exponuntur.

CAPUT PRIMUM.

§ I. Leges XII Tabularum, quae ab antiquis scriptoribus tantis laudibus efferuntur, ut alii eas fontem universi publici privatique juris appellent (1), Cicero (2) easdem omnibus omnium philosophorum bibliothecis anteponat; quas Dionysius Halicarnassensis (3) admiratur ut νόμους μάλιστα σεμνούς, — ex sententia antiquorum rerum Romanarum scriptorum ab Atheniensibus repetitae fuisse dicuntur. Antequam in hujus traditionis veritatem inquiramus, de ea, sicut vulgo referri solet, paucis exponemus.

Regibus igitur exactis, jus maxime incertum esse coepit. Roma enim carebat legibus scriptis et judicia ferebantur ex consuetudinibus tantum viva voce a patribus ad filios traditis, quarum cognitio penes solos Patritios erat : unde

(1) Livius III. 34.

(2) De Orat. I. 44.

(3) Antiqq. Rom. XI. p. 725. Struvius Syntagma jur. prud. Lib. I. Tit. II. Exerc. I. T. 63. Vol. I. pag. 47, in not.

sequebatur, ut illi in rebus omnibus primas tenerent, auctoritate pollerent et opibus; inprimis propterea, quod jus illud Quiritium nunquam innotescebat Plebejis; qui igitur, ex arbitrio Patritiorum omnino suspensi, absque ratione et ratiocinio obtemperare debebant. Tandem post diuturnas Patritiorum Plebisque altercationes, cum undique desiderarentur *scriptae* leges, quam rem iterato Tribuni urgebant (1), leges populo Romano *scribendas* esse placuit (Bouchaud Comment. sur la loi des XII Tab. Tom. I. p. 6 sqq.). Traditio autem vetusta haec est : Romanos, posteaquam Populiscito et SCto fuisset decretum, ut scriptae leges fierent, propterea circumspexisse, si quas apud peregrinos populos invenirent optimas, quae reipublicae Romanae accommodari possent : eos vero conjecisse oculos in Graecorum legislationes, praesertim Atheniensium, et ideo misisse Athenas et in alias Graeciae civitates Legatos tres, qui inclytas leges Solonis describerent et instituta peterent a Graecis civitatibus, inprimis tamen ab Atheniensibus ; quoniam illo tempore Periclis, rempublicam gerentis, maxime in ea civitate floruerint leges : rediisse itaque legatos cum legibus Atticis, atque cum Tribuni instarent, ut tandem scribendarum le-

(1) De ea re jam a. u. c. 292 legem rogaverat C. Terentillus Arsa, qua hic Tribunus postulabat, ut Quinqueviri crearentur legibus de imperio Consulari scribendis, quod populus in se jus dederit, eo consulem usurum, non ipsos libidinem ac licentiam suam pro lege habituros. Quae tamen res a Patritiis in irritum versa est. — Vide : Boulage, Conclusion sur les lois des XII tables. Paris 1822, pag. 15 sq. — Beaufort, Republ. Rom. liv. II. ch. 12. p. 406 et liv. V. ch. 1. p. 3. — Livius III. 9. — Dionys. Halic. X. 1, p. 629. — Bonamy Diss. sur l'origine des lois des douze tables (Mémoires de l'Académie des Inscriptions Tom. XII. p. 38 et 40.)

gum initium fieret, creatos fuisse Decemviros, qui conderent nova jura ex legibus peregrinis. Post nonnullas altercationes sancitas fuisse leges Duodecim Tabularum ex Graecorum jure desumtas; in legibus vero condendis adfuisse Hermodorum quemdam Ephesium, in Italia exulantem, cui postea Romae statua posita esset (1). Haec sunt, quae de ea re narrantur. Jam vero scriptores, qui traditionem exposuerunt, ipsosmet audiamus. Livius (III. 31) haec narrat : « Cum de legibus conveniret, de latore tantum discreparet, missi legati Athenas, Sp. Posthumius Albus, A. Manlius, P. Sulpitius Camerinus, jussique inclytas leges Solonis describere et aliarum Graeciae civitatum instituta, mores juraque noscere.... Jam redierant legati cum Atticis legibus; eo intentius instabant Tribuni, ut tandem scribendarum legum initium fieret.... Decem viri creati sunt, his proximi Legati tres habiti, qui Athenas ierant; simul ut pro legatione tam longinqua praemio esset honos : simul peritos *legum peregrinarum* ad condenda nova jura usui fore credebant ». Haec ille. Eamdem rem refert Dionysius (X. p. 676), apud quem perorat Romilius : « Censeo legatos mittendos partim ad Graecas urbes, quae sunt in Italia, partim Athenas, qui petant a Graecis leges optimas et instituto nostro convenientissimas ». Revera autem missos fuisse Legatos eosque rediisse leges afferentes Athenis et a Graecis Italiae civitatibus, legitur apud eumdem auctorem

(1) BOUCHAUD Vol. I. pag. 9. — BONAMY, Op. laud. pag. 40, 41. — DUPIN, Précis de l'Hist. du droit Romain pag. 17. — ROSINI Antiqq. Romanae VII. 30. — SEGUR, Histoire universelle ancienne et moderne. Bruxelles 1822. Tom. VII. pag. 161.

(p. 676, 678, 680); qui tamen ipse (p. 681) observant: leges XII Tab. *tum ex Graecorum legibus, tum ex Romanorum moribus* non scriptis fuisse compilatas. Legatio ipsa, si quidem hisce auctoribus fides habenda sit, cadit in annum circiter CCC U. C., quo tempore Pericles Athenis florebat (1). In eandem sententiam discedere videtur A. Gellius (De Noct. Att. XX. 1.) cum XII Tabulas *inquisitis exploratisque multarum urbium legibus* eleganti atque absoluta brevitate verborum scriptas testatur. Tacitus quoque (Ann. III. 27) a Decemviris, *quae usquam egregia, accita* esse, docet. Quibus jam addamus Pomponium JCtum (in lege 2 § 4. Dig. de origine juris), qui traditionem his verbis reddit : « Placuit publica auctoritate decem constitui viros, per quos peterentur leges a Graecis civitatibus et Civitas fundaretur legibus........, quarum ferendarum auctorem fuisse Decemviris Hermodorum *quemdam* Ephesium, exulantem in Italia, *quidam* retulerunt (2) ».

Porro Gajus (in lege 13 Dig. finium regundorum) cum illis consentire videtur. Refert enim haec : « Sciendum est in actione finium regundorum illud observandum esse, quod ad *exemplum quodam modo ejus legis scriptum est, quam Athenis Solon dicitur tulisse* : nam illic ita est ἐάν τις αἱμασίαν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύγῃ cet. » i. e. « Si quis sepem ad alienum praedium fixerit infoderitque, terminum ne excedito:

(1) DUMBECKII Tabulae Ethnograph. Period. Synchr. Berolini et Lovanii 1820 pag. 11. Col. a. et f. — GRUNDLER Handbuch der Roemischen Rechtsgeschichte. Bamberg 1821 pag. 137.

(2) Cfr. etiam STRABO XIV, pag. 951.

si maceriam, pedem relinquito. Si vero domum, pedes duos: si sepulcrum aut scrobem foderis, quantum profunditatis habuerint, tantum spatii relinquito, si puteum, passus latitudinem; at vero oleam aut ficum, ab alieno ad novem pedes plantato, caeteras arbores ad pedes quinque ».

Idem JCtus, qui scripsit Commentarium ad legem Duodecim Tabularum, Romanos a Graecis *quasdam* leges accepisse iterum adfirmat (in lege ult. Dig. de coll. et corpor.), ubi haec prostant: « Sodales sunt, qui sunt ejusdem collegii: quam Graeci ἑταιρίαν vocant: his autem potestatem facit lex, pactionem, quam velint sibi ferre, dumne quid ex publica lege corrumpant... sed haec lex *videtur* ex lege Solonis fuisse translata: nam illuc ita est: ἐὰν δὲ δῆμος ἢ φράτορες » κ. τ. λ., i. e. « Si autem plebes vel fratres vel sacrorum sacramentales vel nautae vel confrumentales vel qui in eodem sepulcro sepeliuntur vel sodales, qui et multum simul habitantes, sunt ad negotiationem aut quid aliud: quidquid hi disponent ad invicem, firmum sit, nisi hoc publicae leges prohibuerint.

Ipse Justinianus Caesar (in § 10 Inst. De Jure Natur. Gent. et Civil.) ait: « Non ineleganter jus civile in duas partes distributum esse videtur, nam origo ejus ab institutis duarum Civitatum, Athenarum scilicet et Lacedaemoniorum fluxisse *videtur*. Cicero (De Legg. II. 23) ea, quae legibus XII Tabul. continentur de funeribus, translata esse *fere* de Solonis legibus opinatur; quod, ait, praesertim affirmat auctor de lege: *hoc plus ne facito*, *Rogum ascia ne polito*. In eodem libro (cap. 25.) Tullius noster haec quoque profert:

« Postquam, ut scribit Phalereus, sumtuosa fieri funera et lamentabilia coepissent, Solonis lege sublata sunt; quam legem, eisdem prope verbis, nostri Decemviri in decimam tabularum conjecerunt : nam *De tribus Riciniis* et *pleraque* alia Solonis sunt (1) ».

Plinius (2) scribit : « habe ante oculos, hanc esse terram, quae nobis miserit jura, quae leges non victis, sed petentibus dederit; Athenas esse, quas adeas, Lacedaemonem esse, quam petas ».

Dio Cassius vero (XLIV. 252) haec de urbe Athenarum : *παρ' ἧς οὐδ' οἱ πατέρες ἡμῶν ἐπαγαγέσθαι τινὰς νόμους ἀπηξίωσαν.* Porro Orosius (L. XI. c. 13) « ipso, ait, trecentesimo anno potestas Consulum Decemviris tradita, *Atticarum* legum constituendarum gratia ». Antea jam dixerat : legati ad Athenienses propter Solonis leges deferendas missi exspectantur (3) ». Cui adde Florum (I. 24), apud quem leguntur haec : « Allatas e Graecia leges decem principes lecti, jubente populo, conscripserant, ordinataque erat in Duodecim Tabulis tota Justitia ». Si quis desiderat praeterea Aurelii Victoris (De Viris illustribus U. R. c. 21 scribentis) sententiam, non invidemus. « Populus Romanus, scribit, Decemviros legibus scribendis creavit, qui *eas ex libris Solonis tralatas XII Tabulis exposuerunt* ». Cui adde Zonaram (T. II. p. 27), qui haec eadem ex aliis repetit : « Romani, omissis mutuis criminationibus, rempublicam aequabiliorem efficere decre-

(1) Vid. etiam Cic. pro Flacc. 26.

(2) Epist. VIII. 24.

(3) BONAMY p. 42. — GOTHOFREDI Opera omnia Lugd. Bat. 1733 p. 62.

verunt ac tres viros in Graeciam ad illius leges et instituta cognoscenda ablegarunt ». Quam eandem sententiam amplectitur M. Porcius Latro (in Declam. contra Catilinam cap. 19.) : « Majores olim nostri sapientissimi homines et sine dubio gravissimi, num leges e Graecia per legatos suos, accersendas esse putarunt, quibus hanc imperii magnitudinem perpetuo stabilirent, ut tu homo recens severitate illarum cum barbatulis tuis abuteris ? » Ab Aegyptiis adeo repetit easdem Ammiani Marcellini doctrina (XXII. cap. ult.), apud quem haec prostant : « Solon, sententiis adjutus Aegypti sacerdotum, latis justo moderamine legibus, Romano quoque juri *maximum* addidit firmamentum ». Atque ut nihil plane in Romanis proprium habeas, Symmachus (III. Epistolâ II.) unde quamvis rem quasi stipem quaesiverint, adcuratius tibi exponit : « Arma a Samnitibus, Insignia a Tuscis, *leges de lare Lycurgi et Solonis* sumseramus ». Pepercit tamen lectoribus eatenus, ut non *singulas* leges recenseret, quas a *Lycurgo*, quas a *Solone* mendicati sint. Isidorus (Origg. L. V. cap. 1.) : « cum populus seditiosos Magistratus ferre non posset, Decemviros legibus scribendis creavit, qui leges ex libris Solonis in Latinum sermonem translatas duodecim tabulis exposuerunt »; in cujus fere sententiam discedit Augustinus (De Civ. Dei L. II. cap. 16) haec perhibens : « Si autem a diis suis Romani vivendi leges accipere potuissent, non aliquot annos post conditam Romam ab *Atheniensibus mutuarentur leges Solonis*, quas tamen non ut acceperunt tenuerunt, sed meliores et emendatiores facere conati sunt ». Persuasit igitur vir sanctus sibi, ut crederet, *Graecos* a *suis Diis* obtinere potuisse leges, *Romanos* nequivisse; attamen

ex ejus opinione, iidem Dei Romanos fecerunt *sapientiores*, quam Graecos, quorum illi opus *emendaverint!* Eusebius denique sive Hieronymus in Chronico haec narrat : « Romani per legatos ab Atheniensibus jura petiverunt, ex quibus duodecim tabulae conscriptae » (1).

Quibus veterum Auctorum sententiis ducti recentiores traditioni fidem adhibentes, communi fere sententia reapse Romanos leges Duodecim Tabularum a Graecis accepisse crediderunt. Sic Heinneccius (Antiq. Rom. Jurisprudent. in Prooemio § 3) docet : Decemviros, legum ferendarum causa creatos, e moribus antiquis et jure, quod legati attulissent, peregrino praecipueque Attico, Duodecim Tabulas compilasse. Cui non dissentit Valentinus Forsterus (2), ita scribens : « Patres in legibus ferendis, non in latore, assenserunt; unde nequis esset invidiae locus, leges extraneas Athenas, qui Solonis leges describerent et aliarum Graeciae civitatum instituta, mores juraque cognoscerent, creatique sunt Decemviri. Hi allatas leges Graecas Decem Tabulis descriptas publice proposuerunt. . . . Postquam rediissent legati cum legibus Atticis; Centuriatis Comitiis Decem Tabularum leges perlatae sunt : deinde cum aliquid legibus Graecis deesset, duas adjecerunt ». Quibus adde Zachariam Huberum (3), qui « legum, ait, Solonis auctoritate famaque factum est, ut cum Romani accitis, quae usquam egre-

(1) CASSIODOR. in Chronico. Vid. etiam SERVIUS ad Virg. Aen. VII. v. 695.

(2) Hist. Jur. Civ. Rom. pag. 44.

(3) De leg. Solonis cap. 1. n° 2. in Dissert. Jur. et Philolog. Franequerae 1702 Vol. I. pag. 266.

gia, inprimis leges peterent a Graecis civitatibus, multa ex institutis Solonis transferrent in corpus suarum legum; quas Decemviri in Duodecim Tabulis composuerunt, quibusque seu fonte universi juris tota a Romanis ordinata fuit justitia ». Pariter Bynkershoeckius (1) varias leges de furto, quae in Duodecim Tabulis continebantur, ex jure Graeco fuisse desumtas, his verbis contendit : « Illam dupli poenam, quam Athenis Solon, auctore Gellio, quibuscumque furtis decreverat, Decemviri in solis nec manifestis receperunt. Ex jure Graeco igitur translata fuit ».

Ipse summus ille Bachius (2) verbo tenus sententiam Livii amplectens, scribit : « Tres legati in omnem Graeciam missi sunt, jussi inclytas leges Solonis describere et aliarum Graeciae civitatum instituta moresque noscere ». Sed alio in loco (pag. 22 et 28) asserit : Decemviros ex jure Graeco *patrüsque moribus* Duodecim Tabulas desumsisse, interprete Ephesino exule Hermodoro. Neque aliam viam inivit Struvius (3), qui « anno urbis CCC, ait, publica auctoritate decem nominati viri, per quos peterentur leges a Graecis civitatibus et civitas fundaretur legibus; ex quibus tres, caeteris interim in aliarum gentium SCita, leges regias jam antiquatas, patriosque mores inquirentibus, missi sunt Athenas, ut jura noscerent Graecorum ». De eadem traditione quaedam obiter tetigit doctissimus Croppius (4), cujus haec

(1) Observ. Jur. Rom. Lib. III. cap. 16. Vol. I. pag. 285 et 287.
(2) Hist. Jurisprud. Rom. Lipsiae 1807, pag. 25.
(3) L. l. ad Pand. Lib. I. tit. 2. Exerc. I. Th. LXIII. V. I. p. 46.
(4) De praeceptis Jur. Rom. circa conatum delinquendi. Heidelbergae 1813. Part. II. pag. 135.

sententia est : « Sicut in multis aliis juris locis, ita et circa furta Romani leges sanctionesque a Graecis petiisse dicuntur ». Recentissimis tandem temporibus denuo Ciampi V. Cl. (1) legum Duodecim Tabularum originem a Graecis esse repetendam et earum cum Soloneis legibus nexum demonstrare conatus est. Cujus doctrina sic exponitur (2) : « Mr. Ciampi rétablit le respect dû à l'autorité de Tite-Live, accompagnée cette fois du témoignage de Denis d'Halicarnasse. Si les monumens Grecs ne font pas mention de l'ambassade des Romains, c'est qu'à l'époque, où elle eut lieu, la célébrité de ce peuple n'avait pas encore franchi les limites de son territoire, lorsque cette célébrité se fut étendue, Denis d'Halicarnasse réclama pour sa nation l'honneur d'avoir transmis des lois aux Romains. D'ailleurs devons nous nous flatter de connaître tous les monumens Grecs ?

Les difficultés de navigation avaient été bravées plus d'une fois avant l'époque dont s'agit, Mr. Ciampi en cite des exemples. Mais poursuit-on, de quelle idiôme ont fait usage les Romains alors à demi barbares pour communiquer avec les Athéniens ? Ont elles été transmises par les gestes ? non. Les Romains n'étaient pas à demi barbares au commencement du quatrième siècle de leur ère, et il invoque à cet égard le témoignage de leurs auteurs. La langue des Grecs était loin de de leur être inconnue; des voyageurs, des fu-

(1) Novum examen loci Liviani de legatis Romanorum Athenas missis, ut exscriberent leges Solonis. Wilnae 1821.

(2) In : Revue encyclopédique du mois de Juillet 1821 pag. 136 sqq.

gitifs proscrits ne la leur avaient-ils pas apportée? Il y a plus, Pline l'ancien, Strabon, Diogène font mention du nommé Hermodore à qui une statue fut élevée précisement en récompense de ce qu'il avait servi d'interprête aux décemvirs pour la promulgation des lois de Solon ».

Auctor autem ille sententiam suam tam intemperate et immaniter defendit, ut dissentientes nominare non erubescat « des zoiles des anciens », « des hommes en délire (1) ». Nos vero probabimus, ejus argumenta ab homine sanae mentis non posse probari, ipsum per omne opus suum dormitare; licet ejusdem sententiae adstipuletur Berriat S[t] Prix (2). Hic autem allegatis locis Dionysii Halicarnassensis et Livii, quem veritatis studiosissimum esse rite adfirmat, haec addit: « M[r]. Ciampi aurait pu encore citer deux autres assertions. On trouve la première dans la déclamation contre Catilina, attribuée à M. Porcius Latro, qui vivait au commencement de l'empire, et la deuxième dans un fragment du jurisconsulte Gajus, qui florissait au deuxième siècle, rapporté par Lydus écrivain du cinquième et sixième siècle. Terrasson, dans son histoire de la jurisprudence (page 24) indique aussi des auteurs anciens qui fournissent des témoignages indirects, tels que Aurelius Victor, S[t]. Augustin, Orose, Isidore de Séville. Longtems avant les décemvirs on avait envoyé en Grèce des ambassadeurs pour consulter l'oracle de Delphes; d'autre part il était facile à ceux, que nomme Tite-Live de s'adjoindre des habitans des villes grecques d'Italie qui

(1) Op. laud. pag. 3 et 17.
(2) Themis T. IV. pag. 304 seqq. et praecipue 307.

étaient voisines de Rome et qui avaient certainement des relations avec leur mère-patrie. Admettons que la langue grecque leur fut inconnue, ils purent comme dans la supposition ils avaient dû le faire lors des ambassades à Delphes, employer pour interprêtes les mêmes italogrecs ou quelqu'un de ces particuliers que nous voyons s'être réfugiés à Rome à diverses époques et parmi lesquels les auteurs nomment Demarate de Corinthe, père des Tarquins, Clephante, Hermodore. M[r]. Ciampi réfute les argumens de ses adversaires par l'indication de plusieurs décisions des douze tables semblables à des lois grecques et relatives aux cérémonies et dépenses des funérailles, aux jeux publics, aux sacrifices, aux rites religieux. D'un côté ces décisions ne peuvent être le résultat d'idées naturelles à tous les hommes, d'un autre, Cicéron leur attribue formellement une origine grecque ».

In eandem sententiam discedit Celeberrimus quoque Heerenius (1), cujus verba, in Gallicum sermonem tralata, haec sunt : « L'établissement de la loi des douze tables confirmait en partie les anciens usages et en partie les modifiait d'après les lois des républiques grecques parmi lesquelles on doit nommer Athènes où l'on envoya une députation pour en obtenir des conseils. Les doutes sur l'envoi d'une ambassade à Athènes ne suffissent point pour infirmer un fait raconté avec tant de circonstances. Athènes était alors sous Péricles à la tête de la Grèce, et du moment *qu'on*

(1) Manuel de l'hist. ancienne. Paris 1823, edit. Gall. pag. 346 et 347.

voulait consulter les lois grecques (?), on ne pouvait oublier Athènes. En effet, pourquoi une ville qui cinquante ans auparavant avait conclu un traité de commerce avec Carthage et ne pouvait être sans relation avec les colonies grecques de l'Italie inférieure, n'aurait-elle pas pu envoyer une ambassade dans la Grèce? » Cum utroque consentit Beaufortius (1), apud quem haec leguntur : « Les décemvirs firent entrer dans leur collection plusieurs des anciennes ordonnances des Rois et nous en trouverons encore quelques-unes dans les divers fragmens qui nous restent des douze tables entre les lois étrangères qu'ils crurent avoir adopter, celles de Solon, ce sage législateur d'Athènes, tinrent le premier rang comme le remarque Tite-Live; mais en général ils empruntèrent de toutes les républiques de la Grèce les lois qui leur parurent convenir le mieux à la constitution présente de la république ». Hoc loco a nobis impetrari non possumus, quin observemus, quam parum sibi constet Ludovicus Beaufortius, qui QUINQUE *saeculorum* Romae priorum omni fundamento carere adseverans, hoc loco tam inconditae fabellae, ab eodem Livio, cui alias diffidit, fidem habet. Hisce adamus sententiam clar. Lenglet du Fresnoy (2): « Les progrès que l'on voyait faire aux Grecs et sur-tout aux Athéniens, leur bonheur qui éclatait de toutes parts, firent croire qu'ils en étaient redevables aux lois de Solon. Les Romains les voulurent avoir, ils envoyèrent des ambassadeurs à Athènes pour les obtenir de cette république. Dès qu'on les eut apportées à Rome, il fallut les rédiger

(1) Repub. Rom. Vol. IV. pag. 7.
(2) Méthode pour étud. l'hist. T. V. pag. 180.

et les accommoder à l'ordre et à l'économie de la république. On choisit pour ce travail des magistrats auxquels on donna le nom de décemvirs (1) ».

De eadem re haec leguntur apud clariss. Creuzerum (2): « Absendung einer Gesandschaft der Gesetzgebung wegen, Rückkehr derselben a. u. 302. Erwæhlung von Decemvirn : Antritt ihres Amtes a. U. 303. (Der Jurist Gajus beim Jo. Laur. Lydus de Magistrr. Rom. I. 34. p. 58): Πολλῆς δὲ συγκύσεως τῶν νόμων, οἷα μὴ γράμμασι τεθειμένων, τοῖς πράγμασι γενομένης ἐκ τῆς τῶν ἀρχόντων καὶ δήμου διαφορᾶς, δόγματι κοινῇ τῆς βουλῆς, καὶ τοῦ δήμου πάντες μὲν οἱ ἄρχοντες ἐκινήθησαν, δέκα δὲ μόνοις ἀνδράσι τὴν φροντίδα τῆς πολιτείας παρέδοσαν. Ἀυτοι δὲ στέλλουσιν (ἡ ἱστορία φησίν) εἰς Ἀθήνας Σπούριον, Ἄὖλον Μάρκιον (f. Μάλλιον) καὶ Πούπλιον Σουλπίκιον. Τῶν δὲ ἐπὶ τριετῆ χρόνον ἐκεῖ βραδυνόντων, ἕως καὶ τοὺς λειπομένους Ἀθηναίων νόμους ταῖς δέκα δέλτοις αναλάβωσι, δέκα προεβάλλετο ὁ δῆμος ἄνδρας ἀνθεξομένους τῶν πραγμάτων, ὧν ὁ πρῶτος τῆς πόλεως Φύλαξ προσηγορεύθη (ὁ καθ' ἡμᾶς πολίαρχος).

Jam, semel assumtâ opinione, ut fieri solet, porro procedebant scriptores alii, et, quae a veteribus relata non sunt, addiderunt ex ingenio. Sic illi adfirmaverunt : Decemviros Duodecim Tabulas desumsisse ex legibus *Solonis*,

(1) Nemo certe mirabitur, quod Encyclopaediae auctores hanc commodam opinionem ambabus manibus arriperent. Vid. Encyclopédie ou Dictionnaire raisonné des sciences, des arts et des metiers, par une société de gens de lettres, s. voce Tables, T. XV. pag. 799; coll. T. IV. p. 663, s. v. Decemvirs, et Bouchaud l. l. Vol. I. p. 9 sq. 14 sq.

(1) Abriss der Rœmischen Antiquitæten. Leipz. 1824. p. 185.

Draconis, *Lycurgi*, *Charondae*, *Zaleuci* et aliorum Graeciae civitatum legumlatorum (1). Excitatis iis, qui traditionem propugnaverunt, alii quoque laudandi sunt, qui eandem, bonis argumentis, impugnavere. Atque inter primos eorum omnino nominandus est celeberrimus Vico, qui « Romanos in scribendis Duodecim Tabularum legibus versatos, nihil quicquam a Graecis petiisse, contendit; sed legationem in Graeciam missam eo consilio a *Patriciis* fuisse, ut illi hoc modo rogationem Tribunorum, leges scriptas urgentium, per tres annos eluderent (2) », quod auctoritate Oraculi Delphici, Eupatridis semper studiosi, commode fieri potuit.

Summa argumentorum, a clarissimo Vico propositorum,

(1) Exempli causa vide TERRASSONUM : Histoire de la jurisprudence romaine P. II. § 1. pag. 84, ubi haec leguntur : « Le corps des lois des décemvirs fut composé en partie de celles que Dracon, Solon, Charondas et Zaleucus et autres législateurs grecs avaient établies à Athènes et dans les villes grecques soit de l'Attique soit de l'Italie, et en partie des mœurs et des coutumes non écrites des Romains, desquelles coutumes quelques-unes avaient pris source dans les lois royales ». Cfr. HAUBOLDUS ad *Heinecc.* Antiqq. Rom. in Prooemio. pag. 4 et 5. — ARIST. Politic. II, 10. — BOUCHAUD pag. 59, 60 seq. 77. — PIGHIUS Lib. III Ann. pag. 146. — GELLIUS XX. 1. — MERULA de Leg. Rom. cap. 17. n° 3. — PRATÈJUS in jurisprud. veteri n° 71 (in Thes. Ottonis T. IV). — BOULAGE, loco laud. pag. 17. — VALERIANI leggi delle dodici tavole esaminate secundo i fondamenti e le regole della politica. Milano 1802. Vol. I. pag. 91, 92, 99, 104-108.

(2) Inscriptio libri haec : principi di una scienza nuova; prima vice edit. anno 1725; anno 1817 Neapoli repetita. Verba auctoris nostri (p. 88) haec sunt : « Altrove per due intiere libri si è dimostrato, con tal tradizione volgare essere favolosa, dove aprimmo il consiglio dell' ambasciaria veramente usciter con tal colore di Roma; ma in fatti *per tenere a bada tre anni la plebe* ».

sic exponitur a Valeriani (in opere laud. pag. 85) : « Dicono che non lo zelo o la cura della republica la suggeri; ma la politica irrequieta de Padri per aggirare una plebe tumultuosa : non esser mestieri a Roma tra ente origine della Grecia d'inviar navi a raccogliere gli usi che in Grecia fiorissero; esservi stati inoltre re sapientissimi in Roma, e sapientissimi Consoli, che la fornirono di savie leggi senza cognoscere estranee legislazioni : ciò comprovarsi dalle reliquie medesime delle tavole, poichè in gran parte discordano dagl' instituti di Grecia, e se concordano in parte, o innanzi a' Dieci regnavano, o son di tanta semplicità, che ad ogni popolo piacquero, e potean giundi proposi in Roma senza rapirle alla Grecia; niuno parola dirsi di questa navigazione da Cicerone, il quale ne disse pur tantes sopra argomenti più tenui ancora e più ignobili della Republica ». Amplissimus Berriat S[t]. Prix (1) eadem fere ratione recensuit argumenta eorum, pui traditionem veram esse infitiantur : « Les Grecs n'indiquent dans aucun écrit, dans aucun monument la légation des Romains. Il est invraisemblable que les patriciens de Rome eussent entrepris un voyage maritime long et difficile pour aller chercher les lois democratiques d'Athènes et des lois écrites dans une langue à eux inconnue.

Si quelques-unes des lois des douze tables sont semblables à celles des Grecs, cela provient ou de pur hasard, ou de ce que sur certains points les hommes doivent naturellement avoir les mêmes idées ».

(1) l. l. T. IV. pag. 307. Cfr. Revue Encyclop. du mois de Juillet 1821, pag. 136. — Cl. Cralle Comment. hist. jurid. de port. legit. Bonnae 1820.

Quibus rationibus ductus, Clar. Vici sententiam amplectitur Bonamius (l. l. pag. 50), haec scribens : « Je suis persuadé qu'il faut se former une idée des décemvirs différente de celle que nous donnent les auteurs qui ont parlé du voyage des députés à Athènes ou dans les autres villes de la Grèce, et de ne pas regarder comme les copistes des lois grecques ou même comme des personnes qui n'ont fait que les accommoder au génie et aux mœurs des Romains. Le peu de temps que les décemvirs employèrent selon Tite-Live et Denis d'Halicarnasse pour composer les douze tables, serait assez propre à appuyer la conjecture que les patriciens avaient ces lois toutes faites et qu'il ne s'agissait que de les présenter sous le nom d'un peuple estimé à Rome ...... la continuation même du décemvirat en est une preuve; car Denis d'Halicarnasse remarque que l'imperfection de la jurisprudence romaine dans les dix premières tables ne fut qu'un prétexte de continuer pour un an aux décemvirs le pouvoir souverain et que le véritable motif des patriciens dans cette occasion fut d'abolir la puissance tribunitienne qui leur était rédoutable. Puisqu'ils suscitaient des guerres exprès afin d'éluder leurs demandes, et de tenir les plebeïens toujours occupés, ils étaient bien capables de prétexter leur nécessité d'un voyage en Grèce pour y chercher des lois, dans l'espérance que l'ardeur du peuple se rallentirait pendant ce temps-là, et il ne leur était pas difficile de donner pour lois de Solon les anciennes lois romaines dont les seuls patriciens étaient dépositaires; aussi Romulus avait-il ordonné, selon Denis d'Halicarnasse, que les patriciens instruisissent leurs cliens sur la justice et sur le droit civil que ceux-ci ignoraient ».

Nec tamen intacta relinquit haec argumenta Cl. Valeriani (l. l. p. 85-118), qui auctoritatem Livii, Dionysii, Taciti, Pomponii aliorumque auctorum vindicare cupit rationesque, quibus dissentientes utuntur, infirmare conatur. Quod ut efficiat, haec fere (pag. 101) profert : « Che se tal volta rammemora Cicerone le instituzioni dé dieci senza far motto di tale deputazione, non deesi questa percio proscrivere come sospetto di favola dagli argomenti veridici della storia. Noi non sapiamo se fosse orgoglio o follia pretendere che uno scrittore parlando della sua patria debba pur tutte ripetere le andate cosse : sappiamo essere malignità impudentissima trar dal silenzio di un oratore argomento per oscurare un' impresa, che gravi autori concordi ne tramendarono, benché, s'ei tacque che Roma spedisse in Grecia a conoscerne le costumanze e le leggi, pur molte leggi notò, che dalle tavole di Solone trassero i dieci con quasi eguali parole nelle lor tavole; (molte leggi sulle cerimonie mortuarie, videte Cicerone de legib. lib. 2.); come qualche altrane avverte Cajo guireconsulto ed interprete delle medesime. (V'ha tralle una legge sopra i limiti d'é poderi, di cui *Cajo* riporta lo stesso testo Greco di *Solone* traducendolo in latino, come può osservarsi nella leg. ult. D. fin. regund. composta d'un frenmmato del lib. 4 di Cajo ad leg. 12 tabul.). So che da Vico vari argomenti si muovono per isnervarne l'autorità (Vico loc. cit.) : ma, nell' esporle, noi mostreremo con quanto vano proposito ».

Tandem (1) eandem sententiam nuper defendit V. Cl.

(1) De eadem quaestione cfr. GRONOVII Thesaurus, Vol. V. p. 2042 et 2043.

Grundler (l. l. p. 138), ubi haec prostant : « Die Commission nahm bei der Ausarbeitung Rücksicht : 1) auf die kœniglichen Gesetze, welche zwar nicht mehr als Gesetze, doch als Gewohnheitsrechte galten, dann 2) auf die fremden, Atheniensischen und Lacedaemonischen. Die Gesetze der *Volsker*, welche das jus feciale betrafen, sollen mit aufgenommen seyn; allein schon seit Ancus Martius Zeiten war das jus feciale aus demselben entlehnt. Zur Auslegung der Griechischen Gesetze wurde Hermodorus, ein vertriebener Grieche, ein Mann von Kenntnissen und Staatsklugheit, gebraucht, dem das Volk zur Dankbarkeit eine Ehrensæule im *foro* errichtete. Daraus, dass Hermodorus geehrt von den Gesetzgebern in Rom lebte, folgt freilich nicht, dass vieles aus den Griechischen Gesetzen in die XII Tafeln überging. Quid de his sententiis diversis statuendum sit, jam nobis videndum est.

§ II. Si, quae in antiquis scriptoribus leguntur, cuncta absque ulla inquisitione tanquam vera essent consideranda; inque verba eorum esset jurandum : nullum dubium de legatione Romanorum in Graeciam, leges ab Atheniensibus petendi causa, suscepta, oriri posse concederemus; igitur traditioni utique adstipulandum esse ipsi fateremur. Verum in his rebus melius videtur praecepta sequi Dumbeckii V. Cl.

— SCHONBERG Précis hist. chronol. du droit Rom. p. 126 sqq. ibique BOULARD. PORTO STRAMIGLIOLI, Diss. intorno al transporto delle Romane leggi delle dodeci tavole della Grecia Nap. 1791. — BARTHELEMY voyage du jeune Anacharsis en Grèce vol. I. p. 94. — ROSINI Antiq. Rom. VII. 30. — BOUCHAUD tom. I. p. 14. — TERRASSON p. 77-86. — DAVID IRVING Observations on the study of the civil Law. Edingburgh 1823, p. 61.

qui, neminem de antiqua historia judicare posse, quin ipsos veteres auctores critica ratione pertractaverit, et docuit et exemplis luculentissimis ex ipsa Antiquitate Romana petitis, probavit. Soli enim, ait, Rerum impulsui est obtemperandum, nec antiquorum scriptorum sententiae de aliquo populo admittendae sunt, si illius populi ingenio atque moribus adversentur, si aetatis et temporum indoli repugnent, si denique penitus obhorreant a veri similitudine (1).

Quae cum ita se habeant, in haec duo primum inquirendum est : utrum scriptores verum dicere *potuerint*, an *voluerint* etiam ; ad quae accedit tertium : an reapse adfirmaverint, XII Tabularum leges *aliunde*, a *Graecis*, et iis quidem *Atheniensibus*, fuisse petitas?

Duo priora absolvemus, si probaverimus, Romanorum ingenium, statum et indolem reipublicae Romanae, tempore Legum Duodecim Tabularum, a Graecis rebus abhorruisse, neque minus ipsasmet leges; quae igitur adcuratius sunt pertractandae. Ex his autem duobus momentis veritatem eruemus; cum inprimis menti historiae et illius aetatis majorem fidem accensuerimus, quam soli scriptorum auctoritati.

Atque primum quidem, ut inde ordiamur, nullum scriptorum *vetustorum* eam rem perhibuisse constat, nullum etiam eorum, quos laudavimus, fontes, ex quibus traditionem hauserit, nobis aperuisse; nullum denique claris et

(1) Conf. Clarissimi DUMBECKII CLIO, seu de Hist. de Laud. hist. cet. Dialogi III. Bruxellis 1819. Dial. III. c. 8 et 9.

nulli dubio obnoxiis verbis adseverasse, leges nostras a Graecis esse repetitas, contendimus. Omnino omnes *relata referunt:* plures etiam de eadem re *valde dubitant.* Lepidissima sane est Livii sententia (supra allata), ac si de *legibus convenientes;* de LATORE tantum *discrepassent.* Scimus enim certo, *legumlatores* non eosdem fuisse, *qui essent in Graeciam missi* (licet hi quoque *Romani* essent), *sed electos deinceps* DECEMVIROS. Non minus lepide Dionysius loquentem inducit oratorem, qui censuisset, legatos mittendos esse, ut A GRAECIS leges optimas et *instituto* ROMANO *convenientissimas* peterent. Qui tamen non audebat negare, eas *partim* saltem *ex Romanorum* MORIBUS NON SCRIPTIS *fuisse compilatas.* Difficile non est cernere, quam artificiose illi hanc fabulam exornaverint; atque hoc unum miramur, quod illi non viderent, haec artificia cuilibet oculos aperire debere, ut videat, totam rem ab iis esse effictam. Nullo vero modo praetereundum est, scriptores nec ipsos sibi constare, nec cum aliis consentire, ut in capite sequenti ulterius probabimus. Cum enim Livius *III viros* LEGATOS in Graeciam mittit; Pomponius per *ipsosmet X viros* leges petitas esse refert: auctorem vero fuisse iisdem X viris Hermodorum QUENDAM, ut QUIDAM *retulerint.* Gajus autem JCtus absque ambiguitate scribit, in actione finium regundorum illud observandum esse, quod AD EXEMPLUM, *quodam modo,* ejus legis scriptum sit, quam Athenis Solon DICITUR tulisse. Docti igitur homines ne tum quidem, ubi Roma Graecis Philosophis et Grammaticis abundavit, certo sciverunt, *quasnam leges Solon scripsisset,* et tamen asseruerunt, Romanas esse e Graecis tralatas! Praeterea Gajus leges a Graecis petitas esse minime autumat; *ambigit* et *nescit.* In alio loco, ubi idem vocem *Sodales*

Graeco vocabulo *ἑταῖροι interpretatur* tantum et *explicat* atque ob hanc causam *similem* legem Solonis, comparationis ergo, laudat; haec ipsi *videtur* modo ad Romanos transiisse. Justinianus vero adeo delirat, ut, *quoniam Jus Civile* in DUAS PARTES *distributum sit*, ejus rei causa haec ipsi fuisse VIDEATUR, *quod a* DUABUS *Graeciae civitatibus esset repetitum*, *Athenis* et *Sparta*. Hic igitur, quae alii dubitantes attulerunt, tam audax exstitit, ut, circulatoris instar, ipsa loca nominaret et cum quadam certitudinis specie adseveraret, quae dogmatico systemati suo favere videbantur.

Cicero, qui aliâs tam enixe laudavit leges X virorum, QUIN DE EARUM PATRIA DICERET, in loco uno, ubi de legibus funeralibus loquitur, eas translatas esse FERE de Solonis legibus, perhibet; cum alio loco, in eodem libro, hanc eandem legem *eisdem prope verbis* a X viris translatam esse tradat. Nam, ait, de *tribus riciniis* et pleraque alia *Solonis sunt.* Sed de hac re dicemus infra. — Ex his talibus fontibus hauserunt reliqui, Declamatores, Grammatici, Compilatores, ita, ut quisque, cum ad verbum repetere hanc fabulam ausus non esset, quodam modo mutaret et adornaret ex ingenio. Atque ex his denique auctoribus recentiores, mirabili profecto audacia, historiolam quandam consarcinarunt, in qua dubium est, magisne mireris veri contemtum ac sanae anquisitionis negligentiam, an vanitatem ea proferendi, quae nullo fundamento nituntur. Deinde hoc tenendum est, nullum scriptorem legibus aequalem rem narrasse, sed omnes fuisse ab illo tempore remotissimos. Tum, nullum etiam indicasse, ex quo fonte traditionem suam hauserit: atque ne Ciceronem quidem, qui tam indefesso studio se de rebus

vetustis informare solebat, alium auctorem laudasse, quam Phalereum *Graecum*, et ne hunc quidem ad confirmandas res Romanas, sed solum Athenienses. Denique, licet leges nostrae in XII Tabulis fuissent *exaratae*, tamen illo antiquitatis tempore res ejusmodi leviores atque saepe majores quoque, non perscribi soluisse, sed viva voce tradi.

Quod sigillatim adtinet ad fidem historicam Livii atque Dionysii, paucis dicamus. Eam in hac re nullius notae esse, tum ex indole eorum atque narrandi res antiquas modo patet, tum exinde, quoniam traditio adversatur ipsismet moribus rebusque. Quicunque etiam utrumque obiter tantum legerit, apud eum constat, in illos summam cautionem esse adhibendam, simulac de rebus vetustis narrent. De Livio autem tantum abest, ut ipsi fidem denegemus, ut potius adsiduitatem, qua fontes et monumenta antiqua perlustraverat, cum omnibus jure admiremur. Sed scriptor facundissimus sive ipse fontibus carebat, sive etiam res minoris momenti ex ingenio retulit, non quae gestae essent, sed quales gestae esse viderentur; quo modo non solum vacuum in historia sua explevit, sed etiam eandem nobis reddidit jucundissimam atque, maximam partem, nos in illa tempora obscura verae virtutis Romanae traduxit; nonnunquam, quae vulgo tum credebantur a Romanis, praesertim fabulosa tempora originis, eadem eodem modo narravit, ut aequalibus placeret suis, quin veritatem historicam, ubi facta fuere nulla, violaret. Huc pertinet fabula de Lupa, Romuli Remique altrice (I. 2); huc traditio, Romulum in coelum ad Deos adscendisse (I. 5); huc sententia, Senatum a Romulo fuisse institutum, (I, 8. Eutropius I. 1) quae jam explosa est a clarissimo

Dumbeckio (1). Huc denique pertinet origo Romanorum a Trojanis repetita, quae eo tempore, ubi Livius scripsit, tantam fidem nacta fuerat (C. J. Caesar enim a Venere descendere cupiebat; quae divina origo reliquos Caesares non parum titillavit), ut de ea nemo dubitare auderet — praeter Livium. In hoc igitur scriptore adcurate distinguendae sunt res historicae a *mythicis*; quarum priores ab ipso relatae omni fide dignissimae, posteriores vero, mythice ab ipso scriptore expositae, eodem modo intelligendae sunt. Nemo facile nunc ignorat veram significationem fabularum a nobis laudatarum, nemo, quid forte significet Hercules ille, boum Geryonis raptor, vitae stabilis apud palantes Italos auctor. Omnino tenendum est, quod ait Cicero (De Rep. II, 10): « Antiquitas recepit fabulas fictas etiam nonnunquam incondite ». Siquis autem legerit locum Livii, ubi agitur de legatis Athenas missis, certe viderit, eam rem mythice esse accipiendam; quod postea in Hermodoro etiam indicabimus (2): unde consequens est, testimonium ejus, legationem Romanorum apud Athenienses referentis, non sufficere ad illius traditionis veritatem demonstrandam; quoniam scriptor ipse rem solummodo narravit, sicut ipsemet eam ab aliis acceperat et vulgus credebat. Unde adhuc quaeri rite potest, an ullo fundamento nitatur traditio. Auctoritas Dionysii Halicarnassensis de eadem re non majoris pretii, ne dicam minoris, est. Ille enim homo

(1) Vide illius viri cl. sent. expositam in Annal. Acad. Lov. 1822 — 1823, in Delwardii Diss. de formis rerum public. pag. 224 (Ann. Acad. Lov. 1821 — 1822).

(2) Hoc omnino eruitur ex Pomponio de orig. juris 2. § 4.

Graecus eo scripsit tempore, quo Graecorum non splendor tantum, sed ipsa civitas eversa jacebat. Qua re magis etiam excitabantur Graeculi Romae errantes, ut patriae quondam suae lapsam dignitatem resuscitarent eo, ut praeclara quaevis, praesertim Romana, ad illam referrent, atque Romanam magnitudinem et gloriam a se ipsis repeterent (1). Unde non solum quamvis traditionem, quae ipsis favere videbatur, ambabus manibus arripiebant, sed etiam, quae non erant, ea effingere solebant. Haec assertio tam multis exemplis confirmari potest, ut singula adducere supersedeamus. Dionysius vero, quo pacto hanc occasionem praeterire potuisset, qua tam evidenter probari potuit, Romanos id quoque a Graecis mutuasse, quo prae aliis omnibus gentibus se excellere putabant? Potuit ceterum noster haec et ejusmodi cum aliqua veri specie usurpare, cum Romani ipsimet, eo tempore, quo Dionysius scribere coepit, proprietate sua penitus jam amissa, atque Graecorum doctrinis et sacris adeo magis magisque invalescentibus, mores Graecos et levitatem eorum cum reliquis hujus populi vitiis adoptavissent (2). Nihilo tamen secius, quasi nolens veri pondere convictus, idem ille Graecus, qui tam acriter pro Graecà legum Decemviralium origine pugnaverat, et eorum, quae paullo ante dixerat, velut oblitus, non dubitavit adfirmare (L. XI. p. 725): « Duodecim Tabulas nihil commune habere cum Graecis legibus ».

(1) DIONYSIUS HALIC. II. 4. 17 et VII. 13.

(2) Vid. Tabb. Ethnogr. Period. Synchron. hist. univers. Clar. DUMBECKII, p. 18, Col. A. B. C., et p. 19, Col. K.

Reliquos scriptores omnes caeca fide secutos esse Livium et Dionysium, quisque videt. Velim tamen legantur, quae a celeberrimo Bonamy (l. l. pag. 44) disputata sunt. « On a vu, ille scribit, par la manière dont s'expriment la plupart des anciens historiens qu'ils ont cru que les lois des douze tables n'étaient que des lois grecques et en particulier des lois attiques pour ainsi dire refondues; ainsi il n'est pas étonnant, que tous ceux qui en ont parlé dans la suite, en aient fait honneur aux Grecs sans s'embarrasser si le fait était vrai, ni si malgré la ressemblance de quelques-unes de ces lois avec les lois de Solon elles ne pouvaient pas avoir été en usage avant le voyage prétendu des députés à Athènes ». Unde errare mihi non videtur, si quis affirmaverit, nihil ex omnibus istius generis documentis probari posse (1).

Non igitur ex auctoribus veritas est exquirenda; sed nobilioribus nobis utendum argumentis, ex indole et ingenio Romanorum petendis; ex comparatione legum XII Tabularum et Atheniensium dijudicandum, utrumne traditio admittenda sit, nec ne; unde, si, ut inferius demonstrabitur, omnes Decemvirorum leges, quae ad nos pervenerunt, ingenium Romanum omnino monstraverint, atque, contra, Atheniensium moribus prorsus fuerint adversae, fabula ab auctoribus relata omni fundamento destituetur. Nemo etiam, opinor, dubitabit, leges ipsas veriora esse monumenta, ex quibus tanquam ex fontibus limpidissimis verum hauriri possit: illas, dico, quae nulli favent opinioni praejudicatae, nullam volunt captitare gloriolam; sed adsunt propter sese, imperturbabilia antiquitatis monumenta.

(1) Maciejowski Hist. jur. Rom. Varsav. 1825, praef. pag. 6.

Jureconsulti vero hujus aetatis, qui nostrae sententiae adversantur, traditionemque veram esse existimant, praecipue argumentantur ex lege ultima Digest. de Collegiis et Corporibus et L. 13 Dig. finium regundorum.

Auctoritas Gaji, qui in his locis unam alteramve legem Decemvirorum ex Solonis institutis fuisse translatam refert, summae notae ipsis videtur et testimonum illius viri peritissimi contra nostram sententiam argumentum firmissimum eis suppeditat. Sed facile refelletur eorum argumentatio. Certum enim et indubitatum est, ad historiam rite dijudicandam auctorum Dexteritatem semper in probationem esse vocandam. Ut autem id recte fiat, temporis, quo scripserunt, ratio habenda est. Si igitur aetatem, qua vixit Gajus, inspiciamus, ejus auctoritas non magni ponderis esse videbitur. Florebat enim tempore Caesarum, quo apud Romanos ne vestigia quidem bonae antiquitatis supererant. Unde mirum non est, quod GAJUS, praejudicata opinione abreptus, e Romano Graecus factus sit. L. ultima Digest. de Collegiis et Corporibus et L. ult. Dig. finium regund. igitur solummodo probant, JCtum nostrum antiquissimae traditioni fidem adhibuisse; sed exinde minime sequitur, eandem eapropter veram esse. Hoc enim nec scire potuit ille, nec omnino alicujus ponderis esse in his rebus testimonium JCti potest, qui multis saeculis post eam rem vixit, quam narravit, et eapropter tetigit, quia indoctum esse videbatur, eam praeterire penitus. Demonstrabitur etiam inferius, leges, quae ex Gaji sententia in XII Tabulas ex Solonis institutis migraverint, jam ante Decemvirorum tempora Romae viguisse, et eas ab ipsis regibus fuisse latas.

CAPUT SECUNDUM.

§ III. Iis autem, qui a recta via non aberrant, manifestum est, fieri non potuisse, ut Romani ab Atheniensibus leges petierint.

Jam autem notavimus, auctores, qui de ea legatione loquuntur, omnino non inter se consentire, sicut comparatione inter Pomponii et Livii sententiam instituta probavimus; qua opinionum repugnantia tota traditio in incertitudinem inducta est (1).

Porro Livius refert solummodo, legatos rediisse cum *legibus Atticis*, cum Dionysius (X. pag. 678) narrat, legatos leges Athenarum Caeterarumque *Graecarum Italiae Civitatum* secum attulisse. Praeterea Dionysius leges petitas fuisse a Graecis Italiae Civitatibus refert; contra Livius et alii, legatos dicunt missos fuisse ad describendas leges Graeciae, neque sermonem faciunt de Graecis Italiae civitatibus. Non secus quidam veteres auctores, Romanos ex legibus Lycurgi instituta sua desumsisse contendunt (2). Contra Dionysius

(1) Bouchaud l. l. vol. I. p. 9. — Pothier Pro leg. Pandectarum P. I. cap. 1. § 2.

(2) Plinius VIII. Ep. 24. Imperat. in § 10 Inst. De jure natur. gent. et civ. — Symmachus III. Ep. 11. Athenaeus Deipnosoph. VI. 21. pag. 273; col. Ammiano Marcel. XVI. 5.

et Livius nihil de ea re referunt; imo alii idem omnino negant (Augustinus de Civ. Dei II. 16). Insuper ex testimonio Dionysii non solummodo Graecorum leges in XII Tabulas translatae sunt; sed etiam consuetudines patriae moresque ipsorum Romanorum : contra ex Livii sententia (III. 31) Decemviri operi non adhibuerunt nisi Leges Atticas: quam sententiam secuti sunt alii quoque, ut Isidorus (Origg. V. 1), reliquique, quorum ipsa verba supra exscripsimus. Porro de Hermodoro, peregrino, exule, quo ex traditione usi sint Decemviri, non minus dissentiunt auctores veteres. Alii enim eum *interpretem* legum Graecarum, quas Decemviri operi adhibuisse perhibentur (1), vocant; alii ipsarum legum Decemviralium *auctorem* esse dicunt (Pomponius in Leg. 2 Dig. § 4 de origine juris (2). Eodem modo iidem dissentiunt in nominandis legatis, qui Athenas missi essent. Dionysius enim (X. cap. 9) recenset *Sp. Posthumum*, *Servium Sulpicium* et A. Manlium. Livius vero (III. 31) loquitur de Sp. Posthumio *Albo*, A. Manlio et *Publio* Sulpicio *Camerino* (3).

Ut autem ad *Hermodorum* nostrum revertamur; non quidem omnino negamus, virum *quendam* et *Graecum* ejus nominis aliquod in hac re negotium, qualecunque illud tandem, habuisse et hoc modo traditioni ansam fecisse : sed hoc praeterire non magis possumus, illud nomen *ominosum* HERMO-DOROS magis convenire in HERMAM quendam

(1) PLINIUS Hist. Natural. XXXIV. 5. — STRABO Geogr. XIV. pag. 642. — GRUNDLER l. l. pag. 138.

(2) Vid. VALERIANI l. l. p. 112, 113 seqq.

(3) BOULAGE l. l. p. 21.

sive Thaautum, *Deum*, quam in hominem. Ille enim Thaaut-Hermes, Literarum et *Artis scribendi* auctor, ut nemo nescit, sapientissimorum quorumvis institutorum veterum sator habebatur. Qua re, cum hoc loco de scribendis legibus sermo esset, quae res tum temporis tanti habebatur, ut non *sine numine* fieri posse videretur, Hermodorum nos quidem credimus *symbolum sapientiae legislatorum*, quasi *laudes* eorum exprimens *divinas*, divinamque fere legum ipsarum originem. Nemo enim veterum populorum leges voluit ab hominibus praeceptas; Jehova Mosi, Brahma Indis leges dederunt, atque Lycurgus non magis, quam ipse ille Solon, Delphico Deo *probari* et quasi *sanciri* debuit. Cum hoc ejusmodi Hermodoro puadrat *peregrinus* legum *auctor* (quasi *inspirator*); cum hoc *Orientalis* ejus patria et praesertim Urbs, *Asiae minoris commune emporium*, Ephesus; ejusmodi *Deo-homini* statuam negare nequiverunt Romani. Hinc reliqua sequuntur omnia; hic fons est totius fabulae! Quodsi tamen alii Hermodorum asserunt leges *in codicem perscripsisse*; 1) nondum inde sequitur, Romanos leges peregre asportasse; 2) quisque videt, *genus scriptionis* tam esse Romanum, ut nemo peregrinus, minime Graecus, ne imitari quidem illud posset; tam enim breve et simplex, ut vix a Spartano quodam, nunquam a prolixo Ephesio fieri posse videatur: abhorrebat enim ab hac brevi simplicitate tota Graecorum indoles; 3) quaeri jure debet, an Romani illi severissimi et prudentissimi tam fuerint omni cultu destituti, ut ne has quidem leges perscribere possent? Quo denique pacto Graecus quidam tam adcurate cognoverit Romanum ingenium, ut ipsum tam ingenue et melius etiam, quam Romani, exprimeret? Verum praeterea abhorret traditio et repugnat omnibus legibus, quas apud se Romani sanciverunt.

Leges enim XII Tab. omnino adversantur non solum Pericleis institutis, quae Athenis vigebant tempore Decemvirorum; sed etiam ipsi legislationi Solonis; cum illae ita faverent Patriciis, ut videretur eas in illorum favorem de industria scriptas fuisse contra Plebeios, quorum tamen pacem et concordiam cum illis constituere leges debuerunt. His enim legibus connubia inter Patricios et Plebeios prohibebantur (1); quae lex ab ipso Cicerone (De Rep. II. 37) inhumanissima vocatur, qua magis contumeliosum Plebeis nihil certe sanciri poterat. Non minus Plebeji ab honoribus et Magistratibus gerendis prorsus arcebantur; et ideo nec sacerdotia, nec alia munera publica cum iis communicabantur (2). Praeterea confirmabatur jus debitorem nexum faciendi, in vincula conjiciendi; quod Plebeis omnibus, eo tempore in summa paupertate vitam degentibus, maxime erat perniciosum (3). Non parum Plebem cruciavit iniquum illud jus praescriptionis, vi cujus ager in securitatem debiti oppigneratus, post biennium usu capiebatur. Sic enim Patricii agros Plebeiorum sibi vindicabant (4).

(1) BACHIUS hist. jur. pag. 70-71. — DIONYS. HAL. X. p. 684. — HEINECCIUS Antiq. Rom. Adpendix L. I. cap. 1. § 33. — LIVIUS IV. 4. — VICO l. l. pag. 85. 86; BONAMY pag. 68. 69. — DUMBECK l. l. pag. 11. Lit. f.

(2) BACHIUS Hist. jur. pag. 76. — GUNTHER Hist. jur. Romani. Helmstadii 1798. p. 69, 70, 76. — WARNKOENIG Inst. jur. priv. Rom. p. 13. — NIEBUHR Roemische Geschichte, Vol. I. pag. 64-96. Vol. II. pag. 109 seqq.

(3) HEINECCIUS Ant. Rom. Lib. III. tit. 30. § 3. 4. — BACHIUS pag. 43. — GELLIUS XX. 1. — LIVIUS II. 23. VI. 14. TERTULLIANUS Apolog. cap. 4. — DION. HALIC. IV, 9. QUINCTILIANUS Inst. Orat. III. 6.

(4) CICERO in Topic. cap. 4; pro Caecina cap. 19. — GAJUS Commentarius II. § 42. BACHIUS pag. 53. — HEINECCIUS tit. 6. § 2. — GIBBON l. l. pag. 57. — BOUCHAUD Vol. I. p. 599. — GUNTHER, loc. laud. pag. 56.

Porro res quaevis majores ad *Centuriata* Comitia deferebantur, in quibus solummodo valebant ditissimi, ideoque Patricii, ita, ut dici possit, omnia ex eorum arbitrio gesta esse, plebiscita vero nullo modo Patres tenuisse. Utebantur igitur Romani, legum XII Tabularum auctoritate, ea rei publicae forma, quam dicunt Optimatium imperium (seu *Aristocraticam*), elemento *Timocratico*, sed hoc quidem leviori, quodammodo admisto : dum Athenienses, *tempore Periclis*, qui artibus demagogicis imperio Athenarum potitus erat, quam Patricii summopere horrebant, Democratiam habuerunt. Potestas enim Areopagi, fulcimentum imperii Optimatium, non imminuta tantum, sed fracta exstitit Ephialtis facinore. Laudes igitur constitutionis Athenarum Pericleae in ore Romano abominationi potestatis Patrum aeque putandae sunt (1). Quibus a nobis

(1) Vid. de hac re A. H. L. Heeren, Handb. d. Gesch. d. Staaten des Alterthums. Gotting. 1810. ed. 2; praes. p. 236. Totius enim constitutionis Soloneae fulcimentum erat illud concilium Areopagi, quod non solum de majoribus caussis capitalibus, de nece et criminibus majestatis cognovit, sed et custodiam morum habuit et inquisitionem in Archontes munere abdicatos, atque jus populiscita recognoscendi et abolendi, juventutis denique informationem totamque religionem publicam. In illud sanctissimum concilium non legebantur nisi multa experientia docti, integri, probatissimique viri : quare ejus imminutio, auctore Pericle facta, constitutionem Solonis reapse deperdidit. Vid. Cicero de Nat. Deor. II. 29. De Off. I. 22. Act. Apost. 17, 19. — S. Petitus ad leges Att. lib. III. tit. 2. § 25, in Heineccii Thes. Vol. III. pag. 327 seq. 329. — L. Bosius Ant. Graec. pag. 141 seqq. Bouchaud Vol. I. pag. 63. — Aristoteles, Politic. II. in fine. — Brunings Comp. Ant. Craec. 1734. cap. 14. § 2. pag. 124.

Senatus (Βουλή) praecipue a Solone ordinatus erat ad turbam forensem cohibendam. Huic Senatui reservata fuere τὰ προβουλεύματα omnium rerum de quibus ad populum referendum erat; nec quidquam nisi ex praevio Se-

expositis audiamus celeb. Delphici de eadem re judicium (1): « Tale fu la saviezza di que' legislatori ne' varj rami di quelle leggi; poiché se si riguardano per la parte criminale esse furono *Aristocratiche*, inguiste, severe e *crudeli*. Se per la parte del dritto pubblico, della quale poch' indizj ci sono restati, andavano alla conservazione dell' Aristocrazia : se per quella della Religione e de'funerali, corrispondevano ai superstiziosi concepimenti del tempo : se per cio che riguardo l'ordine Giudiziario, dovevano esser analoghe alle leggi ed all' usanze : se per la parte testamentaria, è facile il vedere, ch' esse contenevano la massima ingiustizia politica, per conservare in forza gli Aristocratici dritti; della stessa indole furono

natusconsulto apud populum rogare licebat; capite vero censi neutiquam Senatorum numero adscribi, nec ad Magistratus promoveri poterant. Hoc antem discrimen, auctore Pericle demagogo, sublatum est. Vid. BRUNINGS cap. 13. pag. 122 seqq. — SAM. PETITUS Lib. II. tit. 2. § 2. p. 18, 198 et tit. 3. § 6 (in HEINECCII Thes. Tom. III. pag. 203). — L. BOSIUS pag. 136 sq. — PLUTARCHUS in Solone pag. 88. lit. D. — POLLUX VIII. cap. 9. — BARTHELEMY voyage du jeune Anacharsis en Grèce Vol. I. pag. 104. 105. — Cfr. PLATO in Phaedro pag. 239. — THEOPOMP. apud *Athenaeum* VI. pag. 474.

Quod attinet ad *Demagogum* Periclem, vid. PLUTARCHUS in vita Periclis pag. 156, 157, 161, 169. — BARTHELEMY vol. II. pag. 240 sqq. coll. Vol. I. pag. 213 seqq. et 261 sq. — DUMBECK V. Cl. pag. 11. Litt. A. Tabb. laud. — ARISTOPHANES in Acharn. vers. 496 seqq. — BOSIUS pag. 130. — ARISTOTEL. Polit. II. 12. — SAM. PETITUS Lib. II. tit. 3. n° 5 (in HEINECCII Thesauro Tom. III. pag. 203). Voluntas vero Patriciorum, antiquam Aristocratiam confirmandi, erui quoque potest ex LIVIO III. 31; ubi dicitur : « Rem, id est, leges scribendi consilium, non aspernabantur Patres, daturum leges neminem nisi ex *Patribus* ».

(1) Ricerche sul vero carattere della giurisprudenza Romana. Napoli 1791. pag. 73.

le indegne leggi relative alla patria ed alle altre relazioni domestiche, nelle quali sempre campeggia lo spirito di famiglia ». Ipse igitur, XII Tabb. leges absolutum Procerum imperium confirmasse, aeque putat (1). Unde profecto parum videmus, quo jure Cl. Gratama (2) de iis scribere possit : « In iis eximia regnat omnium libertatis cura. » Multo melius eandem rem judicare videtur Merlinus ille (3), qui haec profert : « Si ce qu'on dit des lois de Numa est véritable, les Romains en oublièrent bientôt les principes humains et pacifiques ; leur conduite publique et privée se ressent partout de la dureté de l'Aristocratisme ». Idem (p. 370) : « Comment les mœurs n'auraient-elles pas été mauvaises, quand il y avait une inégalité prodigieuse dans la fortune des citoyens, dès le commencement de la république, *quand l'administration publique était confiée à des patriciens avares et orgueilleux* ». Potestne jam, his rite ponderatis, vero simile esse, Romanos petiisse leges a civitate, cujus forma ab ea, quam ipsi habebant seduloque stabilire cupiebant, toto coelo differebat ? Hoc certe vel cogitari nequit.

§ IV. Quum satis nos probasse videamur, leges XII Tabul. a civitatis Pericleae constitutione fuisse diversas, igitur ab Atheniensibus illius aetatis postulari non potuisse : super-

(1) Delfico pag. 81. — Cl. Dumbeck Tabb. laud. pag. 11. Lit. f. — Gibbon pag. 7.

(2) De Hermodoro, vero XII Tab. auctore, pag. 10 (in Ann. Acad. Groning. 1817 - 1818).

(3) Repert. de Jurispr. s. v. *Droit Naturel*. Vol. IV. p. 369. ed. 3.

est, ut paucis demonstremus, illas aeque alienas fuisse ab ipsa constitutione Solonea. Soloni enim in legibus scribendis hoc propositum fuit, ut abdicaret *Aristocratiam diram Eupatridarum*, quin tamen *imperium populare* institueret; sed ut plebem pauperrimam ex locupletium nobiliumque gentium oppressione atque servitute liberaret. Unde Aristoteles (in Politicor. libro II, c. 12) perhibet : optimas fuisse leges Solonis eapropter, quod Oligarchiam veterem iniquam deleverit, pressum populi animum erexerit, restitueritque Democratiam, βουλῇ autem Areopagitica vindicata omnino salutaris quaedam inter Oligarchiam (magistratus), Aristocratiam (potestatem intermediam et legum custodem) ac Populare Imperium (Democratiam) mixtio fuerit facta (1).

Sic igitur certa inter populum et imperantes ratio constituebatur. Porro institutis *Tabulis Novis* (Σεισαχθεία) civibus aere alieno pressis ita prospexit Solon, ut non solum debitum minueret, sed etiam, pecuniae valore aucto, opulentiae cujusdam speciem pauperibus inderet; in quo fundamento superstruxit *Censum Timocraticum*, quo diversorum ordinum cives *rebus*, nec vero amplius *jure* a se differrent. Quam rem eo extra dubitationis aleam posuit, quod *Nexos* statim ab omnibus creditoribus absque pretio in perpetuum manumittendos jussit; sensumque libertatis cum rerum augmento excitavit. Hinc Archontes ille, qui antea omnes fuere εὐπατρίδαι,

(1) L. Bosius pag. 125. — Sigonius de Rep. Athen. I, 5. pag. 482. — Heeren pag. 141, 142. — Bouchaud pag. 163. — Justin. II. 7. — Barthelemy Vol. I. p. 78. 79. 80. 81 seqq. — Ferrand esprit de l'hist. ou lett. polit. et moral. an XI. Paris tom. I. pag. 153 seqq.

a Patriciis electi, nunc ex *tribus primariis civium classibus* legendos jussit, solis capite censis hoc jure (nec tamen spe juris obtinendi) privatis (1). Ex hac Census ratione reliquae leges suapte sponte promanaverunt. Dixerit forte hoc loco Graeculus quidam, Romanos quoque Censum habuisse, et eum, sine dubio, a Graecis, a Solone. Sed his respondemus: 1) Cum Solon ipse Censum ab Amasi Aegyptio haberet; nondum sequi, Romanos habuisse a Solone. 2) Quemvis populum, sensum libertatis popularis cum agro nactum, necessario ad Census institutionem duci; igitur nec Solonem ab Aegyptiis, nec Romanos a Solone obtinuisse. 3) Romanos autem Censum suum habuisse longo tempore ante Leges XII Tabularum latas; igitur, quae leges ex illa institutione duci debeant, ipsosmet ducere potuisse. 4) Nec tamen omnino Romanos in scribendis XII Tabulis illam Census naturam fuisse secutos, igitur Soloneis similes sibi sanxisse, sed ab illis plane diversas. Unde sequitur, Romanos leges suas a Solone non solum non adoptasse; sed eas quoque sprevisse; quae suapte sponte ex illis sequi debuissent. Quod paucis demonstrabimus. Res igitur omnino aliter se habebat in Lege XII Tab. Nihil enim definitum erat circa rationes, quibus tenerentur in unâ republica varii ordines civium inter cives et magistratus inter se; jura severissima in debitores non

(1) PLUTARCHUS in vita Solonis Vol. I. pag. 86. 87. — POLLUX VIII. 10. Segm. 130. — S. PETITUS Lib. II. tit. 3. n° 3. Vol. III. pag. 201. 202. (HEINEC. Thes.) Lib. V. tit. 4. n° 5. pag. 507. — PHIL. BERNARD De Archontibus. Lovan. 1825 pag. 39. — CICERO De Rep. II. 34 ibique *Majus*. — GRONOVII Thes. Vol. V. pag. 2018. 2019. — BARTHELEMY l. l. p. 76 seqq. 79. 80. — L. BOSIUS pag. 125. 126. 127. — SIGONIUS de Rep. Athen. I. 5. pag. 482. — TERRASSON Part. I. § 3. pag. 17. 18.

minus exigebantur, quam antea; nulla ratione minuebatur debitum. Juris aequalitas inter plebem et patres nullo modo constituebatur; sed Optimatium potestas fere illimitata confirmabatur et ideo dissensionum et discordiarum civilium germina quasi legis sacramento sanciebantur; quoniam plebei iterum a magistratibus gerendis amovebantur; nec etiam ipsis agri concedebantur, quorum reditibus aes alienum creditoribus solvere potuissent. Recte igitur Gibbonus (l. l. p. 4): « Ces lois, ait, avaient été dictées par l'esprit sévère et jaloux d'une Aristocratie, qui avait cédé avec répugnance aux justes réclamations du peuple. » (cfr. Beaufortius Rep. Rom. p. 409).

Hoc testantur omnes contentiones, quae paulo post iterum iterumque renascebantur: quaestiones nimirum de prohibitione matrimoniorum inter Plebem et Patricios; quae lege Canuleia jam anno Urb. cond. 309 sublata fuerat (1). Testantur idem lites de nexu corporum abolendo (quod tandem obtinuit plebes lege Papir. anno 428 (2). Testantur denique omnes leges, quae postea latae sunt de auctoritate plebi-

(1) LIVIUS IV, 6. — CICERO De Rep. II, 37. — GRATAMA Beschouwing van de huyselyke slaverny by de Romeinen pag. 177. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 190. 191. — BACHIUS pag. 76. — GUNTHER pag. 71. 72. — GRUNDLER Handbuch der Rœmischen Rechtsgeschichte. Bamberg 1821. pag. 150. — WACHSMUTH die æltere Geschichte des Rœm. Staates p. 376. 377. — NIEBUHR Vol. II. p. 166.

(2) LIVIUS VIII. 28. — DIRKSEN Uebersicht der bisherigen Versuche zur Kritik und Herstellung des Textes der Zwœlf Tafel-Fragm. Leipzig 1824. Tom. II. pag. 107. seqq. — HUGO Civilist. Magazin Tom. V. pag. 184. — MACIEIOWSKI l. l. pag. 60. — BACHIUS pag. 76. 77. — GUNTHER pag. 82 et 83.

scitorum, quae Quirites omnes tenerent; de honoribus et sacerdotiis cum Plebe communicandis (conf. Cl. Dumbeck Tab. laud. pag. 13 columna f.); de agris dividundis, reliquae. Cuncta haec momenta satis probant, Plebem Duodecim Tabulis nequaquam fuisse sublevatam; sed easdem leges, quae illius oppressionis atque depressae conditionis caussae fuerant, denuo in jure Decemvirorum fuisse sancitas.

Nonne igitur ridiculum foret asserere, ejusmodi leges desumtas fuisse e legislatione Solonis, cujus id erat consilium, ut jura plebi redderentur, iniquum Optimatium imperium tolleretur, ager ex aequo divideretur, germina discordiarum inter Eupatridas et Plebem evellerentur? Quomodo Decemviri qui, ipsimet Patricii, summam Optimatium potestatem constituere sibi proposuerant, instituta petiissent e legibus peregrinis, quae imperium Optimatium evertere plebique dare libertatem, ipsis infensam, debuissent, ego certe non intelligo (1).

Respublica itaque a Solone instituta adversabatur ei, quae apud Romanos Legibus XII Tabularum invaluit, atque prorsus inepta mihi videtur sententia Cl. Bouchaldi (2), cum haec proferat : « Les institutions de Solon convenaient très-

(1) Non est, cur moneam, me his observationibus nihil detrahere velle laudibus, quibus extollebant has leges antiqui. Tantum enim abest, ut hoc faciam, ut potius mihi sit persuasum, rem publicam Romanam firmiorem fuisse ex Aristocratia hac, seu potius, eam absque hoc Optimatium imperio, Romanis unice naturali, stare omnino non potuisse.

(2) Pag. 62. Vol. I. — Valeriani l. l. pag. 102, coll. cum pag. 99. 100.

bien à la forme de gouvernement que les Romains désiraient introduire chez eux »; quae sententia insignem historiae ignorantiam testatur in viro caeteroquin egregio.

Certo igitur asseverare me posse confido, et traditionem illam ad fabulas esse seponendam, et omnino leges neque Soloneas fuisse, nec Pericleas. Quae ulterior sententia ex corrupto Athenarum statu magis etiam confirmatur (1); sicut verius esse nihil potest hoc : illas Graecas leges nunquam quadrare potuisse cum rerum statu interiori Romanarum ejus temporis, quo leges nostrae sancitae sunt. Nemo etiam non videt, traditionem ea re explodi penitus, cum constitutionem *utramque* Athenarum pro *eadem* habeat; igitur ignoret, Soloneas leges sub Pericle non amplius viguisse (Dionysius X. 676. 678 coll. cum Livio III. 31. 32).

Ex hoc igitur capite vehementer errat Terrassonus (2), qui adfirmat : « Dans le temps de la députation des Romains c'étaient les lois de Solon qu'on observait en Grèce, ainsi il est certain que les lois de Solon entrèrent dans la composition de la loi des XII Tables ».

§ V. Jam ut adcuratius probemus, statum utriusque populi interiorem maxime diversum fuisse, eamus per singula.

Tempore Periclis Athenae praestantissimis monumentis ar-

(1) PLUTARCHUS in vita Periclis Vol. I. pag. 156. 157. 158. — BARTHELEMY Vol. I. pag. 261. 262.

(2) Part. II. § 1. pag. 84. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 41. 42. coll. cum pag. 45.

tium floruere, atque ingeniosissimorum scriptorum corona. Omnia erant ad Pulcri rationes expressa, ad formarum venustatem et cogitandi sentiendique decus, omnia, dico, publica et privata, religio et civitas. Urbs ipsa signis et delubris aedibusque publicis exornata sumtuosis et magnificis; diebus festis et ludis exhilarata : populus perpetuo omnis generis voluptatibus recreatus. Aurum et divitiae immensae profusae elegantiae exterioris causa : opera ingenii ad ornandum colendumque animum adhibita; et ut concinerent omnia, musica musicorumque certaminibus harmonia exterior cum elegantia interiori uniebatur.

De Athenarum statu audiamus Cel. Heerenium (1), qui eam his verbis reddit : « On ne connut qu'à Athénes la magnificence publique dans les édifices, dans les spectacles et dans les fêtes. La sobriété dans la vie privée facilitait les moyens de déployer cette magnificence; ce sentiment général de ses propres forces contribua à faire éclore les arts de l'esprit, le commerce de la vie n'étant point gêné par une ligne de démarcation entre les habitudes de la vie publique et celles de la vie privée. Tout ce qu'Athènes a produit de grand et d'illustre fut le fruit constant de cette harmonie, de cette vigueur pleine et entière dont jouissait la république. Du moment où la participation au gouvernement offrit plus d'attrait, on sentit le besoin de la culture de l'esprit. Ce fut alors que se formèrent les écoles des sophistes et des rhéteurs. Cependant leurs leçons ne tendaient pas tant à faire acquérir des connaissances qu'à exercer l'esprit; on

(1) L. l. pag. 194. 195. edit. Gallicae.

voulait apprendre à penser et à s'exprimer avec facilité. Mais une éducation toute poétique avait dévancé de beaucoup l'époque où l'on s'appliquait à l'éloquence, aussi ne perdit-elle rien de son prix : comme auparavant Homère fut toujours considéré comme le fondement de toute culture de l'esprit : de pareilles semences pouvaient-elles produire d'autres fruits que ceux que l'on vit éclore dans les chefs-d'œuvre des orateurs et des poètes tragiques et dans les ouvrages toujours nouveaux d'un Platon ». Urbs ad tantum splendoris fastigium pervenerat ut, ex Plutarchi sententia, similis esset mulieri insolenti, quae gemmis pretiosis se colit, (1) : atque ex omnibus momentis modo allatis adeo res perducta erat, ut eo tempore tota vita publica et privata aestimaretur, summaque vitae luxuria, singulorum licentia, plebisque effrenata libido omnes terminos transsiliret. Inde consequens est, apud Athenienses, vel sequiori hoc tempore et ea praesertim aetate, cuncta ad *hominem* fuisse relata et civem in homine interiisse (Cicero pro Flacco 26.); sensumque verae libertatis civilis cessisse licentiae et levitati. Justus enim ille et ingenuus δῆμος prorsus evanuerat inque locum ejus pervenerat ὄχλος, qui omnia ex vitae voluptatibus et habendi dominandique cupidine metiebatur (2).

Contra apud Romanos tempore Decemvirorum summa erat

(1) PLUTARCHUS in Pericle pag. 158. fin.

(2) CICERO De Rep. III. 52. — POLYBIUS VI. 7, 57. PLATO De Legg. III. pag. 700. — XENOPHON De Rep. Athen. I. 8. — DIO CASSIUS LII. 4. — ISOCRATES in Nicocle pag. 36. — BARTHELEMY Vol. I. pag. 265, 269, 272. — PLUTARCHUS in Pericle pag. 158. 159. — PLINIUS Hist. Nat. XXXVI. 5. — PLUTARCHUS De Glor. Athen. T. II. pag. 346.

omnium paupertas, nulla plebi libertas, ne dicam, voluntas; sed Optimatium imperium; quasi patriarchale et absolutum. Crudelis in pauperes et debitores acerbitas; animus ut a vitae mollitie, sic a Graecis artibus abhorrens (1). Nihil praeterea ad civem singulum, sed omnia ad *civitatem* referebantur; nemo sui studiosus esse potuit, nisi ipsa civitas. Ferrei Romani patriam solummodo spectabant, *homo in cive interierat* (2). Atque ut denuo utar verbis Heerenii illius; haec Urbis imago fuit : « A Rome on apprenait seulement à mourir pour la patrie, à Athènes on vivait pour elle ». Severitatem vitae privatae Romanorum illius temporis sic exponit Cl. Holtius (3) :

« Occurit sine dubio ille paterfamilias Romanus austerus et tristis, familiae suae princeps ac dominus, severa ejus potestas in servos, liberos et uxorem, dominium ex jure Quiritium, mulierum conditio quae in parentum, fratrum, virorum manu habebantur, angustum jus haereditatis, debitores in vincula conjecti, qui aliquando secabantur, postremo crudelia delictorum supplicia (4) ». Ut vero indoles illius aetatis paucis rite delineatur, sufficiet hic legem addere immitissimam contra debitorem nexum, quae haec statuit : « Aeris confessi rebusque jure judicatis, XXX dies justi sunto, post deinde manus injectio esto, in jus ducito.

(1) CICERO De Off. I. 42. — DIONYSIUS II. 58. — POLYBIUS XXXII. 12. 13. — WARNKOENIG Inst. jur. priv. Rom. pag. 38. — VAN DEN VELDEN l. l. pag. 34. 38 sqq.

(2) ARISTOT. De Rep. II. 5. — CIC. De Rep. III. 3 sqq.

(3) In Orat. De jure Praet. apud Rom. et Anglos (in Ann. Acad. Gron. 1820-1821) pag. 7.

(4) PIERCOT de jure puniendi. Leod. 1820 pag. 9. 10.

Ni judicatum facit, aut qui locuples endo eo in jure vindicit, secum educito, vincito, aut nervo aut compedibus, XV pondo ne majore, aut si volet minore, vincito, ni cum eo pacit, LX dies endo vinculis retineto, interea nundinis trinis continuis in comitium procitato, aerisque aestimiam judicati praedicato. Ast si pluribus erunt rei, tertiis nundinis *partes secanto*, si plus minusve secuerint, se fraude esto ». Quum certe nihil sit inhumanius jure debitorem in vincula conjiciendi libertateque exuendi : nihil praeterea potest excogitari crudelius illa corporis sectione, quam in debitorem statuebat lex. Vix enim est, cur respondeamus iis, qui, hoc certe loco, nimio humanitatis sensu ducti, sectionem istam, inepte, intelligunt de bonorum sectione : in quam tamen rem infra inquiremus uberius (1).

Quae cum ita sint, an vero est simile, Romanos petiisse leges ab Atheniensibus, quorum mores et vita publica privataque a consuetudinibus Quiritium agendique ratione tam insigniter differebant? Cur igitur illi, inter tot gentes cummaxime adiissent populum, qui ipsis nec religione, nec moribus aut indole similis erat, nulla ratione explicari potest. Cur instituta desumsissent ex legibus civitatis, cujus

(1) GELLIUS XX. 1. — QUINTILIANUS Inst. Orat. III. 6. — TERTULLIANUS in Apolog. cap. 4. — BYNKERSHOEK Obs. jur. Rom. Lib. cap. 1. — WINSSINGER De Dolo et Culp. pag. 119 (Annal. Acad. Lovan. 1821-1822). — HEINECCIUS Lib. III. tit. 30. § 3, ibique HAUBOLDUS. Ejusd. HAUBOLDI Observ. juris, Rom. I, 16. — VICAT Vocab. Juris Utriusq. Vol. III. pag. 724. 725, sub verb. *Nexi*. — ROBERTUS Rerum Jud. Lib. II, 6. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 180. — GIBBON pag. 73. 155. — MOLITOR De Minuta Existimat. apud Rom. Lov. 1824. Posit. XI. pag. 108. — BACHIUS pag. 45.

insignem levitatem, libidinosam vitam et ipsammet adeo elegantiam fere muliebrem summo contemtu prosequi ex natura sua debebant (1).

§ VI. *Continuatio Paragraphi prioris.*

Jus in XII Tabulis constitutum natura sua severum, triste, inhumanum, ut ipsa natio est, quae illud sibi sanxit : mores illud et vitam priscorum Quiritium unice refert ac melius exprimit, quam verbis dici queat; ita etiam abhorret ab Atticarum sive Solonearum legum humanitate, ut haec res sufficiat ad utrumque populum invicem a se distinguendum et sejungendum : in quam rem ipse ille consentit Valeriani (l. l. p. 95), his verbis : « Jo convenio ancora che molte sappiano di tutt' altro che d'Attica urbanità ». Hoc quisque sibi persuadebit, ut credat, qui in animum sibi revocaverit illud jus debitorem in carcerem detrudendi et secandi etiam, illam in jus vocationem, quae manu injectione et obtorto collo fiebat; morem « *in jure manum conserent* » (2) : patriam quoque potestatem vere orientalem, qua filius, qui jam summos gessisset magistratus, a patre ter venumdari, impune occidi poterat : vilem illam conditionem mulierum, quae in perpetua agnatorum tutela erant : jus illimitatum patrisfamiliâs, liberos ex arbitrio et pro lubitu exheredandi : potestatem mariti in uxorem, et jus de hujus delictis statuendi

(1) CICERO apud HIERONYM. Epist. X. 3. Conf. idem HIERONYM. in Comment. ad Pauli Apost. Epist. ad Galat. I, 3. — LACTANTIUS III. 14. — CICERO De Rep. I, 3. — DELWARDE l. l. pag. 57.

(2) GIBBON pag. 16.

eamque puniendi; facultatem divortii maritis concessam, mulieribus autem negatam; poenarum denique in delicta constitutarum severitatem, ne dicam *crudelitatem.* Nonne haec instituta omnino moribus humanioribusque Graecorum legibus repugnant?

Quis igitur audebit dicere, Duodecim Tabulas, in quibus haec sanciebantur, ab Atheniensibus fuisse petitas? Quis omnino sibi habuerit persuasum, populos veteres, quamdiu *integri* essent, ab aliis populis leges mutuasse, i. e. vincula ad coërcendum, quae quisque sibi quidem imponere ipse potest, cum libertate sibi ipse obediens, neque vero ferre aliena. Omnino velim mihi aliquem populum quis indicet, qui adversam ingenio gentium vetustarum cogitationem habuerit, aliis gentibus obediendi. Certum autem est et manifestum, hoc licet omnes populi fecissent, nunquam factum fuisse, nec fieri omnino potuisse a Romanis; ut postea videbimus adcuratius.

§ VII. Praeterea nulla omnino necessitas erat, leges Solonis Romam asportandi; quoniam plurima earum pars et ipsum omnium fundamentum jam Romae exstiterat.

Jam enim supra probavimus, momentum princeps constitutionis Soloneae fuisse CENSUM, sive ordinationem populi universi e bonorum aestimatione petitam. Solon nimirum diviserat populum suum per Classes *quatuor* secundum bonorum possessionem, et cuivis classi certa jura sanxit, ut tamen ad magistratus pervenire nemo posset, nisi qui ad tres classes primas pertineret; reliquae vero classi cum

tribus principibus daretur τὸ δικάζειν καὶ τὸ ἐκκλησιάζειν, i. e. *jurisdictio* et jus *comitiorum*.

Ea autem institutione voluit legumlator, ut qui luculentior esset et commodius viveret, is etiam liberos informare curatius ac cultiores et meliores cives, qui reipublicae regundae praessent, civitati suppeditare posset: deinde, quem ager suus ad solum patrium adnecteret, is etiam sanctiori amore patriam amplecteretur, ideoque enixius defenderet. Hoc pacto civitatis gubernacula fuere penes ditiores et optimos, quin aliquis a communi concilio patriae consulendi arceretur (1). Romanos jam pridem hunc Censum reapse habuisse cura Servii Tullii regis, aeque notavimus. Hic enim, nolens, ut in republica plurimum valerent plurimi, voluit, ut locupletissimus quisque plurimum quoque suffragiis valeret; quoniam is prae caeteris optimus esse putatur, cujus plurimum interest, ut sit in aequabili statu civitas. Sed hic populum per Classes Sex divisit; classi *primae*, ditissimorum, majorem centuriarum numerum dedit, quam reliquis omnibus; ita tamen, ut ne proletarii quidem, (capite censi) jure suffragii excluderentur (2). Haec

(1) Plutarchus in Solone pag. 87. 88. — Pollux VIII. 10. Segm. 130. — Aristoteles Politic. III. 8, 11. De Rep. II. 12. — Heeren p. 41. — Cicero De Rep. II. 22. — Sigonius De Rep. Athen. II. 2. — Pausanias Attic. 31, — Strabo IX. 274. — Bosius pag. 126. — Brunings pag. 119. cap. 13, Creuzer Roem. Antt. p. 93. — Sam. Petitus II. tit. 3. n° 3. 4. Vol. III. pag. 201. sqq. — Barthelemy Vol. I. pag. 78. 79. 80. — Bernard De Archont. pag. 39. — Harpocration in ἱππεῖς p. 198.

(2) Cicero De Rep. II. 22, ibique Cel. Maji Annotat. — Livius I, 43. — Gellius XVI. 10; XIX. 18. — Aristoteles De Rep. IV. 12. — Dionys. IV.

igitur similitudo nihil facit ad confirmandam traditionem, sed potius ad infringendam eam: nisi forte aliquis hoc quoque Romanos a Graecis usurpasse crediderit, ut Census Romanus *iisdem vitiis* laboraret, quam Census Solonis. Omni tamen ratione habita id certum est et exploratum, Romanos ex suis haurire fontibus potuisse, neque indiguisse peregrinis.

Reliquae vero Solonis leges, quae nondum Romae erant tempore XII Tab. e. g. ne ultra certum modum possidere agrum liceret (1) et alia instituta, quibus Plebi quoque ad honores et Senatum patebat via, aut alia ratione ad rem gerendam ascensus factus est; omnes quoque leges, a Solone institutae, quibus aut Optimatium dira potestas minueretur (2), aut Plebeji pauperes sublevarentur, aut nexus cor-

13 et 27 et cap. 5. — DELWARDE pag. 227. — MACIEIOWSKI pag. 33. 34. — BACHIUS pag. 6. 7. — GUNTHER pag. 27. — CREUZER l. l. pag. 94 seqq. — Cl. DUMBECKII Tabb. pag. 9. Col. g. — HUGO Civilist. Magazin III. 3. pag. 307-317. — NIEBUHR Rœm. Geschichte I. pag. 262. II. pag. 101. — GIBBON pag. 3. 7. 8.

(1) ARISTOTELES Polit. II. 7. 8. — BERNARD pag. 39 et 40 — SAM. PETITUS Lib. V. tit. 2, n° 1. Vol. III. pag. 490.

(2) Ante Solonem Archontes summique magistratus penes solos *Eupatridas erant*; hi soli suo, patrio, jure in Areopagum legebantur; ad ipsos pertinebat legum ferendarum et exsequendarum potestas, pertinuere judicia. Haec Solon abolevit. Abolevit igitur, quae a Patriciis sunt *instituta* Romanis; *restituerunt* Patricii, quae fuere *ante Solonem*, i. e. quae naturali *Patrum* et *Eupatridarum* jure ad ipsos pertinuerunt. — HEINECCII Thesaur. Tom. III. pag. 10. — SAM. PETITUS L. II. tit. 3. n° 3. 4. 5. Vol. III. pag. 201. 202. 203. — PLUTARCHUS in Solone pag. 88; in Aristide pag. 332. — BARTHELEMY Vol. I. pag. 78. 79. 80.

porum tolleretur, aut jura Optimatium et Plebis aequarentur; hae omnes leges Decemviris et reliquis Patriciis horrori esse debuerunt (1); et tamen, invitis illis, sed operante natura in homine libera, postea partae sunt; quoniam fuere sequelae sive *Census* seu *vitiorum* ejus necessariae.

Leges Solonis, quae, ad vitam privatam pertinentes, Romae nondum viguerant ante XII Tabulas, cum Romano ingenio non quadrabant. Legislator enim Atheniensium ex cive hominem facere voluit; curavit itaque, ut nullas animi dotes et vires incultas relinqueret; sed aeque omnes, pro illius aetatis rationibus, liberaliter educeret: unde artes ingenuae, poësis, eloquentia, delineatio, arithmetica, Homeri lectio, musica et saltatio proprie ad Atheniensem, et jussu legis, pertinuerunt (2).

Quam vero dispar sit Romanorum illius aetatis indoles; ex iis, quae superius diximus, facile patet. Juvenes enim ab infantia educabantur civitatis causa, ad quam omnia referebantur; Romae homo nihil erat, nemo liber, praeter civitatem. Graecorum juvenilis natura artes vel in religionem symbolis tralatae, pulchrae formae, reliqua, cum severitate atque gravitate Romanorum minime congruebant; sed Romano proprie contemtui fuerunt. Omnes itaque animae fa-

(1) Ut penitius intelligas indolem Soloneae reip. conf. J. LUZACII Cl. SOCRATES als burger beschouwd pag. 96. et JOHN GILLIE's History of ancient Greece cap. 13. — De natura vero legum Decemvirorum vid. DELFICO pag. 73 et seqq.

(2) PLUTARCH. Solon. p. 90 sqq. — BARTHELEMY V. I. p. 91 sq.

cultates incultae fere manebant : sed virtus, robur et fortitudo spectabantur solae : illud unum curabatur, ut ex juvene fieret *Civis* fortis et robustus, qui civitatem defendere possit omnesque pro ea labores et aerumnas sustinere. Nullo igitur modo fieri potuit, ut Decemvirales leges desumerentur e constitutione Solonis.

§ VIII. Argumentis, a nobis hactenus expositis, penitus adversatur Cl. Ciampi (1), cujus haec verba audi : « Si les loïs des Athéniens étaient démocratiques, ne contenaient-elles pas divers réglémens relatifs à la religion ou aux principes généraux de la justice parfaitement applicables à toute République établie sur des bases solides » ? Cum eo facere videtur Berriat St. Prix (2), qui haec perhibet : « Ce n'étaient pas sans doute des règles de droit public que les patriciens Romains cherchaient à recueillir en Grèce; mais des décisions de droit sacré, de droit naturel ou de droit privé, qui sont applicables sous toutes les formes de gouvernement ».

Sed primo praecepta universalia aequitatis et justitiae, sive juris naturalis (sensu vere philosopho) Romanis apud Athenienses non erant quaerenda : haec enim omnibus populis communia sunt et innata : ideoque ad illas aeternas regulas cognoscendas non opus erat Romanis, Athenienses adire; sed ipsa ratio leges de ea re statuendas ipsos docebat (3). Imo

(1) Recueil encyclop. du mois de Juillet 1822. pag. 137.

(2) Them. Tom. IV. pag. 308.

(3) Conf. omnino CICERO pro Milone cap. 4. — LACTANTIUS Divinarum Inst. Lib. VIII. 8.

eaedem facilius et certius cognosci a Romano potuerunt, quam a Graeco homine. Ille enim nunquam adolescens erat, hic semper; i. e. hic perpetuo ad materiam adstrictus erat, ille nunquam, sed fuit continuo vir, in partem mentis vergens, ex eaque agens prudenter (1).

Hoc ipse fatetur Valeriani, qui (p. 95) dicit: « Jo convenio con Vico, che molte leggi decemvirali sieno di tanta simplicità, che la ragione puo ad ogni populo suggerirle, e che pero si potevano pur da' Romani cognoscere senz' apparle in Atene ». Deinde non magis legibus Graecorum sacris indigebant Romani. Sunt enim sacra cuivis genti innata et deinceps a patribus tradita inque vitam et mores traducta. Praeterea religiones jam pridem a regibus, praesertim a Numa Pompilio ordinatas fuisse, nemo ignorat. Quis enim nescit, Collegium Pontificum religionis moderatorem, Flamines, Salios, Virgines Vestales aliosque sacrorum ministros sacra e propriis legibus curasse (2)? Templa fuere jam pridem Summo Jovi dicata, aliisque diis. Ritus quoque et caeremoniae, quibus irata numina placarentur, erant ex longo tempore ordinata; neque omnino, circa sacra, quidquam *receptum* est in XII Tabulas, quod non antea viguisset, ut testatur Cicero (De Legibus II. cap. 10).

(1) S. ERHARDT Encyclop. philos. § 92 et 104, a Cl. DUMBECKIO in Latinum sermonem versa.

(2) CICERO De Rep. I, 14, coll. 6. 16 ibique MAJUS. — DIONYS. II. 67. III. 67. — TERTULLIANUS Apolog. cap. 21. — Cl. DUMBECK Tabb. pag. 9. Col. g. — GELLIUS I. 12. — ROSINI Lib. III. cap. 19, Lib. II. cap. 12. — CREUZER l. l. pag. 231. 232.

Imo sub regibus lex lata fuisse videtur, ne peregrina sacra in Urbe reciperentur (1); quae res satis superque confirmabatur SCto de Bacchanalibus, *ducentos sexaginta quinque annos post leges latas perscripto*. Sed religio Graecorum non etiam potuit in civitatem Romanam convenire. Antiquitus enim, qui religiones scribere populis suis voluerunt, eas ex sensu populi et ingenio totius nationis instituebant. Homo deos ad similitudinem sui habebat et eos colebat instar patrum et dominorum; quorum illud de Graecis, hoc de Romanis valuit. Fabricabantur sibi religionem suam Graeci ad sensuum oblectationem, auctore quidem Homero, ut ait Herodotus (2); igitur deos multos habuere, seu numen sibi variis formis repraesentaverunt; uno verbo, POLYTHEISMO utebantur, ICONOLATRI fuere. Secus Romani, qui ab initio, et tempore quoque XII Tabularum, NATURALEM CULTUM IGNIS habebant, MONOTHEISMUM vere orientalem, absque imaginibus et, primis temporibus, fere sine templo. Erat ipsis numen illud UNUM, *Jupiter Latiar*, cum antithesi muliebri, *Launa* seu Junone, coelum terramque, i. e. *mundum*, sistens, quasi *Melkart-Melitta*, *Moloch-Astarte* Poenorum. Atque hac ratione non solum nihil a Graecis sumi potuit, sed Sa-

(1) LIVIUS I. 19 seqq. — DIO CASSIUS LII. 36. pag. 688. 689. — LIVIUS IV, 30. XXV. 1. XXXIX. 16. — VAL. MAXIMUS. I. 3. — CROPP l. l. Part. I. pag. 81. — BACHIUS pag. 86. — HEINECCIUS Adpendix Lib. I. cap. 1. § 70. pag. 291 et ibi HAUBOLDUS. SIGONIUS De Ant. Jur. Civil. Rom. I. 8. pag. 116. — PET. FABER Semest. III, 1. — Cl. BYNKERSHOEK de Cult. Religion. Pereg. apud vett. Romanos, Diss. II. Tom. I. p. 414.

(2) Cfr. BARTHELEMY Voyage du jeune Anacharsis Vol. I. pag. 45. — HEEREN Ideen Th. III. Abth. I. Abschn. III. Relig. der Griechen, pag. 67 seqq. — BOSIUS pag. 13. 104.

baeismus unius necessario reluctari debuit Idololatriae alterius populi, et odium parere implacabile, ex religione petitum, inter utrosque (1).

Sed ex hac religionis Graecorum et Romanorum diversitate firmissima repetuntur argumenta contra traditionem nostram. Cum enim apud antiquas gentes non solum cum civitatum constitutione seu jure publico arctissime cohaereret religio, sed etiam cum jure privato : cum praeterea et religio omnino, et praesertim religio privata in nullam civitatem magis dominaretur, quam in Romanam : cum eadem penitus adversaretur religioni Graecorum, apud quos privata sacra, sensu Romano, fere nulla fuere; cum denique religio a re publica non esset *sejuncta*, sed utraque inter se maxime cognata; igitur una sine altera Romam asportari non posset; sequitur, ipsam religionem vetuisse, ne leges peregrinae introducerentur.

(1) De hac re vide celeb. Boettiger, Ideen zur Kunstmythologie. I Cursus, 1 Abschn., quem locum nuperrime mihi indicavit ill. Dumbeckius; cujus totam Orationem de Re Publica Literata Ordinanda, et inprimis Commentarios ei adjectos, lege; ubi quae de Graecorum Romanorumque indole, moribus, rebusque diximus, et uberius prostant et clarius. Ipse enim illis tantum uti potui, quae vir doctiss. in scholis me docuit; hoc vero opere, quod ante hos tantum dies prelum reliquit, uti mihi non licuit; quoniam haec Commentatio eadem forma typis exprimenda est; qua ipse eam ad Ordinem Philos. et Literator. miseram; quod vehementer doleo. Cfr. praeterea Bonamy (Mém. de l'Acad. des Inscr. T. XII. p. 32), coll. cum Dionysio II. 7.

CAPUT TERTIUM.

§ IX. Haec igitur omnia argumenta probare mihi videntur, Romanos ab Atheniensibus leges non accepisse, traditionemque a Livio et Dionysio prolatam veritate esse destitutam. Fieri tamen potuit, ut ex verborum quadam confusione, quae in ejusmodi traditionibus esse solet, auctores erraverint crediderintque, Romanos ab Atheniensibus leges petiisse, quia forsitan illi sua instituta apud quendam Graeciae populum quaesiissent; unde mirum non foret, si id, quod de Atheniensibus narrabatur, ad alium Graeciae populum pertineret. Videamus igitur, an ejusmodi populus revera inveniatur. Si quis in orbe terrarum congruas cum Romana indole leges suppeditare potuerit, is prae ceteris Spartanus esse debuit. Quidquid enim similitudinis est inter Romanam et aliarum gentium constitutionem, hoc omne in instituta *Laconica*, sive *Dorica*, cadit. Quare complures auctores reapse scripserunt, Romanos in XII Tabb. quasdam leges assumsisse a Spartanis : quo pertinent Athenaeus, Symmachus, Justinianus, Plinius et Ammianus Marcellinus, quorum ipsamet verba supra attulimus (1).

Revera dubitari nequit, aliquam intercedere inter utramque constitutionem similitudinem; de qua paucis monendum est. In XII Tabulis de tutela legitima legitur : « At si intestato moritur, cui suus haeres nec escit, agnatus proximus

(1) Cfr. Cl. GRATAMA pag. 12.

tutelam nancitor (1) ». Idem vero fuisse receptum apud Spartanos, innuere videtur Herodotus (I. 65); ubi ipse Lycurgus dicitur « Ἐπιτροπεύσας Λεωβώτεω, ἀδελφιδέου μὲν ἑωϋτοῦ βασιλεύοντος δὲ Σπαρτιητέων » (tutor et idem patruus Leoboti Spartiatarum regis). Unde Heineccius (2) opinatur, Decemviros eam legem desumsisse e Spartanis legibus : cui adstipulatur Cl. Hauboldus (3). Si vero totam civitatis Lycurgeae constitutionem consideramus, eadem similitudo cernitur eo, quod I. *Bini* essent Reges e binis gentibus cognatis desumti, tanquam belli duces et magistratus supremi. II. Quod, ut eorum potestatem, antea illimitatam, jure circumscriberet Lycurgus, ipsis adjiceret γερουσίαν, i. e. constitueret XXVIII viros, ad minimum sexagenarios, a populo in Comitiis eligendos, qui perpetuo consilio suo reges adjuvarent et a quibus omnes res, ad civitatem pertinentes, examinarentur, antequam ad populum ferrentur (4).

(1) Gothofredus ad XII Tab. (Tab. V. pag. 96). — Bachius pag. 49. — Bouchaud pag. 54. 55. Vol. I. — Coll. Legg. Rom. et Mos. tit. ult. § 4. — Terrasson P. II. § 7. pag. 131.

(2) Antiq. Rom. Lib. I. tit. 13. § 5. pag. 166. 167.

(3) Ad Heinecc. Antiq. Rom. § 3. not. g. pag. 4. — Cragius De Rep. Lacon. II, 11. — Bachius pag. 27, ibique *Stockman*. — Schubart De fat. jur. prud. Rom. § 24.

(4) Plutarchus in Lycurgo cap. 5. 26, pag. 42 et 43. — Gronovii Thes. Vol. V. pag. 2526. 2527. — Plato De Legib. pag. 692. — Justinus III, 3. — Cicero De Rep. II. 28, ibique *Majus*. Barthelemy Vol. IV. pag. 101. 102. — Rollin, Manière d'enseign. et d'étud. les bell. lett. Tom. III. pag. 348. — Ferrand loc. laud. Tom. I. pag. 193 seqq. 217 seqq. — Dionys. II. 14. Tom. I. pag. 264. De qua re, ut adcuratius informeris, vide Rollin Tom. III. pag. 354 seqq. 365 seqq. — Heeren pag. 135. 136. — Aristoteles De Rep. VIII. cap. 1. — Barthelemy Vol. IV. pag. 131 seqq. — Plutarchus in Lycurg. Tom. I. pag. 50.

Quod attinet ad vitam privatam, Lycurgus voluit, ut unusquisque sibi persuasum haberet, se non esse, nisi propter solam civitatem, cui caecam et absolutam obedientiam habendam jussit; ita, ut nemo esset sua caussa, nemo fere haberet voluntatem suam. Omnia praeterea luxuriae et voluptatum genera, quae apud Athenienses in usu erant, amovit adeo, ut spectaret nihil, nisi corporis robur et mentis (1); quare juvenes non ingenuas artes docebantur, sed publice, auspiciis magistratuum, diu noctuque saltu, cursu, armis, venatione, natatione exercitabantur: omnino juventus non ad parentes, sed ad civitatem pertinebat (2).

Militarem rempublicam instituere virtutemque rudem illam et immanem pro humanioribus artibus voluit; quam rem adeo ille pressit, ut illud unum, vel cum dispendio naturae ethicae, sectaretur. Bellum unicum vitae consilium esse voluit; unde ex Spartanis populum creavit ferocis cujusdam libertatis amantem, inflexibilem, tenacissimum (3); uno verbo, corpus omnibus vitae publicae privataeque calamitatibus subactum, virtus atque dignitas in eo, sicut in Romano, conspiciebantur.

Quum haec omnia instituta maxime cum Romanae civi-

(1) Rollin Tom. III. pag. 348. — Cragius Lib. II. cap. 3. — Pausanias Lib. III. cap. 11. pag. 231. — Herod. VI. 57. — Barthelemy pag. 105, 106, 110. — Aristotel. De Rep. II. 9. — Polyb. VI. pag. 488.

(2) Barthelemy Vol. IV. pag. 136 et 156.

(3) Cicero pro Flacco 63. — Rollin pag. 373. 385. — Barthelemy Vol. IV. pag. 132. 133. 135 seqq. — Pausanias III. 14. — Plutarchus Inst. Laconic. Tom. II. pag. 237. 239.

tatis indole congruant, Polybius (VI. 43) Romanorum rempublicam accurate prolixeque cum Laconica conferebat. Non secus, eadem utriusque similitudine ductus, civiles ac militares utriusque civitatis leges inter ipsas comparabat Dionysius (II. 12, 14) earumque mutuas rationes exponebat (1). Haec igitur similitudo non nullis persuasit, ut crederent, originem Romanarum legum a Spartanis esse repetendam (2). Sed eos in eodem errore versari cum aliis, qui Lycurgum ipsummet suas leges a Cretensibus obtinuisse asserunt (3), probare conabimur.

§ X. Priusquam de hac re dicamus, haec tenenda sunt. Ab antiquissimis inde temporibus in Italiam descenderat gens bellicosa et frequens, Etruscorum nomine insignita. Etrusci vero aeque dicebantur Tyrrheni, quae erat alia ejusdem populi stirps, cui accedebat tertia, Tuscorum adpellatione nominata: quae tres *stirpes* populum constituere unum. Hic populus successu temporum Italiam occupavit ab Alpibus ad Tiberim, ita ut totius Occidentis haberetur celebratissimus; quod e Bacchi, terrarum dominatoris fabula hauritur, qui dicitur subjecisse et Indos et Tyrrhenos, i. e. orientem et occasum.

Tota gens per foedera discessit, quodvis duodecim civi-

(1) Vid. Aristoteles De Rep. II. 11.

(2) Schubart l. l. II. 23 seqq. — Car. Louardus ad leg. Glic. Dresd. 1762, pag. 18 seqq. — Bouchaud pag. 47. — Merula De Legg. Rom. cap. 12. § 1.

(3) Heeren p. 157. — Bouchaud p. 42. — Plutarch. in Lycurg. p. 41. — Barthelemy Vol. IV. p. 187 seqq.

tatibus constans, quae totidem fuere, cum ambitu quaevis suo, urbes, uni metropoli parentes in rebus summis; in levioribus vero a se plane liberae. Principes harum civitatum fuere Lucumones (casta sacerdotalis) omnium rerum Rectores. Urgente tamen bello nonnunquam fiebat, ut tria foedera unirentur, ipsisque imperaret caput ejus foederis, cujus in gratiam bellum erat susceptum (1). Tertium foedus circa Tiberim sedebat, ejusque metropolis, ante Romam conditam, fuisse videtur Alba-Longa, urbs totius Latii veteris opulentissima et potentissima (2).

Innuit obscura quaedam traditio Livii in eam sententiam, ac si haec civitas, motibus civilibus quassata, emissaque duce Romulo (et Romulea Gente) in illam terram, ubi Roma condita est, et quae ad ambitum Albae Longae pertinuit, incolarum parte, Urbis Romae parens facta fuerit (3). Unde gentes advenae, nobiles et opulentae, in nova Urbe principes fuere, *Patriciarum* nomine insignes, quarum patresfamilias *Patres* dicti sunt (Cic. De Rep. II. 12); cum caeteri, ex variis locis advenae et inopes, sed civitate donati atque ad plebem relati, praeter capitis libertatem, nulla fere alia fruerentur (4). Hinc satis colligitur, Romanos fuisse Etruscos: quod his argumentis magis etiam efficitur: I. Romulus non erat rex (ut ita dicam) legitimus, sed Lucumonibus obluctans

(1) DIONYS. III. 26. — FLORUS I. 5.

(2) NIEBUHR l. l. Tom. I. p. 64-69.

(3) Clar. DUMBECK Tabb. laudd. pag. 7. Lit. e.

(4) WARNKOENIG Inst. Jur. Priv. Rom. pag. 13. — MACIEIOWSKI pag. 26 seqq.

caput bellatorum, illorum tamen potestate sibi arrogatâ (1).

II. Novi advenae, more plane Etrusco, Urbem condiderunt religione et sacro ritu, qui simul agrorum cultum ejusque necessitatem indicavit per symbola expressam.

III. Condiderunt festis Paliliis, nomenque dederunt arcanum, sanctum, cum rebus Etruscis plane congruum.

IV. Non ritus tantum, sed forma quoque Urbis antiquae, quae erat quadrata, (Dionys. I. 21. II. 17), originem paene orientalem et vere Etruscam redolet (Plutarchus Rom. p. 25), ut etiam fatetur Varro (De Lingua Latina IV, pag. 34, 35).

V. Ipsum nomen *Quiritium* idem demonstrat; nam Quirites vocati sunt Romani a Quirino (§ 2. Inst. de jure nat. gent. et civ.); Quirinus autem erat Deus Etruscorum (cfr. praesertim Dumbeckius Or. l. n. 17. p. 272-281.) bellatorum.

VI. Divinatio et Auguria, quibus ex sideribus, fulgure, signis, portentis, terrae motu, cantu, volatu et numero avium et intestinorum inspectione futura *augurabantur*, atque perpetuo Romae valuerunt et constitutionis fundamentum fuere, plane Etrusca sunt (2). De eadem re doctus Gallus (3) haec fere perhibet:

(1) Cic. De Rep. II. 8, ibique Majus. Macieiowski pag. 57. — Clar. Dumbeck Tabb. pag. 11. Litt. g. praesertim vero ejusd. Adnot. septim. ad Orationem supra laud.

(2) Urbem *auspicato* conditam fuisse supra diximus, de qua re cfr. Cicero De Rep. II. 9. 29; ex Auguriis decidebatur, utrumne Romulus, an Remus novae Urbi nomen daret. Vid. Cic. De Div. I. 2. De Legg. II. 9. De Rep. II. 3. — Dionys. II. 2. 6. — Plut. Romul. p. 22. 23. 31. — Liv. I. 6. 36. XXVII. 37. coll. X. 6. — Chapman Essai sur le Sénat Rom. p. 5. 6. 36. Dumbeck Tabb. laudd. p. 9. L. g.

(3) Antiquités Etrusques cet. gravées par David, avec leur explication

« Les cérémonies augurales de même que la plus grande partie des rites religieux que prescrivit Numa Pompilius aux Romains, étaient pris des Etrusques, desquels son successeur emprunta les ornemens de la Royauté qui sous la république devinrent ceux de la magistrature ».

VIII. Idem dicendum est de Insignibus, Nominibus Gentiliciis, Sella Curuli, Toga purpurea, Vestimentis talaribus, Corona et Sceptro regio, Lictoribusque Romanorum, quae cuncta Etrusca sunt (1).

IX. Confarreatio, quae a primis inde temporibus in usu fuit (Dionysius II. 25), sive Ritus Nuptiarum antiquissimus, quo certis verbis et coram testibus decem atque solemni facto sacrificio, cui panis quoque farreus adhibebatur, uxor conveniebat in manum mariti, Etruscae originis est. (Dionysius II. 9). Ex qua re facile explicatur, quo pacto statim ab initio duae formae diversae matrimonii contrahendi observatae sint, quibusque uxor in manum mariti vel conveniebat, vel non (2).

par D'HANCARVILLE; Paris 1785. I. pag. 30. 31. 32. — Conf. Histoire univers. depuis le commenc. du monde jusqu'à présent, traduite de l'Anglais d'une société de gens de lett. Amst. et Leipz. 1746, T. VIII. pag. 16. — Encyclop. Tom. XIV. pag. 338. 339.

(1) SYMMACH. Ep. III. 11. — SALL. Cat. 52. — BOUCHAUD I. p. 43. — Cfr. CIC. De Rep. II. 17 ibique *Majus*. BACHIUS pag. 3. — PLINIUS VIII, 48. IX. 39. — MACROB. Satur. I. 6. — DIODOR. V. 40. — LIVIUS I. 8. — TERTULLIAN. Pall. cap. 1. — DIONYS. III. pag. 195. X. pag. 682. — CREUZER pag. 129.

(2) HUGO Ephemerid. jur. civ. Tom. V. pag. 140, Berolini 1814. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 629. — SERVIUS ad *Virg.* Aeneid. X. vers. 541. — HAUBOLD ad *Heinecc.* I. 10. 2, pag. 126. HEYNIUS Opp. Acad. I. pag. 352.

X. Huc pertinent Romanorum Libri Sibyllini, similes Libris Ritualibus Etruscorum (Festus sub voce *Rituales Libri*).

XI. Plutarchus ipse (in Romulo cap. 23) Romulum, refert, in Urbem adscivisse Etruscos, a quibus religionis mysteria et caeremonias acceperit. Auctor igitur celeberrimus hic intelligebat, priora tempora Romanorum Reipublicae Etruscam vitam plane referre, (idem testatur Dionys. II, 7.); sed hoc loco res ita cum Dumbeckio explicanda mihi videtur, ut Romulum intelligamus *Bellatorem* et usurpatorem absque Patriis, i. e. Etruscis ritibus, populum regere non potuisse; quae fere eadem erat ratio Persarum Cyri et Magorum.

XII. Ordo sacerdotalis, qui apud Etruscos in reliquas Castas dominabatur, Romae quoque viguit, in Patriciis nimirum, cui subjecta fuit casta altera, quae erat Clientum (*colentium*). In qua re denuo cum Dumbeckio illo faciendum est, qui, ab initio, ait, *solos Patricios populum* constituisse, i. e. Patriarchas familiarum, qui simul sacerdotium habuere, classem hominum sanctiorem et erectiorem, caeteris hominibus clausam (1), constituisse, quae non solum juribus et praerogativis gaudebat maximis, sed sola juribus fruebatur. Unde primis temporibus Magistratus ex solis Patriciis sumi poterant; quod jus erat hereditarium in Patriciis gentibus. Porro iisdem erant sacra propria et privata et auspicia majora, quae Ple-

— Gibbon pag. 44. — De l'enseig. du droit dans ses rapp. avec la civilisation et l'état actuel de la science par Rossi (Ann. de legisl. et jur. prud. Genève 1820. Tom. I. Part. I. pag. 13. 14). — Pirmez De marito tori viol. vind. Lov. 1822 pag. 12. — Gans in Scholiis ad Gajum, Berolini 1821, pag. 145.

(1) Gfr. Maciejowki pag. 36 seqq. 43.

bejis, ne magistratibus quidem, concedebantur: ipsis enim *gens* (1) erat; penes eos erat rerum divinarum et humanarum doctrina; ii soli jus noverunt et dixerunt, ita ut arcana illa doctrina, quae Etruscis sacerdotibus tantam auctoritatem subministrabat, in Patriciis quoque Romanis insita esset. Unde bene habet illud J. Lydi (De Magistratibus, I in prooemio), qui, *omnes* magistratus antiquissimos fuisse *Sacerdotes*, refert (2); unde constat, Patricios revera fuisse sacerdotes Etruscos (3), qui, cultiores, e patria egressi, deprehendebant in ambitu Romae gentem rudem, palantem, pauperrimam; quae armis illorum et eruditioni cessit et auxilio et tutela et divis eorum utebatur.

Haec sententia confirmatur ipsa significatione verbi *Clientes* (sive colentes). *Colere* enim de divis seu divinis hominibus usurpatur. Unde in forma reipublicae Etruscorum theocratica cuncta ad summum sacerdotem referebantur; atque explicatur Ciceronis illud (De Rep. II. 8): « Patres dicebantur ob caritatem » i. e. *a pietate* (4). Clientela itaque est elementum prorsus orientale, Etruscis innatum. (Hugo Hist. jur. pag. 53).

(1) TERRASSON Part. I. § 6, pag. 34. — BONAMY (Mémoires de l'acad. Tom. XII. pag. 67. 68. — GIBBON pag. 4. — VICO pag. 69 seqq.

(2) Cfr. GELLIUS XIII. 14.

(3) VICO in op. laud. (ed. Lipsiens. 1822) pag. 95, 120, 385, 404, 456, 480. — DELFICO pag. 63 seqq. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 75. — MACIEIOWSKI pag. 29. — DELWARDE loc. laud. pag. 41. 105. 223. 224, (qui eam rem ex DUMBECKII sententia exposuit). Pessime vero de eadem re ratiocinatur VAN DEN VELDEN l. l. pag. 28. 29.

(4) Cfr. MACIEIOWSKI pag. 30. 31. — VAN DEN VELDEN l. l. pag. 17. — CIC. pro Plancio 12. de Nat. Deor. I, 41. II. 61.

Quod si quis magis confirmari cupit, id fieri mihi posse videtur ex severitate poenarum, quae in delicta, quibus dii laedi videbantur, inferri solebant. Sic enim qui terminum moverat, morte puniebatur; quoniam illud delictum tanquam violatio termini a Diis positi considerabatur (1); quae res apud Hebraeos quoque valuit, qui agros non suo jure possidebant, sed tanquam villici Jehovae.

Praeterea poenae apud eos pro mediis fuere iram deorum placandi (2). E rebus allatis sequi videtur, Romanos si quid unquam ab aliis acceperint, hoc hausisse ex genuinis maxime fontibus, ex Etruscis nimirum, i. e. ex jure moribusque patrum suorum, quorum totam vitam referebant et a quibus originem petebant suam rerumque suarum (3).

Superest, ut de ratione videamus, qua forte Romanae res cum Spartanis propria indole sua cohaesissent; quam ob rem haec nobis praemittenda esse videntur. Dores (ex quibus Spartani descendebant) irruerant ex septentrionali Graeciae parte, ad Peloponnesum (quondam suam) armis recuperandam. Sed Dorum erat in his agminibus parva manus. Maxima pars erat ex gentibus borealibus, non Graecis, praesertim e Thraciae incolis petita (4). Hi vero ipsimet descenderant ex Asia boreali.

(1) WINSSINGER De Dolo et Culpa pag. 151.

(2) Idem pag. 114. — WINS De Suppl. capitis tollendo. Lovanii 1825. pag. 17. — G. DEWAL Hist. jur. crim. pag. 6. 7. 8 (in Ann. Acad. Groning. 1820-1821).

(3) Vid. DIONYS. IX. 5. — LIV. I. 8. IX. 36. — FESTUS v. *Rituales libri.*

(4) DUMBECKII Tab. pag. 5. Lit. f. et pag. 7. Lit. d.

Jam vero certum esse videtur, Etruscos venisse ex Alpibus Rhaetiae (1); unde Dores et Etrusci orti fuisse videntur ex uno eodemque stemmate, quod ipsummet e communi vagina gentium in varias terrae partes migrabat. Instituta itaque Dorica, quae ipsis cum Spartanis communia erant, eadem esse potuerunt Romanis, iisque cognata; unde simul exploditur sententia eorum, qui Romanos leges suas a Spartanis obtinuisse dicunt (2).

Praeterea historica fide constat, Romulo rege Sabinos in civitatem Romanam fuisse receptos. Unde, Romanos partim e Sabinis originem duxisse, sequitur (3). Sabini vero ipsimet fuere Etrusci (4); non Laconum colonia, ut volunt alii. Exinde nunc facile explicari potest similitudo inter Spartanas et Romanas leges. Pariter inde explicatur locus Plutarchi (in Numa cap. 2, et Dionysii II, 23), ubi dicitur: Numam [qui Sabinus (5) erat, et ideo Etruscus] Laconica instituta reipublicae Romanae miscuisse. Cicero quoque (De Rep. II. 9) Romuleas leges cum Lycurgeis sic confert: « Quo facto primum vidit judicavitque idem, quod Spartae Lycurgus paulo ante viderat, singulari imperio et potestate

(1) Idem p. 11. Lit. g. — WACHSMUTH, Aeltere Gesch. des Roem. Staates. Halle 1819. p. 81 sqq. — Mém. de l'Acad. des Inscr. Vol. XVIII. p. 93-115.

(2) HEEREN pag. 160 et 335.

(3) CIC. De Rep. II. 6. 7. — SERV. ad Aeneid. VII. 709. — AUGUSTIN. De Civ. D. IV. 23. — LIV. I. 13. — HEEREN p. 343 sq.

(4) In errore versatur DIONYSIUS II, 49, coll. tamen XII. 10 et MAJUS ad CICER. De Rep. II, 23. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 57.

(5) CICERO De Rep. II. 12. 13, ibique Cl. *Majus*.

regia tum melius gubernari et regi civitates si esset optimi cujusque ad illam vim dominationis adjuncta auctoritas. Itaque hoc consilio et quasi Senatu fultus et munitus bella cum finitimis felicissime multa gessit ». Idem eodem modo loquitur (ibidem cap. 23) : « Statu esse optimo constitutam rem publicam, quae ex tribus generibus illis, regali et optimatium et populari confusa modice, nec puniendo irritet animum immanem ac ferum, ut antiquissimus ille Lycurgus eadem vidit fere. Itaque ista aequalitas atque hoc triplex rerum publicarum genus videtur mihi commune nobis cum illis populis fuisse ». Tandem tenenda est ejusdem sententia, in eodem libro prolata (cap. 28), ubi haec leguntur : « Lycurgus γέροντας Lacedaemone appellavit, nimis is quidem paucos, quos penes summam consilii voluit esse, cum imperii summam rex teneret. Ex quo nostri idem illud secuti atque interpretati, quos senes ille appellavit, nominaverunt Senatum, ut etiam Romulum Patribus lectis fecisse diximus » (1). Unde patet, magnam adfinitatem, quae inter leges Spartanorum et Romanorum invenitur, jam SUB REGIBUS invaluisse; eam igitur non ex legatione Decemvirorum apud Lacedaemonios explicandam esse; sed meliori jure ex communi utriusque populi origine. Ex qua eadem re intellectu non est difficile, quo pacto Cretensium leges cum Romanis et Laconicis quadam ratione cohaesissent Aristotelis sententiâ (De Rep. II. 9. 10.). Cretentes enim pariter ad Doricam gentem pertinebant.

(1) De eadem similitudine vid. CIC. De Rep. II, 12. 32. — DIONYSIUS II. 12. 14.

Ex hac communi origine sponte sua patet, cur idem jus de legitima agnatorum tutela Romae et Spartae fuerit observatum : illiusque similitudinis ratio satis commode explicari potest, cum haec tutela legitima jam *ante leges Lycurgi* viguerit, ut patet ex Herodoto (I. 65); unde consequens est, eam legem ex moribus gentium Doricarum originem habuisse, et ex ea ratione Romanis cum reliquis Doricis nationibus fuisse communem. Praeterea idem fere jus jam Charondae legibus sancitum fuerat (1).

Praecipua tamen similitudo, quae inter Spartanos et Romanos intercedit, cernitur ex forma reipublicae, quae in utraque civitate Senatum et Duos Reges monstrat (2). Verum primo in Romana republica res jam ita se habebant ante leges XII Tabularum; deinde constitutionis illius origo repetenda est ex potestate patriarchali. Antiquitus enim proprie imperatum non est; sed rem tenuere gentium patres; qui suo jure sanctissimum collegium constituebant, quod apud omnes peraeque gentes cernitur. Illi soli erant cives, illi soli populum constituebant (3); unde postea jus nobilium ortum

(1) DIODORUS SICULUS XII. pag. 81. — HEINECCIUS Lib. II. tit. 5. n° 5. pag. 166, coll. cum pag. 4.

(2) Consules Romani regiam plane habuere potestatem, ne dicam majorem. Vid. Cl. NIEBUHR Tom. I. pag. 339. Tom. II. pag. 11. — DUMBECK Tab. pag. 11. Col. f. — CICERO diserte eos *reges* vocat De Rep. II. 33. De Legg. III. 3. — LIVIUS II. 1-4, coll. 3. — DIONYS. V. 1. — POLYBIUS VI. 11. — CREUZER pag. 132. BONAMY pag. 36. 37. — GUNTHER § 31. — GRUNDLER pag. 111.

(3) Hoc optime vidit auctor sagacissimus libri : Considérations sur l'origine et les révolutions du gouvernement; cujus sententiam temere impugnat BOUCHAUD Vol. I. pag. 37, in nota.

est, sive eorum, qui loco nobili nati fuerant; quae privilegia Romae Senatoribus primis, seu *Majorum Gentium*, erant innata. Romulus vero Rex erat ex vetusta gente natus et, ex casta bellatorum, dux coloniae.

Postea, regibus exactis, Consules sive duo reges pro uno non instituebantur sed potius, ut Dumbeckii sententiam amplectamur, *restituebantur*. Haec igitur reipublicae forma ab initio apud Romanos ex rebus et temporibus nascebatur, non a Spartanis repetebatur.

Reliqua instituta, quae apud Romanos aeque et Spartanos inveniuntur, e sola vitae patriarchalis ratione explicari possunt, quam Romani babuere ab Etruscis, apud quos, si apud ullum unquam populum, omnia morum patriarchalium elementa prostabant. Unde sequitur, eas quoque leges, quae ex Theocratica forma oriri debuerunt, apud Romanos et Etruscos inveniri debuisse, cum illi horum essent coloni, Albâ-Longâ emissi, sacerdotes. Quae vero leges utrique populo communes non ex vita patriarchali enucleandae sunt, satis commode explicantur ex severa, ne dicam feroci, Romanorum indole natoque ex ea principio, in quo omnis respublica nitebatur, *cuncta ad civitatem referendi*.

Ex his omnibus, quae superius diximus, sequitur : ante Legem XII Tabularum Laconica instituta apud Romanos jam viguisse. In quam rem ipse adeo Augustinus innuit, qui (De Civ. D. II. 16) : « Lycurgus, ait, Lacedaemoniis leges ex Apollinis auctoritate se instituisse confinxit; quod prudenter Romani credere noluerunt; *propterea non inde ac-*

ceperunt (1) ». Licet autem recte neget vir clarus, Decemviros ex jure Spartanorum leges desumsisse, tamen rationem quam affert, nullo pacto probare possumus.

In eandem sententiam discedit Clar. Arntzenius, (2) dicens : Lacedaemoniorum jura, receptis in Urbem Sabinis, Spartanorum quippe colonis, Romae jam sub regibus invaluisse et tanquam patria Romanorum instituta unâ cum legibus Regiis in XII Tab. perscripta, adeoque ex jure Quiritium antiquo depromta, non a Lycurgo per legatos expetita esse. A Spartanis nihil accepisse Romanos, aeque contendit Valeriani (3), sed aliis rationibus ductus.

Quapropter viri clarissimi verba, quibus nostra sententia mirum in modum confirmatur, exscribenda censuimus : Haec enim scribit : « Certo che Sparta e Creta, gia così poste da loro Legislatori quasi tra i popoli é gli nomini ardesse. Guerra perpetua, arrian potuto acconciamente instruire gli ambasciadori di bellicosa repubblica, quale fu sempre Roma, e qual vie piu si apparecchiava di essere : ma i discendenti di Romolo non bisognavan di estrani ammaestramenti per segnalarsi con luminose rapine. I legati sicuramente non videro le instituzioni spartane, ne arrian potuto conoscerle : poiche Licurgo non iscolpi, non iscrisse le leggi sue ; ma le affido

(1) Vide GOTHOFREDI Opera Omn. p. 63. — OTTO De Duod. Tab. cap. 3.

(2) Specim. Observ. Leovard. 1761, cap. 12. pag. 90. seqq. In eandem sententiam discedit Cl. STOCKMANN ad *Bachium* § 4, pag. 27 : cum vero dicat, Sabinos fuisse Spartanorum colonos, non minus errat. Vid. CHAPMAN. p. 2. 3.

(3) L. l. pag. 105.

alla memoria de cittadini vietando loro saper di littera e rivelarle agli estranei. Oltraccio quanto Licurgo impose non riguardava che il dritto pubblico talmente proprio di Sparta, che non avrebbesi potuto mai conformare ad alcun' altra repubblica il dritto privato poi, oltracche a Sparta doveva essere tutt' altra cosa che altrove per l'indole del suo governo sostanzialmente dissimile da qualunqu'altro, erasi tutto nel senno e nell' arbitrio degli Efori, che a simiglianza de' re di Roma e de' consoli diffinivano con repentine sentenze ogni privato litigio ».

Si res ita se habeant, ex iisdem rationibus et a fortiori sequitur : legationem Romanorum apud Athenienses, leges petendi causa missam, merum esse commentum. Respublica enim Romana, Quiritiumque mores proxime ad Laconicam indolem accedebant; contra ab Atticis legibus toto coelo differebant. Quomodo igitur Valeriani (pag. 87 seqq.) dicere potuerit, jus Romanum ex Attico fuisse desumtum, equidem non intelligo. Principia enim laudata, quae ab ipso auctore (pag. 105) exponuntur, ipsius sententiam funditus evertunt: saltem nullo modo sibi constitit vir consultissimus; atque praeterea omnino veteres auctores saepissime conferunt leges quidem Spartanorum cum Romanis institutis; nunquam vero comparationem instituunt inter Atticum jus et Romanas leges, utpote nulla ratione sibi similes: quae res non parum facit ad evertendam traditionem. Romanos leges suas a Spartanis non petiisse, sic probare voluit BOUCHALDUS (1) : « Qui peut croire que les députés de Rome, que des hommes consulaires aient

(1) Vol. I. pag. 56.

eu la patience de recueillir les lois de Lycurgue malgré leur contrariété avec celles des autres peuples de la Grèce, et malgré la difficulté qu'ils prévoyaient d'en introduire la pratique chez les Romains? Comment auraient-ils transcrit ces lois, si, n'étant point exposées aux yeux du public, les Spartiates refusaient de les communiquer aux étrangers comme dit Thucydide? (Lib. V Hist. pag. 358)? Quel motif auraient-ils eu de les transcrire, puisque la plupart de ces lois ne regardaient que le droit public, propre aux Spartiates, et que le droit privé était en la main des Ephores, qui jugeaient arbitrairement les contestations des particuliers? De là vient qu'Aristote appelle ces magistrats *αὐτογνώμονες*. D'ailleurs, il est constant qu'aucune ville, qu'aucun état ne prît pour modèle la législation des Spartiates; ceux-mêmes ne purent obliger leurs colonies à s'y conformer, sans doute parce que les lois que donna Lycurgue aux Spartiates étaient très-rigides. Ajoutons, que de tous les auteurs qui ont écrit l'histoire de la loi des douze tables, pas un seul n'a dit un mot des Lacédémoniens (1) ». Quod reliquum est, differentiam maximam, quae inter leges Spartanorum et XII Tab. intercedit, explicandis singulis legibus notabimus.

§ XI. Cum igitur omnino fidem non habeamus traditioni; videndum tamen est, utrum eadem omni plane veritate sit destituta, an verum sit fabulae admixtum. Hoc eo magis

(1) De his omnibus conf. VICO pag. 95. — HEINECCIUS hist. jur. civil. I. cap. 2. § 24. — OTTO ad Leg. XII Tab. cap. 3. — QUINTILIAN. Inst. I. 10. — GOTHOFREDUS in Hist. Leg. XII Tab. cap. 4. (Opera omn. pag. 63). — BOUCHAUD Vol. I. pag. 55 seqq.

videtur necessarium, cum praesertim de Hermodoro tam multi contendant. Evolvamus igitur auctorum classicorum libros, ut licet supra jam de Hermodoro satis nos dixisse videamur, justi omnino simus.

Strabo (1) de Hermodoro haec profert : Δοκεῖ δ' οὗτος ὁ ἀνὴρ νόμους τινὰς Ῥωμαίοις συγγράψαι. Plinius (2) eum vocat *Interpretem* legum, quas Decemviri scripserunt, et refert, propter illud beneficium ei statuam a Romanis fuisse positam. De *exsilio* Hermodori loquitur Cicero (3) his verbis : « Est apud Heraclitum Physicum de principe Ephesiorum Hermodoro : universos, ait, Ephesios esse morte mulctandos, quod cum civitati expellerent Hermodorum, ita locuti sunt : nemo de nobis unus excellat; sin quis exstiterit, alio in loco, et apud alios sit. » Idem refert Diogenes Laërtius (4). Incertam Pomponii sententiam supra retulimus.

Omnino plurimi in id unum conspirant, usos fuisse Romanos homine Graeco, exule Ephesino. Utrum autem ille illarum Legum *Interpres* fuerit, ut alii volunt (5), an Ordinator, quae est sententia aliorum, vehementer disputant.

(1) Geograph. Lib. XIV. pag. 951.
(2) Hist. Natur. XXXIV. 5.
(3) Tusculanae Disp. V. 36.
(4) In Heraclito IX. — TERRASSON Part. II. § 1. pag. 86.
(5) Conf. MENAGIUS ad Diogenem Laërtium IX. 2. — PUTTMANN de Legisl. Ephesina in Prob. jur. Lib. I. cap. 1. § 3. — VALERIANI l. l. pag. 113 seqq. praecip. 117. 118. — VICO de univers. jur. princ. Lib. II, De const. jurisprud. Pars poster. cap. 35, et Principi de una scienza nuova pag. 89 seqq. — TERRASSON pag. 86. — SCHUBART De fat. jurisp. II. 33. 34. — MARAN De aequitate Tom. I. p. 71 seqq. — BOUCHAUD Vol. I. p. 19. — BOULAGE p. 25.

Ex sententia Stockmanni (ad Bachium § 5.) Hermodorus non fuit interpres *verborum Graecorum*, quae a Romanis Decemviris satis intellecta essent, sed sententiam et rationem legum explicavit, quas ille, cum esset princeps Graeciae alicujus civitatis, optime sciverit. Ciampi (Revue encyclop. pag. 138) de ea re haec opinatur: « Pline l'Ancien, Strabon, Diogène de Laërce font mention du nommé Hermodore à qui une statue fut élevée précisement en récompense de ce qu'il avait servi *d'interprète* aux decemvirs ». Adfuisse tantum Decemviris Hermodorum, Clar. Warnkœnig (1) edisserit.

Ex diversis auctorum sententiis jam sequi, traditionem de Hermodoro saltem maxime dubiam esse, quisque videt: qui vero iis se continere non posse credit, quae supra attulimus, ei vel haec concedimus libenter, quin ea re infringamus sententiam nostram. Ponamus igitur et concedamus, Romanos, quia *jura* PRIVATORUM *omnia* sive in desuetudinem venissent (2), sive eorum cognitio solis gentibus Patriciis contigisset, nec vero Plebejis, igitur nullae inter utrumque ordinem rationes certae exstitissent, *haec jura privata* AD EXEMPLUM GRAECORUM *ordinasse*, et iis in ea re adfuisse Hermodorum illum exulem.

In hanc rem revera innuere videtur traditio, de qua lo-

(1) In Comment. jur. Rom. privat. Leodii 1825. § 6.

(2) L. II. § 4. Dig. De orig. jur. — GUNTHER § 38. — BACHIUS pag. 21. — BOUCHAUD, Vol. I. pag. 80, 81. — GIBBON pag. 4. — BONAMY pag. 35. 36. — DELFICO pag. 66. 67. — CICERO De Rep. II. 32. 33. — TERRASSON Part. II. § 1. pag. 76.

quitur Livius; inque hac interpretatione nihil omnino invenitur, quod indoli legum Romanarum, seu etiam verisimilitudini adversetur.

Vulgus vero Romanum, cum germanus traditionis sensus evanuerit, facile fieri potuit, ut crederet, XII Tab. leges fuisse ex jure Graeco translatas, si quidem *ad exemplum Graecorum* jus privatum, quod in iis continebatur, fuerit ORDINATUM. Hoc tamen loco non possum silentio praetermittere singularem prorsus sententiam Gratamae V. Cl. (l. l. p. 12), quae haec habet : « Decem priores tabulas ab ipsis Romanis non esse profectas, tota confirmat Decemviratus historia » et « Hermodorum legum Decemviralium *veri nominis* auctorem esse, qui eas composuerit, suis ordinibus disposuerit, suaque fecerit auctoritate, ut a Decemviris reciperentur ».

Quibus enim fundamentis ejusmodi sententia nitatur, equidem ignoro; sed nullis eam omnino probationibus, sed sua ipsius *auctoritate* edixisse, mihi persuadeo cum Warnkœnigio viro clar. (1); orator enim nec historiarum indole, nec etiam ipsamet traditione innititur.

§ XII. Redeamus tamen, unde sumus digressi, aliaque argumenta si quae inveniri potuerint, ad corrobandam sententiam nostram conquiramus. Ejusmodi argumentum unum, non certe levissimum, ad manus est, *Silentium* nimirum *Auctorum Graecorum hujus aetatis*.

(1) In GIBBON pag. 98.

Nullus omnino scriptor Graecorum *aequalis* de legatione Romanorum apud Graecos loquitur; nec ullum etiam apud Graecos exstat monumentum aliud, illius quidem aetatis, quod hujus rei fidem faciat. Herodotus, diligentissimus ille rerum perscrutator, qui res Thraciae totiusque Europae, Asiaeque magnae partis et Africae composuit, in Italia inferiori (*Magna* igitur *Graecia*, unde simul leges hausisse Romani dicuntur) ultimam vitam eo tempore agens, quo legati Romani in Graeciam venisse perhibentur, ne verbum quidem facit nec de legatione, nec vero etiam de ipso nomine Urbis seu Romanorum. Omnino Dionysius ille, recentior quidem, primus ex auctoribus Graecis traditionem illam refert; atque mirari profecto subit, cur Graeci nihil de ea legatione prodiderint, quae tamen eorum apud Romanos existimationem, gravibus illis patriae tempestatibus imminentibus, insigniter augere debuisset (1). Quam rem sagaciter, ut solebat, sic exposuit Cel. Rossi (2) : « Parmi les choses que nous ignorons et dont nous ne prolongerons pas l'énumération, il y a le genre d'impression que ces députés de Rome durent produire sur les Grecs et particulièrement sur les Athéniens; leurs personnes, leurs mœurs, l'objet de leur mission, durent piquer la curiosité des contemporains

(1) Nam praeterea, ut ait LEVESQUE, (histoire critique de la république Romaine, Paris 1807, pag. 179) « Aucun peuple n'eut plus de vanité que les Athéniens. Ils n'auraient pas manqué de se glorifier, si une nation éloignée, dont ils auraient exalté la puissance et la sagesse, leur avait envoyé une ambassade solennelle pour prendre connaissance de leur législation. Cependant, ils ont gardé là-dessus le plus profond silence ».

(2) Examen de l'Hist. du droit Rom. par Mr BERRIAT St. Prix (Annal. de Legisl. et de jurispr.) Genève 1821. Tom. II. Part. II, pag. 412. 413.

de Pericles. Ceux-ci étaient-ils fiers de les voir parmi eux, ou s'en amusaient-ils ? Sans doute on s'en occupa beaucoup dans le cercle d'Aspasie : tous les beaux-esprits d'Athènes y brillaient. Mais nous ne pouvons que conjecturer. Pas un mot sur cela dans les auteurs grecs parvenus jusqu'à nous. Tandis que si pareille chose arrivait aujourd'hui, quelle bonne fortune pour les journalistes ! Aussi nos neveux ne se trouveraient-ils pas dans notre embarras ». Cui adde Gibbonis hanc sententiam (1) : « Tite Live et Denys d'Halicarnasse, également séduits par l'orgueil national, veulent croire que les députés de Rome avaient paru à Athènes sous la sage et brillante administration de Pericles, et que les lois des douze tables étaient une imitation de celles de Solon. Si Athènes eût effectivement reçu à cette époque une ambassade des barbares de l'Espérie, le nom Romain eût été familier aux Grecs avant le règne d'Alexandre, et la curiosité des temps postérieurs aurait recherché et proclamé le plus léger témoignage qui fût resté d'un semblable fait ; mais les monumens d'Athènes gardent le silence à cet égard ».

Clar. Warnkœnig (2) nomen adeo Romanorum non nisi longo tempore post XII Tab. Graecis innotuisse, et auctorum Graecorum testimonia de Romana republica his verbis refert : « Voici le progrès des communications entre Rome et la Grèce : 1° Hérodote et Thucydide (A. U. C. 300-350) paraissent ignorer le nom et l'existence de Rome (Joseph. contra Apion. T. II. L. I. c. 12. p. 444, edit. Havercamp).

(1) In opere laud. pag. 5, edit. WARNKŒNIG.
(2) In edit. laud. GIBBONIS, pag. 99. 100, nota 18.

2° Theopompe (A. V. C. 400, — Plin. III, 9), parle de l'invasion des Gaulois, dont Héraclite de Pont fait mention d'une manière plus vague (Plutarch. in Camillo, p. 292 Steph.). 3° L'ambassade réelle ou fabuleuse des Romains auprès d'Alexandre (A. U. C. 430) est attestée par Clitarque (Plin. III, 9), par Aristus et Asclépiade (Arrian. VII, pag. 294-295), et par Memnon d'Héraclée (apud Photium, Cod. 224, p. 725); le silence de Tite Live à cet égard est une dénégation. 4° Theophraste (A. U. C. 440), primus externorum aliqua de Romanis diligentius scripsit (Plin. III, 9). 5° Licophron (A. V. C. 480-500) a répandu la première idée d'une colonie de Troyens et de la fable de l'Ænéide (Cassandra, 1226-1280.) » (1). Hinc colligitur, Graecos non nisi tempore Alexandri de Romanis aliquid retulisse. Sed ipse adeo Cicero, ubi luculentius agit de his legibus, *de legatione* silet. Haec ille refert (De Rep. II. 36. fragm.): « Sed aliquot ante annis, cum summa esset auctoritas in Senatu, populo patiente atque parente, inita ratio est, ut et Consules et Tribuni plebis magistratu se abdicarent atque ut decemviri maxima potestate sine provocatione crearentur, qui et summum imperium haberent et leges scriberent. Qui cum X Tabulas summa legum aequitate, prudentiaque conscripsissent, in annum posterum decemviros alios subrogaverunt, quorum non similiter fides nec justitia laudata (2) ».

(1) DIODORUS, (Biblioth. Hist. Lib. XII pag. 300) refert historiam XII Tab. et Decemvirorum, quin verbum addat de legatis Athenas missis, aut XII Tabulas ex Solonis legibus fuisse desumtas asserat. Vid. BONAMY (Mémoires de l'Acad.) pag. 43. Vol. XII. — LEVESQUE histoire critique de la république Romaine p. 179.

(2) Cfr. CREUZER l. l. pag. 186.

Idem silentium in reliquis quoque ejusdem auctoris operibus miramur. In libro enim De Republica scripto, ubi Tullius noster initia reipublicae Romanae narrat ejusque formam atque leges saepissime cum Solonis, Lycurgi aliorumque legumlatorum Graeciae institutis comparat (1), non certe deerat ipsi occasio mentionem injiciendi de legatione Romanorum, si traditioni fidem habendam esse credidisset. Quae res eo etiam mirabilior nobis quidem videtur, cum eundem Ciceronem, *Consulem*, qui apud Graecos eloquentiam et philosophiam didicerat inque diversis scriptis suis (2) Graecos et Solonis leges saepius summis laudibus extollit, hac ansa non videamus uti, aliquid ad gloriam Athenarum addendi.

Verum multum abest, ut ille leges Romanas a Graecis repeteret, ut potius contrariam sententiam his verbis tueretur (De Orat. I. 44): « Quantum *praestiterint* MAJORES NOSTRI prudentia caeteris gentibus, tum facile intelligetis, si cum illorum *Lycurgo* et *Dracone* et *Solone* NOSTRAS LEGES CONFERRE VOLUERITIS. Incredibile est enim, quam sit omne jus civile *praeter hoc nostrum* INCONDITUM *ac paene* RIDICULUM; de quo multa soleo in sermonibus quotidianis dicere *cum hominum nostrorum prudentiam caeteris omnibus* ET MAXIME GRAECIS *antepono* ».

In qua re nullo pacto silentio praetermittendum est, Ciceronem in hoc eodem loco verba fecisse de ipsis XII Ta-

(1) Vid. CICERO De Rep. II. 1. 8. 10. 11. 22. 26. 28. 33. — MACIEIOWSKI pag. 54.

(2) CIC. pro Flacco. cap. 26. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 62.

bulis. Quae ejusdem sententia extra dubitationis aleam ponitur loco alio, (Tuscul. Disp. I, 1), ubi, collatis legibus *Romanorum et Graecorum*, scribit : « Rem vero publicam *nostri* MAJORES certe melioribus temperaverunt et institutis et legibus ». Quid igitur, quaeso, potuitne ille aliquo jure leges Solonis et Lycurgi *ridiculas* et *inconditas* dicere, si jus Romanum e Graeco haustum esse putavisset? Quapropter recte Bonamy (1), de his locis Ciceronianis verba faciens: « Est-ce-la, quaerit, le langage d'un homme qui aurait cru que les decemvirs avaient l'obligation de leur corps de lois aux législateurs Grecs et qu'ils n'attendaient plus qu'après les lois de Solon pour en former un code, comme l'insinue Tite-Live : *jam redierant legati cum legibus Atticis* » (2). Ad locum vero Ciceronis alium (De Rep. II. 36, nota 3. In Tusc. Disp. V. 36), scite adjicit Majus ille : commemorato illo Hermodoro, quem aiunt interpretandis apud Decemviros Solonis legibus praefuisse, ne γρί quidem de legatione profert Cicero.

Ex hoc silentio, ut haec referamus, sic argumentatur Vico (l. l. p. 88, 89) : « Ora qui incontra all' offese di taluni, che amano meglio non intendere, che dimenticarsi, ci poniamo sotto l'ombra di Cicerone; il quale non volle mai

(1) Mémoires de l'Acad. Tom. XII. pag. 49. — LEVESQUE histoire critique de la république Romaine p. 179.

(2) His locis adde alium (ex Tusculan. Disp. I), ubi haec leguntur : « Jam illa, quae natura, non literis assecuti sunt nostri majores, neque cum Graecia neque ulla cum gente sunt conferenda; quae enim tanta gravitas, quae tanta constantia ac magnitudo animi, probitas, fides, quae tam excellens in omni genere virtus in nullis fuit, ut sit cum majoribus nostris comparanda! »

credere cotal favola, e professò di non crederla imperciocche innanzi di Cicerone niuno autore nè latino, nè Greco fa menzione di cotal fatto d'istoria Romana ».

Laudes, quibus a Cicerone Duodecim Tab. super Graeca instituta extolli solent, ex sententia pariter ejusdem Vici aliquid certe probant contra traditionis veritatem (1).

Ceterum ne potuit quidem traditioni fidem adhibere Tullius, quoniam, si fecisset, secum ipse pugnasset, ac Duodecim Tabulas, a se tantopere laudatas, si easdem e Graecis duxisset legibus, quas *ridiculas* adpellavit, aeque inconditas praedicasset.

Qui vero nobiscum dissentiunt, eo infringere conantur argumentum e silentio auctorum repetitum, ut eo, tanquam *negativo*, nihil probari posse contendant (2). Quae sententia si aliâs vera sit, hoc loco vero ne similis quidem videtur. Non enim ex *solo* silentio argumentamur, sed ex eo, quod evidentissimis demonstrationibus nostris et claris fere effatis Tullii, traditioni contrariis, suffultum est (3).

(1) Verba viri cl. vide l. l. p. 91. Quantopere ineptat BOULAGIUS, disce ex opere ejus laud. p. 23 sq.

(2) BOUCHAUD Vol. I. pag. 15. — BERRIAT ST. PRIX Them. Tom. IV. pag. 307. — TERRASSON pag. 82-85.

(3) Quam sententiam verbis etiam BONAMYI (Mém. de l'Acad. T. XII. p. 49 sq.) corroborare possumus hisce : — « Quelque peu d'autorité qu'aient les argumens négatifs, il faut cependant avouer que le silence de Cicéron sur le voyage des députés de Rome à Athènes et sur l'obligation qu'on prétend que les Romains avaient aux lois de Solon, doit paraître étonnant,

§ XIII. Novum praeterea argumentum, quod in his rebus magnam vim habet, ducitur ex ipso *Sermonis* Romanorum atque Graecorum, eorumque Atheniensium, differentia.

Quemadmodum enim omni verisimilitudini prorsus repugnat, ut populus quidam leges quaerat apud peregrinos, et alio igitur, quam suo sermone conscriptas; ita praeprimis naturae adversatur Romanorum, qui tum temporis et Graecos et sermonem eorum quam vehementissime horrebant.

Potest autem homo *suo* tantum sermone animi sensa rite aperire et quae ad *suam* indolem pertineant, penitus exprimere; ita ut fieri nequaquam possit, ut natio quaedam ferrea ad sententias suas exprimendas legibus et delicatulis verbis utatur alterius. Erat autem haec vera similitudo Atheniensium et Romanorum indolis (1).

Atqui erat, teste Diodoro Siculo (2), nullum vestigium Graeci sermonis in legibus Decemvirorum; igitur Romanae leges e Graecis *tralatae* esse non potuerunt; quoniam aliàs

sur-tout si on fait réflexion à tant d'occasions qu'il a eues, de rendre justice à ce législateur; mais, ou il n'en parle que comme du législateur particulier d'Athènes, ou, s'il fait la comparaison de quelques-unes de ces lois avec celles des XII Tables, c'est toujours pour relever la sagesse des decemvirs au-dessus de celle de Solon; s'il avoue que les Grecs l'emportaient sur les Romains, en ce qui regarde les sciences et la poésie, il les met fort au-dessous lorsqu'il s'agit des lois et du gouvernement ».

(1) Vide S. ERHARDTI Encyclop. philos. a Cl. DUMBECKIO Latine reddita, § 98. pag. 34. 35.

(2) L. XII. pag. 301.

leviter saltem sermonem Graecum redolere debuissent seu genus loquendi, apud Graecos usitatum, aliquo modo inveniri posset; cum fieri omnino nequivisset, ut Romani *suis verbis* exprimerent sententias legum *peregrinarum*, quarum indoles nulla ratione cum eorum ingenio congruebat. Scriptae potius fuere XII Tabulae priscis non verbis tantum, sed literis quoque Romanis (1); quam rem curatius indicat Gellius (XX. 1), ubi loquens de Duodecim Tabulis, haec profert: « Longa aetas verba atque mores veteres obliteravit, quibus verbis moribusque sententia legum comprehensa est ». Pariter Seneca (Epist. 114): « Multi, ait, ex alieno saeculo petunt verba XII Tabularum ». In eandem sententiam discedit Horatius (II. Epist. I, 22):

> Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes,
> Quas bis quinque viri sanxerunt, foedera regum
> Vel Gabiis, vel cum rigidis aequata Sabinis,
> Pontificum libros, annosa volumina vatum,
> Dictitet Albano Musas in monte locutas.

Cum quibus confer Symmachum (III. Epist. 44), apud quem haec prostant: « Si tibi vetustatis tantus est amor, pari studio in verba prisca redeamus, quibus Salii canunt, et Augures avem consulunt et Decemviri tabulas condiderunt. Jam dudum his renuntiatum est, et successio temporum placita priora mutavit. »

Tandem ex testimonio Ciceronis (De Orator. I. 43): « In

1) CICERO De Oratore I. 43. — GELLIUS VI. 10. XX. 21. — LIVIUS VIII. 3.

XII Tabulis antiquitatis effigies cernitur, verborum prisca cognoscitur *vetustas et majorum consuetudo declaratur.* »

Verba igitur XII Tab. nulla ratione cum Graecorum sermone conferri possunt; quod tamen certe evenisset, si revera leges Romanae ex Atticis fuissent translatae. Unde recte Bonamyus (l. l. T. XII. p. 47.) : « S'il était vrai, comme le disent la plupart des historiens, que les Romains eurent copié leurs lois sur celles de Lycurgue et de Solon, pourquoi et pour le style et pour le fond des matières y trouve-t-on tant de choses qui ne sont propres qu'aux Romains, et qu'on ne voit point chez les Grecs? Diodore de Sicile ne reconnait-il point les mœurs de la Grèce, dans le style des lois des XII Tables? Et si Hermodore a été l'interprète et le traducteur des lois de Solon, il faut avouer qu'il les a traduites avec les mots latins si propres, que les Grecs n'ont point de termes semblables à ceux, qui sont employés dans les XII Tables; en sorte que ce que Dion Cassius (Lib. LV. pag. 550) a dit du mot *auctoritas*, qui contient une des plus importantes parties de ces lois, qu'on ne peut le rendre par un terme grec :

Ἑλληνίσαι γὰρ αὐτὸ καθάπερ ἀδύνατόν ἐστι.

On peut le dire aussi du mot *assiduus*, *proletarius*, *foenus*, *unciarium*, *Libripens* et tant d'autres. » Quae pariter sententia est Cl. Vici (l. l. p. 88) « Come Ermodoro le tradusse con tanta latina purita che Diodoro Siculo giudica, nulla affato odorare di Grecismo e noi possiamo affermare che non fu autor latino appresso, quanto si voglia in lingua Greca versato, che avesse tradotto con pari eleganza alcuno de' greci

scrittori? Come traveste greche idee con voci tanto propie latine. Che essi Greci, tra quali è Dione, dicono, che tutta la Grecia non abbia termini simigliante per ispiegarle come la voce *auctoritas*; la quale contiene una delle piu importanti parti, se non forse tutto, o pur l'unico affare di quella legge, come qui appresso si mostrerà? » Quam rem confirmat celeberrimi Niebuhrii magna in his rebus auctoritas (l. l. II. p. 109.) « Es ist schon gesagt worden, dass die Gesetze der zwœlf Tafeln, so weit ihr Innhalt bekannt ist, durchaus eigenthümlich - italisch, und weder von griechischer Philosophie, noch Staatsklugheit abgeleitet waren. » Atque reapse nullae omnino formulae loquendi, quibus utuntur Graeci, in legibus Decemvirorum apparent (1). Quod vero est gravius, nobis videtur, Romanos Graecum sermonem illo tempore *ne intellexisse quidem*: quae res ex ipsa adeo traditionis sententia efficitur. Si enim Romani Graecorum sermonem omnino novissent, cur adhibuissent Hermodorum illum exsulem, ut legum interpretem (2)? Haec res tanti esse videtur, ut ipse adversarius noster, Terrassonus ille, fateretur idem (3), his verbis : « Du tems d'Hermodore les Romains ne savaient encore ni les lois ni la langue des Grecs, et Hermodore lui-même, quelque mérite qu'il eût d'ailleurs, n'était pas assez instruit des lois grecques pour les apprendre aux Romains, qui ne purent se servir de lui que pour les aider à traduire en latin les

(1) Cfr. Encyclop. Vol. XV. p. 799. — Bouchaud Vol. I. pag. 146. 147.

(2) Beaufort Rep. Rom. Vol. IV. pag. 7. — Catrou Hist. Rom. Vol. III. pag. 155.

(3) Part. II. § 1, pag. 81.

lois que les députés avaient rapportées. » Quodsi igitur res ita se habeant; quomodo Romani adiissent Graecos, quorum sermonem nulli novissent? Quo modo sciverint illi, Graecos bonas habuisse leges? Atque si haec fama ad eos fuerit perlata, potestne cogitari, illos, absque ulla praevia legum ipsarum notitia, eas petiisse? Hoc is tantum adfirmaverit, qui penitus ignoret, populos peregrinos, i. e. peregrino sermone usos, aliis, praesertim Romanis, pro hostibus fuisse habitos. Unde recte Bouchaldus (l. l. V. I. p. 19): « On a peine à entendre des lois qui sont étrangères; et il est encore plus difficile de les adopter, si l'on ignore, à quelle occasion ces lois furent faites, et les motifs qui les dictèrent. Les Romains n'avaient alors aucune teinture de la philosophie et de la législation des Grecs. » Haec ille quidem: ego vero, quo pacto idem traditioni fidem habuerit, ignorare me fateor.

Est autem hoc tam manifestum et exploratum, ut longe plurimi idem faterentur. Quam ob rem adscribere placet haec argumenta Cl. Rossi (1). « Nous ignorons, comment les *guerriers ignorans* et *farouches*, appartenant à un peuple qui *d'abord*, c'est-à-dire, 300 ans auparavant, n'était encore qu'un peuple *pasteur*, avaient appris qu'il existait une Grèce et qu'il y avait à Athènes un Solon, législateur renommé, comment imaginèrent-ils de se mettre en rapport avec la Grèce proprement dite, quelle langue parlaient-ils, ou quels interprètes avaient-ils pour se faire comprendre des Athéniens et des Spartiates, qui probablement n'avaient pas étu-

(1) Loc. laud. pag. 411. 412.

dié le jargon du Latium? Voyageaient-ils en Grèce avec Hermodore, *éloigné du séjour poli de la Grèce?* le rencontrèrent-ils en chemin? Mais où avaient-ils appris le Grec? ne s'aidèrent-ils de cet exilé qu'à leur retour? Ils portèrent donc à Rome pêle mêle tout ce que les Grecs voulurent bien leur donner par écrit, là Hermodore entreprit le déchiffrement. »

Accedit, ut, si Hermodorus ille legum Graecarum tam gnarus fuisset, quam in illa fabula narratur, plane nemo esse possit, qui intelligat, cur Romani *Athenas petere* ad leges Graecorum *quaerendas* debuissent; cum omnes omnino praesto esse debuissent in uno Hermodoro; ut Bonamyus quoque observat (l. l. Vol. XII. p. 48): « Il y a lieu de s'étonner qu'Hermodore n'ait pas épargné aux Romains le voyage d'Athènes; il le pouvait aisément, puisqu'on le suppose si instruit sur cette matière (1) ».

Si tamen Romani leges peregrinas petere voluissent; certe potius adiissent populum, qui eodem sermone iisdemque moribus usus, ex eadem origine fuisset, igitur cum iis aliqua ratione conjunctus. Ejusmodi enim populi leges cum Romana indole et voluntate congruere potuissent; cum vel absurdum sit, dicere, leges Atheniensium — qui nec sermone, nec moribus et consuetudinibus, nec vitae privatae seu publicae rationibus, nec eadem reipublicae forma, nec indolis similitudine, nec commerciorum aut amicitiae aut foederum vinculo cum Romanis ullo modo connectebantur — Romanae reipublicae condendae a Decemviris fuisse adhibitas. Praeterea

(1) Cfr. LEVESQUE p. 180.

ne fieri quidem potuit, ut Romani *cogitarent* tantum, alium populum leges habere, suae, Romanorum, reipublicae adcommodatas. Homo enim, quae suae indoli prorsus repugnant, ea ipsi convenire non sibi persuasit unquam; sed potius quod in sua natura non est ingeneratum, idem tanquam hostile sibi et infensum considerat. Unde sequitur, illam cogitationem quaerendarum apud Athenienses legum nunquam in mentem venisse Romanorum. Quae sententia confirmatur tota historia veteri; quae, antiquitus populos diversae fuisse indolis et diversam vitae rationem esse secutos, docet, continuo inter se pugnasse sibique omni tempore exstitisse hostes. In quam rem tenenda sunt, quae a clar. Vico (l. l. p. 87 sq.) proalata, lectori nostro commendamus.

Celeberrimi vero Niebuhrii non possumus auctoritatem silentio praetermittere, cujus integrum locum verbotenus addere placet (1): Eine alte Sage nennt zwar als Gehülfen der Decemvirn bey der Gesetzgebung einen Ephesier Hermodorus, den Freund des weisen Heraklitus, den seine Mitbürger verbannt hatten, aus Verdruss, das er sie beschæme, da sie sich alle an Schlechtigkeit gleich seyn wollten. Auch læst sich nicht wohl erklæren, wie sie *ersonnen* seyn sollte, wozu nur ein berühmter Nahme Veranlassung geben konnte; wæhrend der des Hermodorus den Griechen selbst nur durch den Spruch seines Freundes bekannt gewesen zu zeyn scheint. Aus diesem Grunde darf die Benennung der Statue, welche in Rom als die seinige unterschrieben war, für æcht gelten. Lebte er aber auch hier, geehrt von seinen Zeitgenossen,

(1) Vol. II. pag. 109. 110.

den Gesetzgebern, und ihnen nützlich; so folgt daraus doch nicht, dass durch seinen Rath in die für uns verlohrnen Gesetze der Tafeln viel aus Griechischen überging: die Rœmer hielten zu fest an ihrem eignen Herkommen, um es gegen fremde Einrichtungen zu vertauschen, und die Verschiedenheit zwischen ihnen und den Griechen war so gross, das der weise Hermodorus eine Nachæffung nicht hat empfehlen kœnnen ».

§ XIV. Qui vero a nobis dissentiunt, Romanos tempore XII Tab. nimis fuisse incultos contendunt, quam ut sibi leges scribere potuissent; igitur coactos ad leges peregrinas conquirendas. De qua illorum sententia jam paucis agamus accuratius. Romanos igitur tempore Decemvirorum *barbaros* fuisse non concedam; quoniam sententia contraria testimonio germanorum et celeberrimorum scriptorum probatur (1) et eo, quod Roma erat *Colonia* ALBÆ-LONGÆ, totius Latii potentissimae et cultissimae urbis. Tenuerunt igitur omnia ad cultum humanum pertinentia, quae Albae-Longae fuerant in usu, Romamque ea transplantarunt. Ex qua re sequitur, Romanos omnem cultum habuisse, quo Etrusci, patres, fuere insigniti; quo certe populus vetus qualiscunque se continere potuit. Etrusci enim erant omnium populorum illius aetatis

(1) DIONYSIUS I. 4. 5. pag. 90. IV. 26. VII. 70. 72. — CICERO De Rep. I. 37. II, 19, 20, 21, ibique *Majus*. Idem De Rep. II, 5, 6 et passim. — CICERO pro Flacco cap. 11; in Bruto cap. 14; pro Archia cap. 1. — AUGUSTIN. De Civ. Dei XXII, 4. — PLINIUS Hist. Nat. XXIX. 1. XXXIII. 13. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 84. — WARNKŒNIG Inst. jur. priv. pag. 13. 14. — WACHSMUTH Die ælter Geschichte des Rœm. Staates Vol. I. § 1-15. — NIEBUHR Vol. I. pag. 64 seqq.

fere excultissimi, qui variis artibus, mercatura, navigatione, architectura, sacris faciundis totaque reliqua doctrina aliisque vitae humanae institutis, praesertim *publicis*, excelluere : unde statim ab initio populum habemus, qui non solum agricultura omnibusque rebus, ad eam pertinentibus, (1) claruit; sed religiones caeteraque instituta habuit, ad civitatem ordinandam spectantia. Quare mirum non est, quod plebem, quae antea regum utebatur adversus Patricios tutelâ, nunc, regibus exactis, a Patrum illimitata potestate legibus scriptis se defendere concupisceret.

Quae si jam primis temporibus Romae inveniantur; tempore certe XII Tabularum ad altiorem cultus gradum pervenisse suspicamur. Jam enim viguerant sapientissimae leges de sanctitate parentum, de abstinentia mulierum latae; non minus lex, ne cives sordidas sellulariasque artes exercerent, sed rei rusticae prorsus vacarent. Jam introductae fuerant variae institutiones de religione sacrorumque ministris et ejusmodi, quae sane civitatem rite ordinatam fuisse probant, neque vero omnino a barbaris ferocibus sanciri potuerunt (2).

Censum a Servio Tullio institutum scimus; qui, ut quisque videt, non solum sensum popularem *alere* debuit, libertatemque procreare; sed qui ipsemet ex hoc libertatis sensu nascebatur. Unde maxime ineptit Berriat St. Prix (l. l. 10),

(1) VARRO De Re Rust. II. 1. — COLUMELLA VI. init. — PLINIUS Hist. Natur. XXXIII. 13.

(2) CICERO De Rep. II. 14 seqq. — BACHIUS pag. 9 seqq. — DELFICO pag. 61 seqq. — VICO pag. 68 seqq.

qui haec perhibet : « Autant qu'on le peut conjecturer, les Romains furent d'abord des peuples pasteurs » (et pag 12, 13) « Les Romains n'étaient qu'une troupe de brigands et leur chef était le premier exposé à leurs mouvemens de rage féroce. Même au commencement du 4e siècle ils ne surent confier le plus noble et le plus délicat des ministères, la composition des lois, qu'à des guerriers ignorans et farouches (1). » Unde non male punitur a Cl. Rossi (2) his verbis : « Cependant ces gens-là faisaient des lois, ils suivaient pour les faire, certaine forme ; le roi, le sénat, l'assemblée nationale y prenait chacun leur part ; et nous concevons fort bien, que c'est avec surprise, que Mr le Professeur trouve dans les fragmens des lois attribuées à ces brigands, le premier germe d'instructions, ou règles qu'ont longtemps observées les Romains et dont quelques-unes à travers tant de siècles, ont pénétré jusques dans les codes de l'Europe civilisée. Telles sont les lois où l'on suspend l'administration de la justice, pendant les jours de fêtes ; où l'on distingue l'assassinat de l'homicide par imprudence ; où l'on met au nombre des choses saintes les murailles de Rome ; où l'on établit le droit de puissance paternelle, et ensuite l'émancipation ; où l'on defend d'ensevelir une femme enceinte avant d'avoir extrait son fruit ; où l'on déclare inviolable le contrat passé devant des témoins, et où l'on prescrit de déférer le serment sur la convention fait hors de leur présence. » Cui loco adde alium ejusdem viri (p. 409) : ubi haec le-

(1) Vid. idem p. 17. 18. Non minus ineptit D. IRVING l. l. p. 61.

(2) Pag. 407. 408. (Annal. de leg. et jurispr. Geneve 1821).

guntur : « Presque toutes ces lois furent rendues sous le règne de Romulus, de Numa et de Servius Tullius. Il faut avouer que les besoins, qui sont la suite de l'accroissement de la population et de la puissance et de la multiplication des transactions sociales, se firent sentir de bonne heure chez les Tartares du Tibre. » Miramur vero Voltarium, qui de eadem re sic loquitur (Philos. de l'hist. pag. 282): « Les Grecs fournirent aux Romains la loi des douze tables. Un peuple qui va chercher des lois et des dieux chez un autre, devait être un peuple petit et barbare; aussi les premiers Romains l'étaient-ils. » Argumenta igitur eorum, qui dicere non erubescunt, tempore XII Tabularum Romanos adeo fuisse omni humanitate destitutos, ut non ipsi sibi leges scribere possent, sed easdem a peregrinis et Atheniensibus petere cogerentur, nullo fundamento nituntur, atque facile condonamus Clar. Gratamae, qui (l. l. p. 10) haec verba facit: « An ab his hominibus, quo erant rudi ingenio, qua erant sine fraeno licentia, limatissima libertate omnium Faventissima potuit proficisci legislatio? » Quae sententia omni historiae repugnat, ut vidimus (1).

Romani enim ante Leges XII Tab. habebant instituta, quae cum ipsorum indole omnino quadrabant; utebantur jure quodam, quod ipsis erat proprium; unde etiamsi fuissent incultissimi, multo potius antiquos mores in leges SRIPTAS recipere debebant, quam quaerere leges apud populum, cujus natura illorum ingenio tantopere erat adversa. Popu-

(1) HEEREN pag. 342. — ROLLIN Lib. II. cap. 1. — VALERIANI pag. 89. seqq. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 41. — GRUNDLER pag. 115. 133. 134 seqq.

lis enim vel inhumanissimis nulla est *necessitas*, leges sibi peregrinas quaerendi. Adsunt omni tempore veteres vitae consuetudines, normae atque regulae, quae legum scribendarum argumentum esse possunt. Quod ipse fatetur adversarius noster, Bouchaldus ille (pag. 41), ubi scribit : « Les Romains n'étaient pas d'une telle grossièreté et d'une telle ignorance, qu'ils pussent sans les secours d'autrui se faire des lois. Ils avaient par devant eux l'expérience de trois siècles pour leur faire connaître leur caractère national. » Haec integra confessio sententiam, quam auctor professus est, funditus evertit. Si enim Romanis non *necesse* fuerit, leges peregrinas petere ; si ex suis moribus XII Tab. conficere potuerint ; quo fundamento nititur illa traditio ?

§ XV. Auctores recentiores, qui nostram de legatione Romanorum sententiam tuentur, Romanis, ajunt, navigationem in Graeciam longinquam et periculosam fuisse; unde vero simile non sit, illos ejusmodi iter suscepisse; eo minus, cum Patricii homines non tam cupidi fuerint legum popularium, quales reapse fuere leges Atheniensium. Quod argumentum verum esse mihi quidem videtur. Patricii enim, quibus legum scribendarum cura fuerat demandata, a legibus, quibus populi imperium sanciretur, deleretur que optimatium potestas, prorsus abhorrere debuerunt : unde nullo modo cogitari potest, quo pacto longum iter susceperint eo solo consilio, ut ejusmodi leges peterent; cum Romae, in antiquis moribus et consuetudinibus, omnia essent parata, e quibus Decemvirorum voluntas, Patriciorum durum imperium stabiliendi, ad exitum perduceretur. Attamen notandum est, ante haec tempora Romanos jam usque ad oras

Africae navigasse atque cum Carthaginiensibus de mercatura foedus pepigisse (1). Unde ad impugnandam veritatem traditionis non asserendum est, Romanos eo tempore non *potuisse* eam navigationem subire; sed multo potius dicendum, non fuisse probabile, Patricios omnia pericula maris et itineris tam longinqui adiisse ad quaerendas leges, quae ipsismet horrori esse debuissent; quum praeterea hoc iter maritimum prorsus inutile esset, quia in legibus regiis moribusque patriis omnia elementa vere Romana inerant. Recte itaque Gibbonus (p. 5) haec asserit : « Il serait difficile de croire, que des Patriciens eussent entrepris une longue et périlleuse navigation pour copier le modèle le plus parfait de la Démocratie. »

§ XVI. Ad manus sunt aliae praeterea rationes, quibus legatio Romanorum apud Athenienses inter mera commenta referenda esse nobis videtur. Quarum prima est *Indolis Romanae Diversitas :* quod ut probemus, de hac indole paucissimis dicendum est.

Etenim Romani ut homines severi, integri, fortitudine, gravitate et animi constantia conspicui, rerum et jurium tenacissimi, peregrinorum osores, ab omnibus auctoribus antiquis describuntur (2). Quisque Romanus sibi habuit per-

(1) DIONYSIUS I, 90. — HEEREN pag. 345. 347.

(2) POLYBIUS VI. 36, XXII. 3. — GELLIUS XX. 1. — CICERO De Officiis I, 18. 20. Tuscul. Disp. I, 2. De Rep. II, 1. — WARNKOENIG Instit. jur. priv. pag. 13. 14. — LAHARPE, Cours de Littérature ancienne et mod. Tom. III. pag. 312.

suasum, se ad subigendos et perdomandos populos, quos barbaros vocavit et servos fecit, a diis esse constitutum. In sua civitate, in sua Re Publica (in Re Gerenda) omnem quisque Romanorum dignitatem collocavit, gentes et civitates peregrinas alte despiciens, quasi *Orbis* totius esset in *Urbe* sua. Illud peregrinorum odium, ille contemtus jurium aliorum, dominum fecit terrarum Romanum civem; et is hac sola lege fieri potuit, et hanc vocavit *Prudentiam* suam. Inprimis vero cognitum est, post latas etiam XII Tabularum leges Romanos hoc contemtu, hac severitate usos esse in ipsosmet Graecos; hanc arrogantiae superbiam, hanc rigidam virtutem, hanc dignitatem auctam quoque esse adspectu Graecorum, quorum philosophos, Catone auctore, Urbe pepulerunt, iniquissimo studio prosequebantur, barbaros adpellarunt, ob vanitatem illis innatam contemtui habuerunt ita, ut Graeca levitas in proverbium adeo et opprobrium abiret (1).

Atque ab his talibus hominibus hi Romani leges petierint, *suae civitati convenientissimas?* Quantopere vero ab initio Romani ab institutis exterarum gentium abhorruerint, claris verbis prostat apud Ciceronem (De Rep. II. 4).

Tantum igitur abest, ut a Graecis leges peteret Romanus, ut potius hic illis suas leges imponere omni tempore studeret. Romanis enim nihil magis potuit esse exploratum illa verissima sententia: quemvis populum, qui ab alio leges acceperit, se huic legislatori subjicere eumque tanquam su-

(1) C. Nepos in Praef. Cfr. Dictionn. encycl. T. XIV. p. 339.

periorem agnoscere : quod quidem nemo Romanus volens alteri concesserit (1).

Quam sententiam omnium gentium his verbis reddit Thomasius (2) : « Un peuple qui va mendier des lois chez un autre peuple, avoue son ignorance, ou du moins reconnaît la supériorité du peuple, auquel il s'adresse, dans la science du gouvernement et de la législation. D'ailleurs comme c'est une marque de sujétion que de demander des lois à une nation étrangère, les Romains par cette ambassade hors de saison, eussent aisément pu nuire à leur liberté, eux qui méditaient déjà d'attenter à celle des autres nations; ils eussent dû certainement craindre que les Athéniens n'usassent d'artifice, et que parmi les lois qu'ils leur permettraient de transcrire, ces Grecs n'enmelassent quelques-unes propres à porter le trouble dans le sein de la république, et à préparer de loin la ruine de la puissance Romaine ». Accedit ad haec certissimum testimonium ipsarummet legum XII Tabularum; quae peregrinos vocant HOSTES (3).

(1) Hoc ipse fatetur TERRASSONUS P. II. § 1. pag. 79. — AUGUSTIN. De Civit. Dei VI. cap. 11.

(2) DE NÆRIS Jurisp. Rom. T. II. Obs. II. pag. 58 seqq. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 31.

(3) Tab. III. n° 3. Tab. II. n° 1. — L. 234 Dig. de verb. sign. — CICERO De Off. I. 12. « *Hostis*, ait, apud majores nostros is dicebatur, quem nunc *peregrinum* dicimus ». — Cfr. HEINECC. II. tit. 6. § 3. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 331. 438, qui hoc ipse fatetur. — Mém. de l'Acad. Tom. XLI. pag. 13. 16. — GOTHOFREDUS pag. 83. 89. 90. — CROPP Part. II. p. 10. — POTHIER pag. 89, 90, 145. 146. — FESTUS sub v. *Status dies*. — TERRASSON p. 113.

Recte igitur de ea re Cl. Rossi (l. l. p. 412) loquitur : « Nous ne savons pas comment nos anciens Romains pour qui tout étranger était un ennemi, pour qui l'orgueil national était une divinité inexorable, imaginèrent tout-à-coup d'aller mendier des lois et des coutumes chez les Athéniens, d'employer dans leurs affaires politiques un Ephésien, un homme, dont les mœurs, les habitudes, la langue, les idées devaient singulièrement contraster avec les leurs. Allez maintenant crier contre la force des préjugés et surtout des préjugés populaires » — et Terrassonus (pag. 113) : « Les Romains regardaient les étrangers comme autant d'ennemis ». Quis autem unquam populus ab hostibus leges petiit? Errat igitur Boulagius, qui (pag. 24) « Les Romains, ait, avaient pour maxime d'adopter tout ce qu'ils trouvaient de bon chez les autres peuples, même chez leurs ennemis. » Nostris argumentis objiciunt adversarii nostri, Romanos plura ab aliis, sacra ab Etruscis, arma a Samnitibus accepisse (1); ideoque fieri potuisse, ut leges a Graecis peterent. Illud vero argumentum nullo prorsus fundamento nititur. Sacra enim ab Etruscis accepisse Romanos minus recte dicitur, si quidem, ut superius probavimus, Romanorum ipsamet origo ab Etruscis sit repetenda; nec ex eo, quod Romani arma a Samnitibus habuissent, aliquid contra nostram sententiam effici potest. Samnites enim aeque fuere Etrusci. Aliud etiam est arma, aliud leges a peregrinis accipere. Bellum bellum docet, atque necessitas defensionis in ipsa acie pressos informat de praestantia armorum hostilium. Omnino haec *materia* non confundenda est cum intima gentium indole et proprietate. Ut bellum geri pos-

(1) Sallustius Catil. cap. 52.

sit, duo sint necesse est, et *hi quidem hostes*. Leges vero suapte sponte manant ex *proprio*, igitur *amico*, cujusvis populi *ingenio*. Differunt igitur arma a legibus, ut exterius ab interiori. Et certum est, Romanos animi fortitudinem et manuum non ab hostibus accepisse. Sed *leges* quoque, illi ajunt, certas Romani e Graecis petierunt. Legem nimirum *Rhodiam de Jactu*. Non negamus, sed distinguimus tempora a temporibus; quod illi quoque facere debuissent. Illa enim lex postremis et sequioribus temporibus Romam allata est; res quoque, de qua illa statuit, non ad *constituendam* civitatem pertinuit, ut XII Tabulae; unde ex illa lege nihil inferri potest contra sententiam nostram.

§ XVII. Jam vero probare conabimur, traditionem illam obloqui ipsimet antiquitatis gentium propriae naturae. Quemadmodum igitur homo singulus, in statu naturali, antequam certum cultus fastigium nactus sit, sibi soli studiosus, reliquos odit et arcet, ad se cuncta referens, nihil ad alios, eo consilio, ut ipse indies fiat perfectior et aliis potior; eodem modo totae nationes, sive potius omnes gentes antiquae eodem in alios studio, eodemque suarum rerum desiderio flagraverunt; i. e. quaevis gens antiqua naturaliter hostis fuit reliquarum gentium. Unde, ex sententia Clar. Dumbeckii, ingenium vetustae aetatis erat in Sejunctione nationum. Atque, profecto, hic status est illarum gentium, totaque historia probat abunde, illas nulla ratione amica, nullo juris cujusdam vinculo fuisse conjunctas : sed si quo unquam tempore manus sibi porrexerint, has fuisse *armatas manus*. Hinc sequebatur, ut populi omnes magis magisque a se discederent atque, licet independentes a se essent redditi, tamen

nec libertas esset singulorum interius, nec *agnita* independentia exterius. Unde consequens erat alterum, ut quodvis bellum gereretur ad *extirpandum* hostem; ut quamvis cladem comitaretur interitus populi fugati; ut denique lex victoris evaderet simul lex devicti (1).

Quae cum ita essent in universum, magis etiam deprehendebantur in Romano, in quo putidum foret indicare exemplis, quantopere omnem terrarum orbem sibi subjecerit, servosque ex populis liberis fecerit. Cur hoc iniquum dominandi studium vehementius fuisset in Romano, quam in alio quodam populo, Cl. Dumbeckius te docebit oratione, quam ego publice dictam audivi, tu vero deinceps typis expressam leges. Notare tamen breviter possum, quid fuisset in causis. Hoc enim est repetendum ex ipsa natura mentis humanae, quae quo magis coli incipit sigillatim, quin studio universorum aeque hominum ducatur, eo magis vergit in suam ipsius partem, sive sui studiosa fit. Erat autem hic ipse status mentis humanae, quae in Romano populo habitavit. Cum igitur tanto *suarum* rerum studio arderent tum antiqui omnes, tum Romani inprimis; cum hoc ipsomet studio proprio mores quoque innati et instituta patria magis excoli deberent sigillatim et seperatim ab aliis; cum ideo hac eadem re cresceret amor patriarum rerum simul cum fastu et superbia adversus peregrinas crescente: qua, quaeso,

(1) Ex Clar. DUMBECKII sententia, in scholis et deinceps in Oratione a nobis laudata ejusque Comment. exposita. Conf. ejusdem viri celeb. Tabul. Hist. Univ. pag. 2. 3. 4. 5. 26. 27. 40. 41. — DELWARDE De Form. Rer. Pub. pag. 44. 203.

ratione fieri potuit, ut *Romani* leges sibi *a peregrinis* quaererent? Quo jure Bouchaldus ille dicere ausus est (I. p. 42): « La mission des députés en Grèce n'avait rien d'humiliant pour Rome? »

§ XVIII. **Ut vero hanc innatam in Romano indolem perscrutemur paullo adcuratius, age, eandem cum Graecorum simul ingenio, ratione ipsius historiae mundanae habita, conferamus.**

In qua re primum haec notanda sunt: « Genus humanum easdem vicissitudines patitur quam homo singulus: unusquisque enim populus infantiam, adolescentiam, juvenile robur et senectam agit (1) ». Quam rem si verbis Cl. Erhardti exprimere malis, haec illa sunt (2): « Historia cultus humani pari passu progreditur cum historia evolutionis terrae ipsius: utriusque cursus inter se quadrant atque mundi vocantur epochae, quarum quidem et omnino et sigillatim quatuor sunt: I. Totalitas nondum evoluta — *infantia innocens*; II. Evolutio in reale vergens — juventus valida; III. Evolutio in ideale vergens — aetas virilis prudens; IV. Totalitas recuperata — senectus sapiens ». Quodsi quis jam hominem solum, juxta ingenium diversorum temporum expressum desiderat; adeat ille alium philosophum (3), qui eum repraesentavit ex natura mentis absolutae, quae cum libertate agens se a vinculis naturae liberare et ad certitudinem na-

(1) DELWARDE l. l. p. 68. 69.

(2) S. ERHARDTI Encyclop. philosoph. interprete Cel. DUMBECKIO § 92.

(3) G. W. F. HEGELIUS Grundlinien der Philosophie des Rechtes, § 350-359. — DELWARDE pag. 69 seqq.

turae suae pervenire cupiens, id quatuor periodis, totidem regna historica sistentibus, efficit. De Regno igitur Graeco sic ille scribit (§ 353 et 356):

« Hoc regnum unitatem substantialem illam finiti et infiniti tanquam fundamentum habet suum, mysteriosum tamen atque memoria incerta in symbolis traditionis consepultum, quae e mente sui conscia ad spiritualitatem individualem atque in lucem scientiae enata, facta est pulcritudo et libera et serena illa ethica. In hac igitur natura principium individualitatis hominis singuli sibi oritur, adhuc non in se ipso captum, sed unitate ideali sua sublevatum. Hanc ob caussam partim illa totalitas mentis dilabitur in cyclum, ut ita dicam, spirituum popularium singularium : partim sive voluntas ultima et extrema nondum posita est in subjectivitate conscientiae, sibi soli exsistentis; sed in potestate quadam altiori et extrinseca : sive ex altera parte singularitas necessitati obnoxia nondum in orbem libertatis recepta est, sed exclusa in orbe servitutis apparet ». Deinceps ille (in § 353 et 357) indolem regni Romani sic exprimit : « Distinctio mentis illius usque ad infinitam distractionem vitae ethicae in extremas partes conscientiae privatae individualis et abstractae universitatis conficitur. Antithesis ex intuitione aristocratiae cujusdam, contra principium liberae individualitatis in forma quadam democratica sese evolvit. Versus illam partem, in superstitionem atque conservationem dominatus cujusdam frigidi ac quaevis adpetentis; versus hanc vero alteram in perditionem faecis populi : totalitatis vero diluitio miseria universali atque morte vitae civilis terminatur; qua individualitates populorum intereunt in unitate

panthei cujusdam; individui autem omnes et singulae personae privatae sibique formali quodam jure aequales evadunt, quas eapropter voluntas abstracta, temeraria, fortuitumque arbitrium, sine consilio et fine, continet atque coërcet ».

Vir celeberrimus egregie mentem utriusque populi expressisse mihi quidem videtur; ita tamen, ut non verear, ad eam rem magis explicandam quaedam adjicere.

In Regno igitur historico Graeco genus humanum se a materiae vinculis liberare in eamque dominari studuit. Sed cum ex ea vix egressum esset, ideoque naturae propius maneret, eam manibus coepit tractare, per imagines efformare ad illum pulcritudinis sensum erectiorem; ut animi sensa redderet sive in lapide expressa, seu coloribus repraesentata, sive sono et verbis (1). Qui vero a materiae vi se liberavit, libertati suae studere, individuus fieri studet. Attamen haec individualitas nondum in persona singula prodit, sed in gente quadam tota, in hominum coetibus : qui igitur hoc modo non solum oriebantur, sed a se vicissim sejuncti, oderunt se et bellis gestis confecerunt. Quae res effecit, ut civitates exsisterent plures eaeque minores, quasi totalitates singulae, diversae. Regnum autem Romanum materiam ab homine jam penitus relictam ostendit; igitur hominem magis vergentem versus totalitatem populi unius. Unde ipsi propositum est,

(1) WYTTENBACHIUS Bibl. Crit. Vol. I. Part. IV. p. 2. — LANTHEERE ad *Ciceronem* pro Archia cap. 8. pag. 9 (Ann. Acad. Gand. 1818-1819).

civitates minores delendi subigendique, ut totum exsistat ex partibus singulis, nec vero individualitas personae liberae in homine singulo. *Cives* igitur sibi evadunt coram lege quidem aequales; sed non respectu suo, verum ratione habita *civitatis*, cujus ipsi sunt partes tantum, quibus illa *utitur* tanquam instrumentis ad consilia sua in alias gentes consequenda. Sunt igitur illi civitatis *servi*, omnia et omnes opprimentis. Omnia ad intellectus *rationes*, nihil ad sanctiorem Rationis intelligentiam fiunt; qui singulus nondum nactus est sensum universalitatis *omnium* hominum (1). Dum Graecus, naturae propior, materiae inhaeret, Romanus ex ea jam egressus, versus mentem idealem vergit : unde consequens est, Romanum, licet artes despiceret Graecas, tamen altiorem mentis cultum fuisse consecutum; ex qua re denuo sequi videtur, cultiorem (hoc sensu) Romanum, *virum historicum*, leges petere nec potuisse, nec voluisse ab naturali illo Graeco, *adolescente historico*, qui simul illius fuit hostis naturalis.

§ XIX. Ponamus tamen, *voluisse* Romanum Graecas leges: tum ne potuisset quidem, si deinceps quoque Romanus esse et manere simul vellet. Populus enim, qui constitutionem naturae suae contrariam admittit, vitamque suam ad normam peregrinae gentis constituit, proprietatem ipsammet suam amittit. Hac autem amissa, id est, receptis legibus pere-

(1) Cel. Dumbeck Prolusio primae Lectionum Seriei praefixa (Ann. Acad. Lovan. primi anni, pag. 41-55. — S. Erhardti Encyclop. phil. interprete eodem, § 44 sq. 78. 80. 90. 92. 97 sq. 102 sqq. — Laharpe Tom. III. pag. 4 sqq.

grinis, quae a suis necessitatibus alienae sunt, populus ipse non amplius esse potest; sed necessario corruit. De ea re Thomasius (1) haec perhibet : « Un état ne peut subsister sans lois : le bien de l'état est la règle qu'un sage législateur doit suivre dans toutes les lois qu'il fait; elles doivent tendre à conserver et à augmenter ce bien de l'état. Or chaque état jouit d'un bien qui en partie lui est commun avec les autres états, et en partie lui est propre; il y a donc autant de biens propres à l'état, qu'il y a d'états; et ce bien propre à chaque état éprouve des variations à l'infini. Ce qui est bon pour les monarchies, ne convient pas aux aristocraties, ni aux démocraties; et réciproquement ce qui est bon pour une souveraineté absolue, ne convient pas à une souveraineté limitée. De plus, quoique dans deux états la forme du gouvernement soit absolument la même, ce n'est pas absolument une raison, pour que le bien propre à chacun de ces états soit précisément le même. La différence du caractère et des mœurs de chaque nation, du climat, de la situation, des productions de chaque pays, produira nécessairement des différences dans le bien propre à chaque état et conséquemment doit en produire dans sa législation. Il arrive même souvent que le bien propre à chaque état change, en sorte que ce qui est bon aujourd'hui, devient inutile cent ans après, ou même plutôt. C'est donc en politique un axiome certain, qu'un législateur ne doit en aucune façon se *modéler* dans les lois qu'il fait, sur les autres peuples et les autres états, quoique ces autres états aient une très-grande

(1) L. laud. Th. II. Observ. II. pag. 158 seq. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 31, 32.

conformité avec celui, auquel il destine ses lois; mais ne considérer que la nature et les qualités du peuple et des pays qu'il gouverne, et appliquer à ces qualités les principes politiques, qu'il connaît déjà ou qu'il doit connaître. Il suit nécessairement de ce qu'on vient de dire, que les décemvirs, qui travaillaient à la rédaction d'un nouveau code, eurent tort (1) de copier les lois de Solon et d'y joindre les autres lois des Grecs, quoique Romulus, qui le premier avait ouvert l'avis d'envoyer en Grèce des députés pour en rapporter des lois, eût appuyé son avis sur ce que les lois des Grecs étaient très-bonnes et convenaient parfaitement aux mœurs et aux coutumes des Romains. Des lois peuvent en effet être très-bonnes pour un état et très-insuffisantes pour un autre état où l'on veut les introduire : ce n'est donc pas assez que les états de la Grèce, et surtout celui d'Athènes, fussent des gouvernemens populaires, espèce de gouvernement, que le peuple Romain, depuis l'expulsion des Rois, s'était efforcé d'introduire dans la république (2). Il y avait trop de différence entre les mœurs des Grecs et celles des Romains, entre l'état des Athéniens qui, sans contredit, était démocratique, et la république Romaine, qui était un état agité et incertain, où le sénat prétendait à l'aristocratie ».

(1) Ex nostra sententia legas : *auraient eu tort* ; nam revera Decemviri nihil acceperunt e legibus Graecorum.

(2) Quod vero non concesserim. Consules regiam plane potestatem habuere, si non majorem: Cic. De Rep. II. 33. De Legg. III. 3. — Polybius VI. 11. — Livius II. 1. 3 sq. — Cfr. Delwarde pag. 105. Regibus enim exactis libertas populi nihil profecit, quum penes reges duos esset tota potestas. Cel. Dumbeck Tabb. l. l. pag. 11. Lit. f. Cfr. Gunther pag. 33. 34.

« De quelque côté qu'on envisage leur députation en Grèce, on trouvera toujours, que cette démarche est contraire aux règles de la prudence et de la politique, et qu'un semblable projet est un sûr indice ou des vices de la constitution d'un état, ou du peu de connaissance que les Romains avaient alors de la science législative, ou peut-être même de l'un et de l'autre ».

Quis vero est, qui vim harum rationum infringere possit? Leges, profecto, quae cum moribus et consuetudinibus populi non quadrant, non solum per se malae sunt, sed etiam civitati qualicunque perniciosae!

In nostram sententiam pariter discedit Lactantius, qui (Divin. Instit. VI. 9.) : « Cur, ait, per omnes populos *diversa* et *varia* jura sunt condita, nisi quod unaquaeque gens id sibi sanxit, *quod putavit rebus suis* utile (1) »?

Quodsi igitur non probaveris, Romanos post XII Tabularum leges latas, ut antea omni prudentia illa fuerint destituti, ita Graecam levitatem induisse; temere eosdem a Graecis leges accepisse dixeris.

Tantum tamen abest, ut in Graecos converterentur Romani, ut etiam post latas leges acrius quoque res Graecas

(2) Cel. MEYER : Esprit des inst. judic. Amsterd. 1823. Vol. VI. pag. 10 seqq. — CIC. De Rep. III. 6, ibique *Majus*. — HIERONYMUS in Jovino II. 7. 17. — SEXTUS III, 24, et contr. Eth. 190. — HERODOTUS Hist. III. 38. — DELWARDE pag. 252 sq.

persequerentur, atque odium illud innatum cresceret magis, quam imminueretur. Unde denuo mihi errare videtur Berriat St. Prix (1), qui haec verba facit : « Il était tout naturel, que pour composer les douze tables on eut égard aux lois des autres peuples et qu'on envoya des députés en prendre connaissance sur les lieux ». Non minus ineptit Bouchaldus (Vol. I. pag. 62), qui haec tibi persuadere cupit : « Les députés de Rome envoyés en Grèce agirent suivant les règles de la prudence, lorsqu'ils s'empressèrent de puiser dans la source féconde des lois d'Athènes » — postquam jam ante (pag. 43) scripserat : « Rome, loin d'être blâmable, méritait des éloges pour n'avoir point rougi d'adopter ce que des hommes, occupés des soins du gouvernement, avaient acquis par une longue expérience. » Unde certe mirum non est, quod tam parum ipse sibi constet, cum postea dicit (Vol. I. pag. 81) : « Nous ne devons pas croire, que les décemvirs, personnages d'un âge mûr et qui avaient de l'expérience, fussent assez imprudens pour préférer indistinctement et sans aucun choix des lois étrangères aux institutions domestiques; mais il y a tout lieu de présumer, qu'ils eurent égard au caractère national, soit en ce qu'il avait de bon, soit en ce qu'il avait de vicieux; qu'ils eurent pareillement égard aux choses jugées depuis longtemps de telle ou telle manière, à l'état actuel de la république, aux relations que les deux ordres de l'état avaient entre eux, en un mot, qu'ils pesèrent toutes les circonstances avec la plus scrupuleuse attention. . . . . Les décemvirs ne pouvaient ignorer que les Athéniens avaient eux-mêmes abrogé peu-à-peu une partie des lois,

(1) Them. Tom. IV. p. 305, in nota.

que Solon leur avait données; qu'il y en avait d'autres que ce législateur lui-même ne croyait pas les meilleurs possibles; mais qu'il regardait comme nécessaires dans les conjonctures où se trouvaient les Athéniens, ou comme devant leur plaire, qu'enfin il y en avait des ridicules ».

Hae rationes mirum in modum ipsius sententiam infirmant. Nam si vera sunt, quae modo protulit; cur Romani petiissent leges, quae apud Athenienses ipsosmet non amplius observabantur; cur accepissent instituta, quorum plura *ridicula* et *inepta* esse noverant? Cur ex peregrino jure leges desumsissent, cum secundum ipsius Buchaldi sententiam (1) ex moribus patriis, ex indole propria et ingenio Quiritium scribere leges debuerint Decemviri, ne Romani sua proprietate defraudarentur. Quod igitur si falsum deprehenditur, non minus explosa sunt, quae David Irving (l. l. p. 62) protulit: « At that period however the greeks greatly surpassed every other people in legislative wisdom and refinement. The Roman legislators appear to have been chiefly indebted to Athens; and an examination of the attic laws, may afford some pleasure and instruction to a civilian competently provided with philological learning. »

§ XX. Postquam a nobis demonstratum est, Romanos nec potuisse nec voluisse leges peregrinas petere, nec denique necessitate fuisse coactos, ut facerent: paucis probabi-

(1) L. l. et denuo Vol. I. p. 42. Non minus idem auctor (pag. 82) contendit, populum suas leges scribere non posse ex variis aliarum gentium legibus: manifeste igitur secum ipse pugnat.

mus, ipsis *ansam* quoque defuisse, jus peregrinum adsumendi atque nunquam cuiquam in mentem venisse, leges esse omnino quaerendas. Quod ut rite fiat, primum breviter exponendus est status interior Rei Publicae Romanae illius temporis.

Regibus exactis, belloque adversus gentem regiam feliciter composito, in civitate Romana incrudescebant bella interna; quorum causa princeps repetenda maximam partem est ex humili, dejecta sane et misera conditione plebis. Scimus enim, Romanos bifariam divisos fuisse, in Patricios et Plebem. Patricii non tantum soli a principio opibus pollebant et potestate; sed eas temporum lapsu variis artibus indies magis magisque augere studebant, ita ut non solum pollerent agris, pecudibus et mancipiis, sed etiam clientum magna multitudine se stiparent; a quibus quasi divino honore colebantur, quibus utebantur ad rem suam magis promovendam. Ut igitur Patricii ditiores ipsi fiebant in dies, atque illis copiam nullam faciebant suarum rerum augendarum; ita factum est, ut clientum illorum conditio parum differret a conditione servili. Quas opes, quam potentiam et potestatem ut augerent, continua bella excitarunt cum peregrinis ita, ut jam Latinis subactis, mox Volsci, mox Etrusci minarentur. Unde, cum haec bella non propter plebem suscepta quidem, ab ipsa tamen suis sumptibus gerenda essent; re familiari, cum paterfamilias foris excubabat, neglecta, conditio plebis, quae cogitari potest, miserrima, illa autem pauperrima facta, ad incitas redacta est. Interea cum bella ex bellis exardescerent, et mater et liberi familiâs domi consumerentur fame; plebes mutuam sumere pecuniam a Patriciis debuit ad sumtus faciendos. Quod aes alienum con-

tinuo accrescens jam gravissime premere coepit miseram plebem. Patricii enim non solum erant *patroni* plebis iique, quo erant ditiores, eo etiam duriores; sed simul fuere *creditores* et *judices* debitorum: quibus potestas fuit libertate exuendi, sive nexum faciendi debitorem, in carcerem conjiciendi atque cogendi, ut opus faceret in agris Patriciorum (1). Sed jam ad arma confugit, tumultuari coepit, donec subigeretur denuo. Tandem plebes suam salutem desperans Lares suos relinquere rebusque valedicere, quam tantos cruciatus diutius subire decrevit an. CCLXI U. C. Haec res Patricios coëgit, ut plebi concederent defensores, ex ipsa et ab ipsamet electos, quos *Tribunos* vocavere.

At vero instituto etiam Tribunatu nondum extinctae sunt illae simultates; sed vehementius exardescebant, variis de causis ortae, praesertim ob annonae caritatem, quae ex bellis et agrorum neglectu necessario oriebatur. Deinde exstiterunt lites de agris; quarum caussae hae fuerunt: cum plebes finito adversus populos vicinos bello occupasset devictorum populorum agros, jus erat et consuetudo, ut quisque Romanus in ejus rei partem veniret; sed evenerunt alia omnia. Multum enim abfuit, ut Patricii debitam partem committerent plebi, ut plerumque hos ipsos agros pignori sumerent propter aes a se plebi creditum.

Hoc modo factum est, cum plebes oberata laboris praemium nullum acciperet, ut aes quoque alienum solvere non posset; quoniam non solum non habebat, unde penderet, sed usura

(1) LIVIUS II. 23. — DIONYS. HAL. II. 10. V. 70.

quoque ita augebatur, ut quidquid obtinere potuisset agrorum, id non suffecisset ad satisdationem. Denique ne queri quidem plebes de injuria potuit; quoniam quod fecerant Patricii, id jure factum credebatur Romano; quo eodem jure, praescriptionis nimirum, deinceps ager cum solvere plebes non posset, debitoribus, Patriciis, addicebatur. Hoc modo plebes aequam civitatem non solum non habuit, sed potius erat in eo, ut vel libertate exueretur a Patriciis, quos bella continua mirifice juvaverunt.

Praeterea sub idem tempus aliae quoque res presserunt plebem. Ex una enim parte nullis fere limitibus erat circumscripta Consulum potestas: qua non solum Regium imperium vetustum continebatur totum; sed belli quoque et pacis jus et jurisdictio et praesidium in Senatu atque Comitiis; censura quoque et religio tota in Patriciorum manibus fuere. Ab his igitur talibus judicibus, in propria causa judicantibus, plebeiorum res et capita pendebant. Nam altera ex parte Roma prorsus caruit legibus scriptis; unde si civis cum cive litigavit, re ponderata judicium fiebat secundum consuetudines antiquas, quorum notitiam tralatitiam nemo habuit praeter Patres: quorum igitur opes, potestas et auctoritas ea re mirum in modum accrevit, cum plebeji ipsis magis magisque subjicerentur, quibuscum illud jus Quiritium nunquam communiatum est, a Patribus penitus suspensis.

Quarum rerum ratio interior non aliunde quaerenda est, nisi ex ipsius populi origine patriarcha-sacerdotali, i. e. Etrusca, fere orientali. Quae res hodie neminem amplius latere

potest. Summum enim imperium Etruscorum sacrum erat in sacerdotibus, i. e. in *arcana doctrina*; summum imperium civile in *patria potestate*; quae duo ita erant antiquitus conjuncta et quasi cognata, ut in Romanis quoque Patribus inseparabilia esse viderentur et, bono tempore, reapse essent. Quae res satis expressa est *auspiciis majoribus*, quae nemo habuit praeter Patricios, et sine quibus nemo Magistratus major esse potuit (1).

Quodsi igitur Ordinem Patrum cum Dumbeckio Clar. vocamus *Castam Lucumonum* (sacerdotalem) Etruscorum, quae sola juribus gaudebat et privilegiis, quorum cognatio exprimebatur una voce Patriciorum (Cic. De Rep. II. 12); non certe errabimus, Joannis quoque Lydi (De Magg. Rom. prooemio) bona auctoritate adjuti.

Tu vero lege, quae de eadem re scribit Cel. Delficus (1): « Convien sempre ricordare che il principal carattere delle prische Aristocrazie fu la misteriosa custodia delle leggi o consuetudini, e della religione; ciocchè forma il privilegio esclusivo, o la privativa di quella sola sapienza che gode del bujo e della publica ignoranza ». Hac re naviter ponderata non erit difficile ad dicendum, quid voluerint Tribuni Plebis, cum leges a Patriciis, et cur eas ab iisdem Patriciis peterent. Nihil aliud voluere, quam ut jus omnibus, summis infimis, innotesceret, ut non soli Patricii ex arcana scien-

(1) HEINECCIUS Adpendix Lib. I. cap. 1. § 32. — SIGONIUS De Antiq. Jur. Civ. Rom. Lib. I. cap. 7.

(2) L. l. pag. 76. 77.

tia, et quasi ex arbitrio suo, judicarent; uno verbo, ut leges, quae essent, SCRIBERENTUR (1). Noluerunt igitur, ut jus antiquum abrogaretur (id enim pariter ignorarunt); noluerunt etiam, ut peregre leges acquirerentur (de quibus plebes vix unquam audiverat); sed voluerunt, ut jus Quiritium, certum et scriptum, cum plebe communicaretur — ut Patricii *libidinem ac licentiam suam* pro *lege* non amplius haberent, ut ait Livius (2).

Si haec adcuratius cogitavissent, nec veteres invenissent neque recentiores credidissent fabulam. Nam si Patricii miserint legatos Athenas, peregrinas leges petendi causa, fecissent, quod nemo ab ipsis postulaverat (3). Illud etiam solum postulaverat jam aliquot annos antea C. Terentillus, Tribunus plebis, qui expressis verbis legem rogaverat, qua

(1) WARNKOENIG Inst. jur. priv. pag. 15. — BACHIUS pag. 22. — GUNTHER pag. 69. — DELFICO pag. 69. 70. — GIBBON pag. 4. 16.

(2) III. 9. Cfr. BONAMY pag. 40. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 5. 6. — POTHIER Pandect. Justinianeae p. 10. Quam rem ipse adeo BOUCHALDUS ille sentit, ubi haec profert : « Les patriciens n'abusaient que trop de ce qu'ils exerçaient seuls le pouvoir judiciaire, c'était un des moyens dont ils se servaient pour tenir le peuple dans l'oppression, en rendant la justice non suivant la teneur des lois, mais d'une manière tout-à-fait arbitraire » et BONAMYUS pag. 38 ait : « On demandait des lois fixes et constantes, qui servissent de règle au sénat dans les jugemens qu'il rendait au sujet des procès, qui survenaient entre les particuliers ». — Cfr. LIVIUS III. 9. 10. — DIONYSIUS X. p. 629. 676. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 4. 42. — CIC. De Rep. II. 32. — BACHIUS pag. 25. 76. — BONAMY pag. 50. 51. — DELFICO pag. 70. 71. — BEAUFORT République Romaine pag. 409. — LEVESQUE Histoire critique de la Républ. Romaine pag. 177 sq.

(3) LIVIUS III. 34. 56.

Qninqueviri crearentur LEGIBUS SCRIBENDIS, *quibus in posterum Consules in judiciis uti deberent, nec vero ex licentia caussas dirimerent* (1).

Licet igitur ratio nulla sit, qua ducamur, ut credamus, leges Romanas ex Attico fonte manasse (2); tamen usque reluctatur Bouchaldus (I. p. 43), his verbis : « L'événement seul fit voir que les Romains avaient eu raison de s'instruire de la législation des Grecs. Dès lors, les Patriciens ne furent plus maîtres de rendre la justice d'une façon arbitraire. » Verum, ut impedirent illi Patricios, quo minus jus ex arbitrio dicerent, opusne erat leges *perigrinas* petere ? Nonne hoc idem effecerint melius et facilius in medium prolatis et *scriptis* legibus patriis ? Quo vero pacto Romana plebes non *Tribunos plebis* misit in Graeciam, sed *Patricios* illos, qui certe hoc modo asportare potuissent, quae voluissent ? Ceterum ipsi Decemviri LEGIBUS SCRIBUNDIS electi sunt, non *ferendis*; sine dubio, quia jam aderant leges, sed illae *non scriptae* (3). Quapropter ea nobis inprimis notanda esse videntur, quae a Celeb. Niebuhrio prolata sunt : « Von den beyden Hauptttheilen der Gesetzgebung konnte

(1) BONAMY pag. 38. 39. 40. — CICERO De Rep. II. 36. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 4.

(2) DELFICO pag. 82. 83.

(3) Lex 63 Dig. de donat. inter vir. et uxor. — L. 2 § 36 de origine juris. — LIVIUS III. 32. — CICER. De Rep. II. 36. CREUZER pag. 184. — DELWARDE pag. 129. — VICAT sub verb. *Decemviri*. — GUNTHER pag. 41. — HEINECCIUS pag. 3. § 3. — BACHIUS pag. 25. 28. — GRUNDLER pag. 137. 138. — HUGO Rechtsgeschichte pag. 63. — NIEBUHR Tom. II. pag. 48. 107. 109. 116. — VALERIANI pag. 118. — DIONYSIUS II. p. 97. 98.

die Verfassung des Privatrechts ohne Gefahr einem von den beyden Stænden ausschlieslich anvertraut werden : denn nur ein blindes Vorurtheil hætte der Verwirrung des Rechts *das Wort reden kœnnen*; sie brachte niemanden Vortheil. Auch waren die Decemvirn nicht Gesetzerfinder, sondern ihr erstes Geschæft war, *schon gültige* Gesetze zu sammeln, wie die herkœmmlichen Germanischer Vœlker afgeschrieben sind; dann lag ihnen ob, aus allen zu wæhlen, was allgemein gültig in Kraft treten sollte, ihre Auswahl zu ergænzen, die Willkühr, wo sie herrschte, gegen feste Regeln zu vertauschen. Sie erfüllten ihren Beruf, ein allgemeines Rœmisches Recht anstatt der bisherigen Standes- und Localrechte zu verfassen. »

§ XXI. Superest, ut in hoc paragrapho probemus, leges, quas illi aliunde quaesitas fuisse contendunt, jam Romae viguisse sub regibus. Huc pertinet lex Romulea de *Confarreatione matrimonii*, igitur de *potestate maritali uxorum delicta puniendi* (1).

Idem Patriam potestatem, qua licuit, liberos ter vendere et occidere, jam pridem confirmaverat (2). Non minus ab eodem rege dicuntur leges de jure patronatus (3), de sanc-

(1) DIONYSIUS. HAL. II. p. 95. — GELLIUS X. 23. — VAL. MAXIM. II. 1. — CUJACII Observationes VI. 25. — GUNTHER p. 15. — TERRASSON pag. 49.

(2) DIONYSIUS HAL. II. 97. — HEINECC. Antiq. Rom. I. tit. 9. § 2. — Coll. Leg. Rom. et Mos. IV. 8. — TERRASSON pag. 54. seqq. — GEBAUERI Diss. I, De patria potest. cap. 1. 2 (in Exercit. Tom. I.) et Dissert. II. Vol. I. pag. 123-208.

(3) DIONYS. II. 84. — SCHUBART De fat. jurisprudent. I. 14. — ARNAUD

titate parentum poenisque patronorum, qui clientibus fraudem fecerint, latæ (1). Huc leges de necessitate contrahendi matrimonii puberibus imposita et de educandis liberis (2): pariter de divortio soli marito permisso (3), et id quidem ex certis tantum caussis, pertinent: leges quoque de parricidio (4); de artibus sordidis et sellulariis a civibus non exercendis (5); de honore mulieribus praestando (6); de mulierum abstinentia a vino (7); de poena earum, quae delictum ebrietatis commisissent (8); de auspiciis (9). Praeter hasce aliae complures Romulo attribuuntur leges, e. g. de sanctitate moenium; de cultu religionis peregrinae prohibito; de jure asylorum; de fabulis deorum (10).

Leges vero ad sacra pertinentia Numa tulerat fere omnia:

Variae Conj. I, 4. — ARNTZENIUS Observ. syllog. (Acta lit. Soc. Rhen. Traj. Tom. I. pag. 119.

(1) SERVIUS ad Aen. VI. 69. — FESTUS v. Plorare. — BOUCHAUD I. p. 87.

(2) DIONYS. HAL. IX. p. 580, coll. II. p. 88.

(3) PLUTARCH. Romul. p. 31. — TERRASSON p. 51.

(4) FESTUS sub voce Paricid. — PLUTARCHUS in Romulo pag. 41. — GUNTHER pag. 19. — BACHIUS pag. 9.

(5) DIONYSIUS HAL. II. pag. 95.

(6) PLUTARCHUS in Rom. pag. 30. — ARNTZENIUS l. l. pag. 116.

(7) VAL. MAXIMUS II. 1.

(8) LACTANTIUS I. 22. — TERTULLIANUS advers. Gentes cap. 6. — PLINIUS Hist. Natur. XIV. 13. — GELLIUS X. 23. — VALERIUS MAX. VII. 3, 9. — SERVIUS ad Aeneid. I. vers. 737. — TERRASSON pag. 50. 51.

(9) PLUTARCHUS in Rom. pag. 22. 23. 31. — DUMBECK Tabb. laud. p. 9. Col. g.

(10) L. ult. D. de Rer. Div. — CICER. De N. Deor. III. 2. — PLUT. Qu. Rom. 27. — BOUCHAUD II. p. 324. — GUNTHER p. 20.

ea quoque, quae ad bellum et pacem adhibebantur (1): fastorum sacrorum curam Pontificibus tradiderat (2). Porro Numae sunt leges de Fidei numine metuendo (3); lex de Termino deo, quem si quis exarasset cum bobus, sacer diis esset (4). Fide enim inter homines confirmata, terminos quoque agrorum, quos Romulus nullos constituerat, sacros esse cupivit. Praesertim vero prudenter arbitria fecit de publicis privatisque agrorum terminis, ac Termino, tanquam deo finium tutori, templum statuit, jussitque sacra terminalia esse incruenta. Legem vero de terminis gravi sanctione munivit in illos, qui terminum amovissent vel protulissent; voluitque deo terminali devotum esse caput illius, qui terminum violasset locove movisset, ut impune liceret « occidere ipsum bovesque ejus. » Atque illud quidem crimen, quod hodie dicitur termini moti, tam graviter lege Numae puniebatur, quoniam in eo minus damnum privato homini datum, quam dei termini violatio vindicanda esse credebatur. Numae praeterea sunt leges de cultura vitis « neque ex vite imputata diis libaret (5) », « ne quis vino rogum respergeret (6) : » lex de parricidio in libero homine dolo vel

(1) DIONYSIUS II. p. 124. VIII. 6. — LIVIUS I. 20. — GUNTHER pag. 21. — BACHIUS pag. 4. — GUTHER. De Vet. jur. Pont. urb. Rom. (in GRÆVII Thesauro T. V.). — BOUCHAUD Vol. I. p. 325 seq.

(2) Cel. DUMBECK Tabb. laud. pag. 9. Lit. g. — TACITUS Annal. III. 26. 27.

(3) DIONYS. II. p. 134. — BONAMY Mémoir. de l'Acad. Tom. XII. p. 33.

(4) PLINIUS XXXII. 2. — WINSSINGER De dolo et culp. pag. 151. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 67. — GUNTHER pag. 22.

(5) PLIN. Hist. Nat. XIV. 12.

(6) GELLIUS XVI. 12. — PLUTARCHUS in Numa cap. 14. — SCALIGER Coll. in Varronem pag. 49. — BACHIUS pag. 10.

culpa commisso (1); de pellicatu « ne pellex aram Junonis tangeret (2) »; de jurisjurandi religione (3); lex « ne pisces quis nisi squamosos in polluctum emeret (4) »; de anno luctus a vidua observando (5); de spoliis opimis (6); legem quoque de patria potestate sanxit, qua jubebatur, ut si pater filio concesserit uxorem ducere, quae futura illi esset juxta leges sacrorum, bonorumque omnium particeps, eidem patri postea nullum jus vendendi filium esset (7); ipsimet tribuitur lex « ne mulier praegnans mortua ante partum excisum humetur (8). Accedunt variae leges a Servio Tullio latae. Nam praeter Census constitutionem leges tulit de incensis (9); de agro publice privatimque usurpato (10); libertinos etiam civitatis jure donatos in quatuor urbanas tribus distribuit (11); judiciorum publicorum privatorumque discrimen statuit, et posteriorum judices privatos instituit,

(1) FESTUS s. v. Parricida. — WINSSINGER pag. 112. 113. — CROPP Part. II. pag. 63. 64.

(2) FESTUS s. v. Pellex. — WINSSINGER pag. 113. — WELKER Ueber Recht, Staat und Strafen. 1813, pag. 537 seqq.

(3) GELLIUS VII. 18. Frgm. vet. Schol. ad *Virg*. Aen. XII. v. 234. — C. BARTH. Adv. L. XXXIII. c. 13. p. 1528.

(4) PLINIUS Hist. Natur. XXXII. 2.

(5) DIONYS. II. 98. — PLUTARCHUS in Numa pag. 71. — HEINECCIUS ad Leg. Juliam et Pap. I, 2, 8.

(6) FESTUS s. v. Opima. — GUNTHER pag. 22. — BACHIUS pag. 11.

(7) PLUTARCHUS in Numa pag. 71.

(8) L. 2. D. de mort. inferend. — STOCKMANN ad *Bachium* p. 12.

(9) LIVIUS I. 44.

(10) DIONYSIUS IV. 216.

(11) DIONYS. IV. 226. — CICERO pro Balbo cap. 24.

unde leges de delictis tulisse dicitur (1). Etiam Decemviri Perduellionis sive a Servio Tullio instituti sunt, sive jam ante ipsum exstiterant (2). Haec in jure publico : quod jus civile attinet, ille non solum Romuli et Numae leges instauravit, sed novas quoque condidit (3). Quarum imprimis commemorantur quinquaginta de contractibus; leges in favorem plebis obaeratae pecuniaeque mutuatitiae commercium et ad coërcendam usurariam pravitatem, saevitiamque creditorum reprimendam (4). Cum enim antea Patricii eos, qui debitum ex contractu non exsolverant, propria auctoritate in servitutem abduxissent, rex Plebeiorum corpora libera praestitit, cum definiret, ut et aes alienum confessum esset et judices reos audirent et induciae et vindices concederentur. Hae leges deinceps a Tarquinio Superbo antiquatae, regibus exactis Consulibus auctoribus restituebantur (5). Nec tamen leges solum regiae Romae observabantur; sed etiam mores majorum et consuetudines patriae.

(1) Dionys. IV. pag. 228. — Arnaud I. 17. — Tacitus Ann. III, 26. — Winssinger p. 98. — Vanderhoop De iis, qui antiq. apud Rom. de crim. judicarunt (in Suplem. Thesauri Meermanniani p. 608).

(2) Livius I. 26. — Dionys. III. cap. 7. — Ranchinus Variae Lectt. I, 8. — Hugo RechtsGeschichte pag. 58. — Winssinger pag. 98. — Bouchaud Vol. II. pag. 183. — Vanderton De Delictis pag. 58.

(3) Dionys. I. pag. 2. 16. 220. — Tacitus Ann. III. 26. — Arntzenius cap. 5.

(4) Dionys. I. pag. 215. — Gunther pag. 29. — Bachius pag. 13. — Gibbon p. 3. 4.

(5) Dionys. Hal. V. cap. 1. — Bachius pag. 22. — Bonamy pag. 35. 36. — Gunther pag. 39. — Terrasson Part. II. pag. 81. 82. — Dionys. V. 278 et 218 coll. cum pag. 245.

Hunc igitur satis uberum esse fontem credimus, ex quo, et eo quidem limpidissimo, Romani leges sibi haurire optimas et naturae suae convenientissimas potuerint, quin turbatos rivulos sectarentur peregrinorum.

Quam ob rem male clarissimus Gratama (p. 10) dixisse nobis videtur : « Omnia nos docent Quiritium infantiam ea tempestate in arte legum : non nisi sparsas aliquot, quas necessitas et dies expresserant, leges Roma viderat, nec stabiles eas ». Nobis certe, fatemur, non magis decrepiti tum aetatis adparent Romani; sed non etiam infantes. Populus enim, qui sensum libertatis nactus est et desiderio libertatis, etiam in classe Plebeiorum, ardet, jam virilem aetatem ingressus esse creditur. Quod vero sparsas et quas necessitas et dies expressisset leges vidisse Romam, nec stabiles eas fuisse asseveret, bene illud habet. Nam nobis quoque persuasum est, Romanos nondum habuisse doctores Academicos, qui in otio literario spissos codices in omnem eventum conscripsissent eosque, nitide scriptos, unum pro quovis die, adornatos venalesque habuissent. Sed hoc vitium Romanis fuit cum omnibus gentibus vetustis commune.

Falsam ceterum esse clari viri sententiam, tum ex iis patet, quae cummaxime diximus, tum vero etiam expressa assertione et quasi confessione Dionysii Halicarnassensis (1). Sine dubio enim leges Romuli, Numae, Servii Tullii, praestabant Graecorum institutis. Bene egisse Decemviros, cum ex *patriis* institutis leges scriberent, Aristotelis quoque sen-

(1) Vid. II. p. 96. 124. XI. p. 725.

tentia confirmatur (1), qui leges *ex moribus* scriptas majorem efficaciam habere autumat, quam eas, quae nondum viguissent, antequam *scriberentur*. Atque nunc, ne denuo adversariorum agmen reluctetur, suis ipsorum armis eos vincamus : quod consilium ut consequamur, ex iis unum eligamus Bouchaldum illum (2), qui haec profert de legibus regiis : « On ne peut encore s'empêcher de reconnaître que ce qui regardait le culte divin, que les ordonnances aux arrêts de l'éternelle justice et de la droite raison, que ce qui tenait aux mœurs, ou se trouvait fondé sur l'équité et la continuité des choses, jugées n'avaient pu s'effacer par la haine du nom de roi. Les lois faites dans les comices curiés et dans les comices centuriés, avaient été le propre ouvrage des citoyens; quelques-unes de ces lois avaient été conservées dans les livres des Pontifes; enfin, parmi les rois de Rome, plusieurs, tels que Romulus, Numa, Servius Tullius, avaient égalé en prudence et sentimens de religion et de justice les législateurs de la Grèce; suivant même Denys d'Halicarnasse, les rois surpassèrent les Grecs dans la science de la législation et par la gravité de leurs mœurs. C'est pourquoi les Décemvirs recueillirent avec soin les lois des rois de Rome ». Idem (p. 85) pergit : « Nous disons, que si les lois, que les rois firent, n'eurent pas le frivole mérite d'être conçues en termes élégans, l'esprit de sagesse qui les avaient dictées, les rendit propres à former et à maintenir un état. Il était donc naturel de les conserver;

(1) Politic. Lib. III. cap. 16.

(2) Vol. I. pag. 83.

et nous avons un assez grand nombre d'autorités, qui ne nous permettent pas de révoquer en doute, qu'on ait pris ce soin ». Quibus adde praeterea haec (p. 87) : « Comme Romulus et Numa jetèrent les fondemens de la république Romaine, le premier en instituant les auspices, et le second en instituant les sacrifices, les cérémonies religieuses, les ministres des autels, en un mot tout ce qui regardait le culte divin, *qu'il emprunta des Etrusques ;* les Décemvirs, loin d'établir les réglemens de ces princes, concernant la religion, durent au contraire les confirmer d'autant plus, qu'en cette partie Numa l'emportait infiniment, selon le témoignage de Denys d'Halicarnasse, sur tout état, soit grec, soit barbare, même célèbre par sa piété envers les dieux ». Idem plane sentit vir clarissimus, ubi (p. 88) prolatis et laudatis quibusdam legibus regiis, hoc modo pergit : « Ces lois royales et d'autres lois de même genre, concernant les parricides, le déplacement des bornes, débiteurs insolvables, etc. depuis les rois de Rome jusqu'à l'époque de la loi des douze tables, étaient passées en coutume, et les Décemvirs, suivant le témoignage de Denys d'Halicarnasse (Lib. X. p. 681), *les adoptèrent, persuadés que des coutumes, qui sont l'ouvrage du temps et de l'expérience, sont plus efficaces, que les lois étrangères* ». Quae cum ita sint, ex ipsa auctoris sententia jura, quibus ante XII Tabulas utebantur Romani; ejusmodi fuerunt, ut ea sapientissima et ipsis adeo Atticis legibus anteponenda censeret. Pariter ille, nunc quidem ingenue, fatetur, periculosum esse, peregrina instituta quaerere et prudentiae magis esse consentaneum, moribus patriis vigentibus uti in legibus scribendis. Ex quibus principiis id sequitur, quod volumus ipsi. Sed alterum quoque mani-

festum est, egregium virum dormitasse, cum alio loco (1), auctoritate Livii et Dionysii obcaecatus, omnino prudenter Athenas a Romanis missos fuisse legatos, qui leges Solonis inclytas describerent, ediceret.

Nostram sententiam strenue defendit Bonamyus (2), his verbis : « Est-il croyable, que ce grand nombre de lois de Servius Tullius sur les contrats, sur les droits du peuple, sur les dettes, les usures, etc., que les premiers Consuls avaient remises en vigueur après le bannissement de Tarquin, et qu'ils firent graver sur des tables, eussent été oubliées dans la composition des lois des XII Tables ? Je dirai la même chose des lois de Numa, non-seulement de telles qu'il fit sur les cérémonies religieuses, que tous les auteurs conviennent avoir été insérées dans les XII Tables ; mais encore de celles qu'il établit sur l'agriculture, les limites des terres, et les différends qui pouvaient survenir dans cette matière. Peut-on se persuader, que les lois qui sont dans la septième et la huitième table, sous les titres de Delictis et de Juribus praediorum, aient été empruntées des lois de Solon plutôt que de celles de Numa ou d'Ancus Martius ? et les Romains, à qui Romulus n'avait permis que deux exercices, ceux de la guerre et ceux de l'agriculture, auraient-ils attendu jusqu'au temps des Décemvirs à avoir des lois fixes, sur ce qu'on devait observer parmi eux dans les contestations, qui pouvaient survenir au sujet des limites et des dégâts des terres ? »

(1) Vol. I. pag. 41. 45. 62. 91.

(2) L. l. pag. 45.

Si quis praeterea attente legerit Livium (III. 22), illi clarum erit, Decemviros, ex ipsa illius auctoris confessione, *patrias* leges sequi debuisse. Leges enim sacratas, quae ante viguerant, abrogare ipsis interdictum erat. Si quis tamen forte objecerit *penuriam* institutorum patriorum, ei in animum revocare lubet, quae supra diximus: Romanos nimirum Etruscos fuisse seu saltem ab Etruscis sacerdotibus eruditos; igitur gentem vetustissimam, quae per tam multorum saeculorum decursum magnam certe legum copiam magnamque vitae experientiam sibi parare absque dubio potuit. Nam ab inde populo Etrusco *circa Tiberim* condito usque ad leges XII Tabularum latas anni elapsi fuerant *septingenti septem et triginta*; ab Urbe vero condita *tres et trecenti.* His expositis verba exscribere contraria Terrassoni (p. 82. 85) putidum foret.

§ XXII. Quam supra indicavimus auctorum classicorum repugnantiam, in tradenda fabula manifestam, de ea hoc loco dicamus accuratius. Atque Livius quidem (III. 31 sqq.) de legibus tantum *Atticis*, quae in XII Tabulas translatae essent, loquitur; nec ullibi *patrias* Romanorum consuetudines a Decemviris fuisse adhibitas dicit. Ex ejusdem auctoris opinione tres legati qui Athenas missi fuissent, in Decemvirorum numerum solum relati sunt; quoniam populus *eos simul legum peregrinarum peritos ad condenda nova jura usui fore crederet.*

Unde auctoris opinio haec fuisse videtur, acsi legibus *solum* Atticis Decemviri usi essent; quam sententiam penitus exprimit Florus (I. 24), atque audacius etiam Symma-

chus (III. Ep. 11); non minus Aur. Victor (de Vir. ill. 21), Orosius (XI. 13) atque Hieronymus in chronico (quorum ipsa verba vide supra in § I).

Dionysius (1) vero observat, leges nostras *tum* ex *Graecorum* legibus, *tum* ex *Romanorum* moribus non scriptis esse compilatas, *ἔκ τε τῶν Ἑλληνικῶν νόμων, καὶ παρὰ τῶν σφίσιν αὐτοῖς ἐγράφων ἐθισμῶν*; qui igitur reliquis manifeste dissentit (2). Sed Livius ipsemet sibi non constat, ut eruitur ex libro sexto (c. 1); in quo loco refert, post incensam a Gallis Urbem leges etiam Regias cum duodecim tabulis conquisitas fuisse : qua re (nisi glossema illud sit) satis indicat, regias leges adhuc fuisse in usu, iisque carere deinceps etiam noluisse Romanos. Si vero jus Regium moresque patrios adhibuerunt Decemviri, ut ii quoque fatentur, qui traditionem defendere conantur (1), et perhibet claris verbis Dionysius (II. p. 97): « Sublato regno, cum primum populo Romano visum est, *omnes patrios mores et leges* una cum ascititiis in foro palam omnibus proponere, Decemviri legem de patria potestate, a Romulo sancitam, inter caeteras retulerunt » — none ex hoc loco jure inferre possumus : nihil omnino ex legibus Graecorum fuisse desumtum, quum hae certe *patriae* non essent?

(1) Lib. X. p. 681. — ARNAUD II. 21. — HEINECCIUS edit. *Hauboldus* § 3. pag. 4.

(2) Male itaque BEAUFORTIUS pag. 183 : « L'écrivain grec, dans la relation des lois des XII tables, ne diffère guère de l'écrivain latin que par la prolixité de sa narration et par sa loquacité dans les harangues ».

(3) BOUCHAUD vol. I. p. 85 seqq. et vol. II. p. 72 sq. — HEINECC. § 3. ibique *Haubold*. — BACHIUS pag. 28 sq. — GUNTHER § 3. — GOTHOFREDUS

Quodsi vero Atticas intulissent in Romanas, nonne illi elementa plane contraria sibique infesta miscuissent? Nonne haec fuisset insignis petulantia, peregrina et nociva indigenis, quasi venenum vino, admiscere, cum nulla necessitas hoc suaderet? Sed videbamus ex loco cummaxime allato, Dionysium non magis sibi constitisse, quam reliquos!

CAPUT QUINTUM.

Expositis argumentis, quae infringere traditionem in universum videntur, conferamus nos ad singulas leges XII Tabularum, ut videamus, utrum hae quoque Romanae sint, an peregrinae origini attribuendae? Quae leges cum sive statum reipublicae totius, sive jura privata, sive sacra spectent; totidem capitibus tractandae sunt (1). In qua tamen re id tenendum est, ut ne quis opinetur, nos tria illa capita nullo vinculo esse connexa credere, ut potius nunquam obliviscamur, rem publicam a religione, hanc a rebus privatis nullo pacto esse sejungendam. Quod sicut apud universas gentes obtinuit, sic etiam apud Romanos ex patriarchali vitae ratione est explicandum; in qua res civilis quasi domestica et sacerdotium semper cum patrisfamilias potestate erat cognata, adeo, ut penes hos ejusmodi sacerdotes omnis divini huma-

pag. 64. — L. 2. § 24 Dig. de origine juris. — L. 1. Dig. de curat. furios. — FESTUS v. *Reus*. — Coll. Leg. Rom. et Mos. tit. 4. § 8. — BONAMY pag. 45. — BOULAGE pag. 25. 29. — POTHIER Pandect. Justinian. vol. I. praef. p. 10 sq.

(1) In universum vid. POTHIER l. l. p. 74.

nique juris cura esset, et Magistratus domi et Imperium in bello et Comitiorum ratio totaque Legislatio.

§ XXIII. *De jure publico.*

In hoc capite primum occurrit lex : « Quod postremum populus jussit, id jus ratum esto. » Unde patet, jus leges jubendi penes populum fuisse (1). Quod institutum, cum maxime populare (democraticum) sit, primum quaerendum est, utrum aliunde fuisset repetitum. Quam rem adeo negamus, ut eandem jam sub Regibus viguisse asserere non dubitemus. Scimus enim, Regum Romanorum potestatem non absolutam fuisse, sed arctissimis adeo terminis circumscriptam; illosque, praeter imperium, legum modo exsequendarum potestatem habuisse, servato Patribus (i. e. *populo*, tum temporis) jure sanciendarum legum. Regem igitur, qui in Senatu *princeps* tantum *inter pares* fuit, non ex arbitrio, sed populi jussu et auctoritate rempublicam rexisse, dubitari nequit (2); non magis, quam certo constat, ipsum potestatem suam non hereditariam, sed a Patribus (populo), acceptam tenuisse, negotia publica tanquam summum magistratum pace belloque gessisse, Senatumque publici consilii principem aut certe participem habuisse (3). Unde apud

(1) Auctor ad *Herennium* XI. 13. — Livius VII. 17. IX. 33. 34. — Boulage p. 225. — Pothier pag. 160.

(2) Delwarde pag. 105. 224. — Sallustius Catil. 6. — Dionysius II. p. 87. Cicero De Rep. II. 9, 12, 13, 17, 18, 21. — Bouchaud vol. II. p. 308. — L. 6. de Dig. Leg. — Creuzer pag. 82, 83, 103, 227.

(3) Dionysius II. 87. — Duni origine e progressi del cittadino e del go-

Livium (I, 49) Tarquinius Superbus *tyrannus* dicitur, quoniam neque populi jussu, neque auctoribus Patribus, rem gesserit. De qua re non male Bouchaldus (Vol. I. pag. 37): « L'histoire, ait, du gouvernement des rois de Rome nous offre des prestiges d'une puissance royale limitée et de sûrs indices de l'influence que le peuple et le sénat avaient dans les affaires publiques. Salluste, parlant des rois de Rome, dit qu'ils avaient une souveraineté *légitime*, c'est-à-dire circonscrite par les lois, et que cette souveraineté s'appelait royauté. Et Denys d'Hal. après avoir comparé la souveraineté des rois de Rome à celle des rois de Sparte, ajoute qu'ils n'étaient point libres de faire tout ce qu'ils voulaient, mais que la puissance publique de l'administration résidait tout entière dans le sénat ».

Quae cum ita sint, omnis legislatio penes populum fuit; ideoque lex nostra ex primis civitatis temporibus repetenda est (1). Quapropter tenenda mihi esse videntur, quae de hac lege disseruit Bonamyus (2): « Il ne faut point chercher cette loi ailleurs, que dans le système du gouvernement établi par Romulus : c'est lui qui accorda au peuple le droit d'élire les magistrats, de faire des lois et de connaître des affaires de la guerre. Par le terme, dont se sert Denys d'Hal. δημοτικον πληθος, il ne faut point entendre les seuls Plébéïens; car ce n'a jamais été aux seuls Plébéïens qu'il a été permis

verno civile di Roma; Roma 1763. vol. II. cap. 8. — BACHIUS pag. 89. 91. — CICERO De Rep. II. 13, 20, 21, 32 (edit. de *Villemain*, vol. II. pag. 151. 152).

(1) DIONYS. HAL. V. 1. coll. cum II. 5.

(2) L. I. pag. 52. 53.

de créer les magistrats sans la participation des Patriciens; mais Romulus ayant mis ceux-ci à la tête du gouvernement, en sorte qu'ils n'y avait qu'eux qui pussent posséder les magistratures, il accorda à tout le reste des citoyens le droit de se trouver dans les assemblées du peuple, pour y donner leur suffrage et y décider des affaires conjointement avec les Patriciens. En effet, Denys d'Hal., qui rappelle les droits du peuple, au sujet des prérogatives que Servius Tullius voulait accorder aux riches citoyens dans la décision des affaires, remarque que ces prérogatives regardaient les assemblées, où tout le peuple avait coutume de terminer les affaires les plus importantes de la république; car c'était à lui, dit-il, qu'appartenait le droit de créer les magistrats de la ville, d'élire les généraux d'armées, de confirmer les lois qu'il jugeait à propos, d'abroger celles qu'il ne trouvait pas bonnes, de déclarer la guerre ou de faire la paix, selon son bon plaisir ». Haec omnino probaremus, nisi auctor, communi errore deceptus, Romulum propria auctoritate reipublicae Romanae rationes constituisse, dixisset, quasi solo regis beneficio populus et Senatus jus legum ferendarum habuisset; cum tamen indubitatum sit, Romulum non fuisse regem, nisi consensu populi et auctoritate Senatus.

Continetur in hac lege nostra momentum alterum, quod non magis silentio praetermittendum est; *posteriores nimirum leges prioribus derogare*; quod praeceptum sicut sancitur lege 28 Dig. de legibus, ita penitus naturale est. Inde efficitur, nostram legem e peregrinis institutis non fuisse desumtam, non solum, quia eadem in jure Attico non invenitur, sed quoniam ex ipsa forma reipublicae Romanae cumque ea ex rerum natura suapte sponte promanavit.

§ XXIV. Idem constat de lege hac : « De capite civis nisi per maximum Comitiatum ne ferunto (1) » — quam *ante Decemviros* latam fuisse Cicero testatur (pro Sextio 3.), ubi haec legimus : « Cum et *sacratis legibus* et XII Tabulis sancitum esset, ut neque privilegium irrogari liceret, neque de capite, nisi comitiis centuriatis, rogari cet. »

Quum enim haec lex ad *sacratas* pertineret, hae vero latae essent ante tempora Decemvirorum, quod veterum testimoniis constat (e. g. Livii III. 32 : « Plebeios consensisse, ut XII Tabulae a Patriciis solis scriberentur, *ea conditione ut leges sacratae non abrogarentur* »); simul inde sequitur, eam non aliunde venisse. Non minus Dionysius, circa annum CCLX. U. C. post factam a plebe secessionem in montem sacrum, ideoque *ante* XII Tabulas, sancitas fuisse leges sacratas, testatur (2). Accedit ad haec testimonium novum, ex lege 2. et 16 Dig. de origine juris, in quo loco JCtus de legibus, ante XII Tabulas latis, verba faciens, haec profert : « Exactis deinde regibus Consules constituti sunt duo, penes quos summum jus, uti esset lege, rogatum est. Qui tamen ne per omnia regiam potestatem sibi vindicarent, lege lata

(1) Cic. De Legg. III. 4. 19. — Vanderton De Delictis. Lovan. 1822, pag. 55. 82. — Nieuport De Ritibus Rom. pag. 229. — Bouchaud vol II. pag. 182. — Gothofredus pag. 131. — Cic. De Rep. II. 36. — Pothier pag. 143 sq. — Bachius p. 64, 65. — Gunther § 45. pag. 49. — Boulage pag. 200, 210 seqq.

(2) Livius II. 33. — Sigonius De antiq. jur. civ. Rom. I, 6. pag. 84. — Heinecc. Appendix, lib. I. cap. 1. § 27. — Ernestus Clavis Cic. sub verb. *Sacratae.* — Perizonius Animad. hist. cap. 10. pag. 418. — Bachius pag. 19. 21. — Bonamy pag. 60.

factum est, ut ab eis provocatio esset « *neve possint in caput civis Romani animadvertere injussu populi* »; unde simul eruitur, eandem non multo post reges exactos latam fuisse, quod praeterea confirmatur § 23 ejusdem legis.

Erat autem legis auctor, teste Dionysio (1), Valerius Publicola, qui, ut refert Livius (2), plures leges, quibus Consulum postestas variis limitibus circumscriberetur et nominatim legem rogavit *de provocatione ad populum, si de capite, fama aut bonis civium ageretur.* Unde vero consentanea esse videtur eorum sententia, qui lege Valeria cautum esse dicunt (3), ne consules, injussu populi, de capite civis quaererent (ut patet ex leg. 2. § 16. Dig. de origine juris). Ejusmodi autem legem a PUBLICOLA latum fuisse, dubitari nequit (4). Ab his igitur temporibus publici juris fuisse videtur, ne in criminibus capitalibus judicium et quaestio institueretur, nisi per maximum comitiatum. Sunt enim crimina capitalia ea, in quae poena mortis statuitur sive exsilii, sive quibus civitas amittitur (5); quia vox Caput non tantum

(1) L. l. V. 19.

(2) L. l. II, 8. — Cicero De Repub. II, 31.

(3) Sigonius De Jud. Lib. II. cap. 4. — Vanderhoop l. l. (in Supplem. Thes. Meermanniani) pag. 617.

(4) De his omnibus Conf. Valerius Maxim. IV. 1. — Bachius pag. 20. 21. — Plutarchus in Poblicola cap. 11, pag. 102. — Heineccius Adpend. Lib. I. cap. 1. § 27. — Creuzer pag. 133. — Bouchaud Vol. I. l. l. — Cel. Dumbeck Tabb. laud. pag. 11. Lit. f. — Winssinger De Dolo et Culp. pag. 99.

(5) L. 2. Dig. de pub. jud. — Lex. 2. Dig. de poenis. — L. 203 Dig. de Verb. Signif.

de *vita*, sed etiam de *libertate* et *civitate* usurpatur (1). Neque tamen omnes auctores hanc legem nostram eodem modo intelligunt. Sunt enim, qui dicant, verba « *de capite civis nisi per maximum comitiatum ne ferunto* » significare, jus ferendi judicium de civis capite ad sola pertinere Centuriata comitia; ideoque judicia rerum capitalium, quae antea penes Consules fuissent, ipsis ea lege esse ablata (2). Alii contendunt (3), ea lege cautum fuisse, ne magistratus quaestionem haberent de criminibus capitalibus, nisi in comitiis centuriatis ejus rei facultatem impetravissent; quapropter legem sic illi reddunt : criminum capitalium judicia ad populum pertinuisse, cujus tamen jussu, in singulis caussis, a consulibus exerceri eaedem potuissent (4). Atque hoc recte quidem.

Haec enim interpretandi ratio penitus quadrat cum lege 2 § 16. Digest. de origine juris; ubi dicitur : consules posse tantum cives coërcere aut in vincula publica duci jubere, non vero in eorum caput, *Injussu populi*, animadvertere. Corrobo-

(1) STRUVIUS ad Pand. Lib. IV. tit. 5. Th. 68. Vol. I. pag. 479. — BACHIUS pag. 65. — ADAM Antiq. Rom. Tom. I. pag. 274. — DE PASTORET Lois penales Tom. I. pag. 30. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 182. 184. 193. — VANDERTON pag. 182. — BALDUINUS Catec. jur. civ. (in HEINECC. Jurisp. Tom. I. p. 768); coll. L. 2. Dig. de restitut. in integrum. — L. 1. Dig. de cap. min. — HEINECCIUS Lib. I. tit. 11, § 6. — WARNKŒNIG Comment. § 33.

(2) BOUCHAUD Vol. II. pag. 184. Vol. I. pag. 53. — BONAMY pag. 60. — VANDERTON pag. 56. 82.

(3) WINSSINGER De Dolo et Culpa pag. 99. 100.

(4) HAUBOLDUS Inst. Jur. Dogm. § 101. pag. 58. — TERRASSON Part. II. § 11. pag. 177.

ratur haec legis explicatio exemplo egregio apud Livium (IV. 51); ubi consules ex consensu populi judicium capitale exercuisse legimus. Non igitur invidemus Buchaldo, qui eam legem ex Attico jure tralatam esse opinatur (1). Caeterum indubitatum est, hanc legem ante XII Tab. jam invaluisse, cum a Valerio Publicola esset lata.

§ XXV. Transeamus ad legem tertiam Decemviralem : « Quaestores parricidii, qui de rebus capitalibus quaerant, a populo creantor (2) »; de qua lege deque illorum magistratuum origine haec docet JCtus (in leg. 2. § 23. Dig. de origine juris) : « ... et quia, ut diximus, de capite civis Romani injussu populi non erat lege permissum, consulibus jus dicere : propterea Quaestores instituebantur a populo, qui capitalibus rebus praeessent : hi appellabantur *Quaestores parricidii quorum* ETIAM *meminit lex XII Tabularum* ». In hoc igitur loco expressis verbis adseveratur, legem nostram ex jure veteri in XII Tabb. transisse, et quidem *ut sequelam legis praecedentis*. Cum enim cautum fuisset, ne consules judicia capitalia exercerent, nisi in singulis caussis et ex populi jussu, instituti sunt proprii magistratus, qui quaestionibus publicis praeessent. Hi sunt Quaestores Parricidii, non multo post Reges exactos creati (3).

(1) Vol. I. p. 74. Cfr. praeterea Livius IX. 46. — Dionys. VII. 9. — Liv. II. 21.

(2) Vid. Bachius p. 70. 71. — Gothofredus p. 132. — Bouchaud Vol. II. p. 191 seqq. coll. cum Vol. II. p. 184.

(3) Winssinger pag. 102. — Bouchaud Vol. II. pag. 193. — Vanderton pag. 58. — Pothier pag. 144. 145.

Vocantur autem quaestores parricidii, quia verba *parricidium*, *parricida esto*, in omni re capitali adjecta fuisse videntur, quasi idem significarent, quod *capital esto* (1); unde Cicero (De Legg. II. 9.) « sacrum sacrove commendatum, ait, qui clepserit rapsitve, parricida esto » et Pomponius (L. 2. § 23. Orig. jur.) eos vocat quaestores parricidii, quia, ait, rebus capitalibus praeerant. Pariter Festus sub voce *Quaestores* (pag. 407) dicit : « Quaestores dicebantur, quod quaererent de rebus capitalibus. Unde qui talia quaerunt, quaestores parricidii appellantur »; atque Plutarchus (in Romulo 21, in fine), parricidam esse dicit *omnem percussorem*.

Cum praeterea hae loquendi formulae Romanis plane propriae essent, hoc non parum facit, ut credamus, eas ex *Romanorum* moribus originem duxisse (2).

Ceterum haec lex cum praecedente eodem tempore lata est (3).

§ XXVI. Iam dicamus de famosissima illa lege, quae dif-

(1) BOUCHAUD Tom. II. pag. 52. 191. 193. — FESTUS sub voce *Quaestores* pag. 407. — SCALIGER ad Festum lit. P. in fine. — CROPP Part. II. pag. 63. 64. 84. 85. — FESTUS v. Parric. pag. 324. — HUGO Hist. Jur. Rom. Amsterd. 1825. Vol. I. pag. 263. — LYDUS De Magist. I. 26. pag. 48. — GUNTHER § 17. pag. 19. — MASCART De Parricid. Lovan. 1825. pag. 10. 11. — SOLORZAN. de parric. Lib. I. cap. 3. (in OTTON. Thes. V. pag. 999).

(2) GOTHOFREDUS pag. 132. — TERRASSON Part. II. § 11. pag. 177. 178.

(3) Ut ex POMPONIO eruitur L. 2. § 16. 23. de orig. jur. Cfr. LYDUS De Magistratibus I, 26. — SIGONIUS De Judiciis II. 1. 4. — CREUZER pag. 165. — HEINECC. Lib. IV. tit. 18. § 11. — BOUCHAUD Vol. IV. pag. 193.

ferentiam inter Plebeios et Patricios esse statuit, et Mixta Matrimonia: « *Patribus cum plebe connubi jus ne esto* (1) »; quae a primis adeo *Romanorum* temporibus repetenda est.

Romanos ab Etruscis ortos fuisse supra diximus. Apud Etruscos autem in reliquas Castas dominabatur ordo sacerdotalis, quo coram reliqua populi turba sicut infimae conditionis erat, ita plane evanuit. Reperitur autem eadem differentia gentis inter Patricios et Plebeios. Illi enim non solum gentis nobilitate superbiebant aliosque, Clientes, Plebem, ex hoc capite alte despiciebant; sed etiam propter eandem causam soli in civitate censebantur atque reliquos pro servis nobilium habuere (2). His juribus illi utebantur tamquam *Patres gentium* (patriarchae) divinarum et humanarum rerum periti, quibus, sacerdotibus, jus inhabitavit solis *rem gerendi* (3).

Hi sadcerdotes fuerunt PATRES Romanorum, et penes ipsos, Deorum auctoritate, erat imperium, i. e. ipsi Senatum constituerunt, ipsi magistratus fieri (antiquitus) soli potuerunt. Hinc, profecto, difficile non est ad intelligendum, quo pacto connubia fieri inter Patricios ed Plebeios non potuissent. Lex igitur, quamtumvis licet inhumanissima *poste-*

(1) Gothofredus pag. 138. — Hugo Hist. Juris pag. 94. 95. — Pirmez De marito tori violati vindice pag. 61. — Pothier pag. 161. — Segur Vol. VI. p. 171. — Boulage pag. 225. 226.

(2) Livius IV. 3. 9. 16. VI. 41. — Cicero in Verrem III. cap. 4. — Gunther pag. 69. — Creuzer pag. 89. — Delwarde pag. 224. — Bonamy pa. 68. 69.

(3) Heinecc. App. L. I. c. 1. § 32.

rioribus visa, tamen ex natura illius temporis, ne dicam ex ipsis sacris, erat repetita : ordo sacer cum plebecula turpi sancto matrimonii, i. e. sanguinis, vinculo uniri non posse videbatur. Praeterea hic ordo sacra habuit privata et majora auspicia, quae cum Plebeis communicari nequiverunt, non magis, quam potuisset in venas eorum infundi sanguis ille nobilis ac vetustus. Unde illi ne tum quidem, cum erant in magistratu, habuere majora auspicia (1). Cum illa autem sanctimonia conjuncta etiam erat cognitio arcanae doctrinae, proprietas sacerdotum Etruscorum, i. e. Castae cujusdam privae : quae disciplina a plebeis prorsus ignorabatur, et ad eosdem, auxilio deorum, coërcendos erat excogitata inque libris sacris perscripta, ex quibus solis disci potuit, quo modo, quibus sacris et caeremoniis irata numina placari et propitia reddi potuerint : in iis solis auguria ed divinatio, quae in his nitebatur, et doctrina juris contenta erant. Quam periculosum fuisset, si ea res cum plebeis fuerit communicata; quam cito labi cum arcana religione Patrum auctoritas debuisset, nemo est, quin videat. Unde certe facile intelligitur, quam parum convenisset in Plebem et Patres, si matrimoniis inter utrumque ordinem non prohibitis, hoc modo illa doctrina transiisset ad plebejos. Hoc igitur jus plane domesticum a Decemviris non statuebatur, sed solummodo confirmabatur, tanquam jus vetus Quiritium (2). Quae res ut penitius demonstretur, audiamus ipsosmet Patricios cau-

(1) VALERIUS MAXIMUS II. 1. — LIVIUS VI. 6. — BONAMY pag. 68. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 190.

(2) DIONYS. X. 684. — CIC. De Rep. II. 37.

sam suam perorantes, cum Canuleius, Tribunus Plebis, legem ferre auderet de ea prohibitione tollenda (1). Sic enim rem narrat Livius :

Dicebant consules : « Quas quantasque res Canuleium aggressum ? colluvionem gentium, perturbationem auspiciorum, publicorum privatorumque, afferre, ne quid sinceri, ne quid incontaminati sit : ut discrimine omni sublato nec se quisquam nec suos noverit. *Quam enim aliam vim connubia promiscua habere, nisi ut ferarum prope ritu vulgentur concubitus plebis patrumque :* ut, qui natus sit ignoret, cujus sanguinis, quorum sacrorum sit, dimidius plebis, ne secum quidem ipse concors; parum id videri, quod omnia divina humanaque turbarentur, jam ad consulatum vulgi turbatores accingi. » Apud eundem Livium (IV. 1) legitur, Patres sustinuisse : « Lege matrimonia inter patres et plebem permittente contaminari sanguinem suum confundique jura gentium (2). »

Hoc bene observat Bonamyus (3), qui haec scribit: « On peut conclure de ces paroles, que les raisons qu'apportaient les Patriciens pour s'opposer à la demande du tribun Canuleius, ayant toujours subsisté depuis la division, que Romulus(?)avait faite, des citoyens Romains en deux corps, les mariages des Patriciens avec les Plébéïens n'ont jamais été en usage

(1) LIVIUS IV. 2.

(2) NIEBUHR Vol. II. pag. 166. — SIGONIUS De antiquo jur. civili Rom. I. 9. pag. 122.

(3) L. l. pag. 69.

à Rome, et on n'en voit pas d'exemple avant les Décemvirs. Ainsi la loi des XII tables ne faisait que confirmer cet usage.»

Ex hac Patrum sententia extra dubitationis aleam positum est, jus, quod ea lege a patribus auferebatur, ab remotissimis inde temporibus ipsis competiisse, cum *violari* ea rogatione jura *divina* et *humana* dicerent (1), atque recte Patres sensisse, quisque videt, modo ille obiter historiam gentium vetustarum legerit.

Nullus igitur discedo in sententiam Dionysii (2), qui opinatur, Decemviros hanc legem in XII Tabb. transtulisse, ne per mutua familiarum Plebeiorum et Patriciorum connubia, renascente concordia inter utrumque ordinem, ab imperio, quod deponere nollent, se abdicare cogerentur; ejusmodi enim non nisi Graeculus quidam censere potest (3).

Ceterum Decemviri sanxerunt hanc legem, tum quoniam eadem jam ab initio in usu fuerat, Decemviri autem *antiquas consuetudines* scribere debuere; tum quia consilium sequebantur *legibus scriptis* summam optimatium potestatem confirmandi, cui rei nihil magis favere potuit, quam prohibitio connubiorum inter diversos ordines. Haec lex a Solone sancita non est. Athenis enim inter ipsosmet proletarios sive capite censos et reliquas classes matrimonia permitte-

(1) BACHIUS pag. 135. — Cfr. BOUCHAUD Vol. II. pag. 322.

(2) X. pag. 681. 684. XI. p. 709.

(3) ZONARAS Ann. L. VII. cap. 18. — CICERO De Rep. II. 37. — GOTHOFREDUS, pag. 60. 138 sq. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 322.

bantur, ea solum lege, ne civis *peregrinam* duceret (1). Omnio ex Solonis constitutione solum discrimen, quo proletarii a reliquis civibus distinguebantur, hac re continebatur: ut proletarii nullum magistratum gerere possent, quin ceterum jure suffragii ferendi excluderentur atque ab judiciis arcerentur (2): quod vero discrimen, tempore Decemvirorum, vel ipsum fuerat sublatum (3).

§ XXVII. Lex, de qua nobis quarto loco dicendum est, invenitur in Tabula IX (num. 3), his verbis: « Nexo soluto forti, sanati siremps jus esto (4). » Quum haec lex sit obscurissima, breviter interpretanda est. Constat autem, apud Romanos nexos dictos esse debitores, qui aes alienum solvere non poterant, ac eapropter quandam servitutem subierunt, in qua ipsos tenere creditoribus jus erat, et quae eo consistebat, ut ad operas serviles praestandas adhiberentur. Iisdem nomen quoque fuit *addictis*, quia creditoribus a

(1) SAM. PETITUS VI. tit. 1. (in HEINECC. Thes. Vol. III. pag. 636. 637). — LAMB. BOSIUS pag. 202. — DEMOSTHENES in Neaeram pag. 519; contra Timocratem p. 479. — Cfr. BONAMY p. 69.

(2) PLUTARCHUS in Solone pag. 87, in fine. — POLLUX VIII. 10. Segm. 130. — PETITUS Lib. II. tit. 3. n° 3. 4. pag. 202. — ARISTOT. Polit. III. 8. — BARTHELEMY Vol. I. p. 79. 81. — ARISTOT. De Rep. II. 12. p. 336.

(3) PLUT. Arist. p. 332. C. — XENOPH. De Rep. Athen. ab init. — ARIST. Polit. in fine. — S. PETITUS II. tit. 3. n° 5. Vol. III. p. 203 sq. — L. III. tit. 2. p. 301 sq. 313.

(4) FESTUS v. *Senates*. — GELLIUS XVI. 10. — SCALIGER ad Festum v. *Fortis*. — GOTHOFREDUS in Corpore auctorum de Lingua Latina pag. 198, et Opera Omnia 129. 130. — BACHIUS pag. 64. — POTHIER pag. 142. — BOULAGE pag. 199. 203 seqq. — BOUCHAUD Vol. II. p. 113 sqq.

Praetore fuerant adjudicati (1). Obaerati tamen illi non servis omnino similes erant; soluto enim debito, vel invito creditore, liberabantur, quin eapropter essent in conditione libertinorum, sed ut redirent in statum ingenuorum (2).

Quam rem optime explicat Quintilianus (Inst. Or. V. 10. VII. 4 et Declam. 311), qui « servus, ait, cum manumittitur, fit libertinus (3), addictus recepta libertate est ingenuus; servus invito domino libertatem non consequitur, ad servum nulla lex pertinet; addictus legem habet; propria liberi, quae nemo habet nisi liber, praenomen, nomen, cognomen, tribum habet addictus ». Sic facile intelliguntur verba *nexo soluto*, *forti*, *sanati siremps jus esto*. Haec nihil aliud significant, *nisi debitorem*, qui aes alienum, ratione cujus nectebatur, solvit, eodem jure quo reliqui cives frui (4). Hunc

(1) Conf. VICAT Vocab. juris utriusque v. *Nexi*. Vol. III. pag. 224. — BRISSONIUS v. ead. — HEINECCIUS Antiq. Lib. III. tit. 30. § 2. — BONAMY pag. 64.

(2) CUJAC. Obs. XIII. 4. — BOUCHAUD I. p. 440. Inst. § 1. de ingen. — HEINECC. III. tit. 30. § 2.

(3) *Libertus* erat is, qui quondam ipse fuerat servus; ejus vero liberi *Libertini* dicebantur. Caeterum Libertus Libertinusque unus idemque servus dici potuit. *Libertus* ratione domini, *Libertinus* ratione reipublicae. Unde factum est, ut scriptores ab inde tempore Trajani saepe utrumque confunderent. — SUETONIUS in Claud. cap. 24. — ERNESTUS Clavis CIC. v. *Libertus*. — TACITUS Ann. II. 85. — SUIDAS v. *Libertinus*. — Act. Apost. VI. 9.

(4) *Siremps* i. e. *simile* vel *idem*. — FESTUS v. *Siremps*. — SCALIGER ad eumd. — GRUTER pag. 508. 628. — PLAUT. in Prolog. ad Amphitr. 73. — LIPSIUS Antiq. Lect. I. 1. — GOTHOFREDUS pag. 130. 182. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 173. — SIGONIUS De Ant. Jur. civil. Rom. I. 6. — GUNTHER p. 59. 60.

morem ante Decemviros fuisse observatum, quisque sentit. Jus enim illud regium, quo creditor debitorem nexum facere poterat, jam sub regibus observabatur et, testibus scriptoribus vetustis, de ea re ante XII Tabb. jam lites audiebantur, inter Plebem et Patricios ortae (1).

Contra apud Athenienses illud jus immitissimum abrogaverat Solon (2). Unde patet, legem XII Tab., de qua hic sermo est, ex jure Attico non promanasse. Praeterea *verba* legis nostrae FORTI, SANATES indicare videntur duos populos Romae vicinos, quorum alii nunquam a populo Romano defecissent (Fortes sive Boni s. fidi); alii vero, cum a Romanis defecissent, brevi post redissent in antiquam gratiam. Hi enim *Sanates*, quasi a *Sanata mente* dicebantur (3). Quinam vero fuerint hi populi, de ea re multum inter auctores disputatur. Alii enim dicunt, Sanates eos fuisse populos peregrinos, qui supra infraque Romam habitaverint (4); alii vero asseverant, Sanates esse Colonos a Romulo in Latium missos, qui cum Latinis confluxissent et Tarquinio Prisco rege rebellassent, mox tamen, civitatis jure retento, in ami-

(1) LIVIUS II. 23. 24. — CICERO De Rep. II. 34. — DIONYS. II. 10. IV. 9. 37. V. 70. — BONAMY pag. 67. — HEINECCIUS Lib. III. tit. 30. § 3. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 440. 441.

(2) PETITUS Lib. V. tit. 4. n° 5. Vol. III. pag. 507. — PLUTARCHUS in Solon. pag. 86. D. — BONAMY pag. 67.

(3) FESTUS sub verbis *Sanates*, *Fortis* et *Horctum* ibique SCALIGER. — GELLIUS XVI. 10. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 150. Vol. II. pag. 174. — BONAMY pag. 65.

(4) BOUCHAUD Vol. II. pag. 174. — BONAMY pag. 65.

citiam Romanorum redissent (1). Sed relinquamus haec in medio, quum ad nostrram rem nihil faciant. Hoc tamen praeterire non possumus, auctores, omnia e Graecis repetentes, hanc quoque nostram legem *ad exemplum Atticarum* fuisse sancitam. Theseus enim sanciverat : *πᾶσι τοῖς πολίταις τὰ ἴσα εἶναι* (2): qua re suam illi sententiam stipare nituntur. Sed hoc loco teneamus, primum, hanc legem Thesei a Solone sublatam esse (3), igitur saltem non ex *Solonis* institutis translatam; deinde, nullam similitudinem esse inter legem Romanam et Atticam. In hac enim Thesei lege non sermo est de gentibus urbi Athenarum vicinis; sed de advenis, qui Athenas commigrabant; cum in id unum consentiant omnes, *Sanates* et *Fortes* fuisse eos, qui extra Romam habitarint.

§ XXVIII. Lex « *Privilegia ne irroganto, nisi maximo comitiatu* » adversariorum sententiae maxime adstipulari videtur. Quapropter Bouchaldus (4) : « Parmi les lois romaines, ait, empruntées des lois de Solon, il n'en est point de plus mémorables, que celles qui défendent de faire des lois particulières en haine de qui que ce soit. Privilegia ne roganto etc.... Cette loi que Cicéron loue comme fort belle et qu'il dit venir de la loi des douze tables, tirait son origine de la loi de Solon. »

(1) BONAMY pag. 65. 66. — NIEBUHR Tom. II. pag. 112. 113.

(2) PLUTARCHUS in Theseo pag. 11. — GOTHOFREDUS pag. 182. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 174.

(3) PETITUS Lib. II. tit. 3. n° 6. 7. Vol. III. pag. 204. — PLUTARCH. in Solon. pag. 91.

(4) Vol. I. pag. 74.

Jura scilicet non in singulas personas, sed in universum constitui; unde privilegium, sive jussum ad singulos seu privatos pertinens, non lex sit (1). Certum etiam est, similia privilegia jam vetuisse Solonem lege, cujus haec sunt verba : Μηδὲ ἐπὶ ἀνδρὶ νόμον ἐξεῖναι θεῖναι, ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις, ἐὰν μὴ ἑξακισχιλίοις δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις (2). Inde sequitur nihil. Nam primo nulla relatione tenentur verba legis Romanae « *maximo comitiatu* » et verba legis Soloneae ἐὰν μὴ ἑξακισχιλίοις δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις — *Nisi id videatur sex millibus civium suffragia clam ferentium.*

Deinde, tempore Decemvirorum non in usu erat clam suffragii ferendi consuetudo, quae posterioribus demum temporibus invaluit (3). Tum, lex qua privilegia irrogari non poterant, jam viguit *ante* XII Tabulas. Cicero enim (pro domo sua, 17) « *vetant*, ait, *leges sacratae*, *vetant XII Tabulae leges privatis hominibus irrogari: id est enim privilegium* ». Idem (pro Sextio 30) : « Cum et *sacratis legibus* et XII Tab. sancitum esset, ut neque privilegium irrogari liceret cet. » Lex igitur nostra jam ad *sacratas* leges pertinuerat; ideoque ad

(1) Niebuhr II. pag. 115.

(2) Demosthenes in Aristocrat. pag. 416; in Timocratea pag. 452. — Gazæus in Theophr. pag. 385 seqq. — Cujacius Observ. XV. 8. — Gravina De jure Gent. et XII Tabb. cap. 74. 75. — Petitus Lib. II. tit. 1. n° 8. Tom. III. pag. 188. 189. — Bouchaud Vol. II. pag. 167. — Andocides De Mysteriis pag. 215. 216. — Gothofredus pag. 181. 182. — Pothier pag. 140. — Boulage pag. 199. 213.

(3) Cicero De Legibus III, 15. 16. — Gibbon interprete *Warnkœnigio*, pag. 7. 8. — Bonamy l. l. pag. 59. — Grucchius De Comitiis Romanorum Lib. I. pag. 607.

eas, quae *ante* XII Tabulas latae fuere (1). Postremo nihil potest esse ejusmodi lege cum rerum natura convenientius; igitur apud quemlibet populum suapte sponte exsistere: quoniam privilegia cum injusta maxime tum perniciosa esse optimis civibus et libertati civitatis ipsimet solent. Lege, quae de ea re proposuit Bouchaldus (II. p. 167): « La loi proprement dite est une disposition générale, qui comprend tous les citoyens: le privilége est une loi privée, qui ne regarde qu'un seul citoyen, et qui ne mérite pas le nom de loi; c'est pourquoi le jurisconsulte Ulpien dit: *jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.* On ne porte donc point contre les individus des lois, mais des jugemens, au moyen desquels les lois générales s'appliquent aux actions des individus; ainsi, *privilegia irrogare*, n'est autre chose que faire des lois particulières contre des individus; ce qui fut défendu par les Décemvirs comme une chose illicite. En effet, s'il eût été permis de faire des lois particulières, qui que ce soit n'eût été en sûreté contre le ressentiment ou la mauvaise volonté de ceux, qui exerçaient à Rome le pouvoir législatif: les lois au lieu de servir d'asile contre l'oppression, n'auraient plus été employées qu'à autoriser les injustices les plus criantes et la violence la plus outrée (2) ».

(1) BONAMY pag. 60. — FESTUS v. *Sacratae*. — LIVIUS II. 32. — DIONYSIUS VI. 89. — HEINECCIUS Antiq. Romanae, Adpendix 1. § 27. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 73. 74. — GOTHOFREDUS pag. 129.

(3) De eadem re conf. BOUCHAUD Vol. I. pag. 74, in nota. — BONAMY pag. 58. — CICERO De Legib. I. 4. 19. — GELLIUS X. 20. — QUINTIL. Declam. 339. — ULPIANUS in 8. Dig. de legib. — ALEXANDER AB ALEXANDRO Dies Geniales Lib. VI. cap. 23.

§. XXIX. Cum jus criminale ad jus publicum magis, quam ad privatum pertineat; huic capiti adjiciamus singulas leges XII Tabularum, in delicta punienda constitutas, ut videamus, utrum hae forte peregrinae an Romanae originis fuissent. Notandum autem est omnino, omnes leges Decemvirorum hujus argumenti alium auctorem non habuisse, quam Servium Tullium regem. Hic enim, teste ipomet Dionysio (1) *Leges de delictis* tulisse credebatur (2).

Ut vero de singulis agamus, primum occurrit lex: « Si judex arbiterve jure datus, ob rem dicendam pecuniam accepsit, capital esto. » Legem, in qua agitur de crimine repetundarum, nobis servavit Gellius (XX. 1). Eandem ad jus criminale pertinere, constat ex voce *capital esto* (3). Judex igitur, qui pecunia se corrumpi passus esset, ex XII Tabb. legibus capite puniebatur. Quam parum hoc loco consentiat Romana cum Attica lege, inde efficitur, quod apud Athenienses hoc ipsum crimen non nisi *poena pecuniaria* mulctabatur (4). Unde verbulum adjicere supersedemus.

§. XXX. Non magis peregrina est lex: « Si quis per-

(1) L. l. IV. pag. 228. 216.

(2) Gunther pag. 29. — Arnaud I. 17. — Bachius pag. 13. 14.

(3) Festus s. v. — Vid. Varro De Lingua Latina IV. pag. 32. — Plautus in Menech. Act. I. Scen. I. vers. 16. — Lucilius XXVI Satyr. apud *Havercamp.* pag. 385. — Brissonius v. *Capital.* — Vicat v. ead. — Bouchaud Vol. II. p. 176. — Boulage pag. 200.

(4) Julius Pollux VIII. 6. — Petitus Lib. V. tit. 7. n° 5. Vol. III. pag. 529. 530. Lib. IV. tit, 1. n° 6. pag. 4. 401. — Bouchaud Vol. II. pag. 176. 177.

duellem concitassit, civem que perduelli transduit, capital esto ». Perduellis veteribus idem erat ac *hostis* (1), ut patet ex lege 234 Dig. de verb. sign., ubi haec leguntur : « Quos nos hostes appellamus, eos veteres perduelles appellabant, indicantes, cum quibus bellum esset ». Hinc perduellionem admisisse dicebatur, qui erat hostili in rem publicam animo (2). De crimine, quo quis in reipublicae perniciem machinationes molitus sit, sermo est in lege XII Tabb. de qua hic agitur. Vigebat autem eadem *ante* Decemvirorum tempora, teste Livio (II. 3. 4. 5); ubi juvenes nobilissimi et ipsi adeo Bruti Consulis filii securi feriebantur, quoniam conjurationem inierant de regibus in Urbem recipiendis ; ideoque rempublicam evertere conati sunt (3). In hoc autem crimen jam pridem legem constituerat ipse Romulus, qui secundum Dionysium (II. 10) proditores tanquam diti consecratos a quocumque occidi permiserat ; quae lex omnibus gentibus erat communis. Si verba ultima legis nostrae « *qui perduelli civem transduit, capital esto* » contu-

(1) VARRO De Lingua Latina lib. IV. pag. 4. — FESTUS v. *Hostis*. — BACH. p. 64. sq. — GOTHOFR. p. 133 sq. — BOUCHAUD II. p. 217 sqq. — BOULAGE p. 201.

(2) L. ultima Dig. ad leg. Jul. majest. — CROPP Part. II. pag. 11. — CICERO De Officiis I. 12. — VICAT v. *Perduellis*. — VRNBEUKER De Crimin. majest. Franequerae 1729 (in OELRICH. Thes. Nov. Vol. II. Tom. I.) Sect. I. cap. 4. Sect. III. IV. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 217. Vol. I. pag. 438. — Mémoires de l'Acad. des Inscript. Tom. XLI. pag. 13. 16. — POTHIER pag. 145. 146. — BACHIUS I. 3. c. 1. § 12. — PLAUTUS Amphit. Sc. I. vers. 34. 35. 80. 91. — VANDERTON pag. 75. 76. — GRAVINA Esprit des Lois Romains Tom. II. pag. 70. — HUBER ad L. Juliam Majestat., in Jure Civili Tom. III. pag. 1520.

(3) DIONYSIUS V. 2. — PLUTARCH. in Publicol. pag. 98. 99.

leris cum prioribus verbis, non dubitabis, in perduellionis crimen incidisse non solum qui contra patriae salutem nefanda commisisset, verum etiam illum, qui contra *civis* libertatem atrociora perpetraverit : quae lex ex antiquissimo fonte fluxit. Livius enim tradit (I. 26), Horatium, qui ovans victor Romam ingressus, sororem, sponsi caedem lugentem, interemisset, *perduellem* a Duumviris fuisse judicatum (1).

In qua re cernitur, ab initio rei Romanae, ut cives a criminibus contra civium jura absterrerentur, tam sanctam fuisse personam civis habitam, ut si quis aliquid adversus eam commisisset, morte dignus censeretur, i. e. in perduellionis crimen incideret, quasi rem ille publicam turbasset. Nam civem laedendo majestatem populi Romani laedere videbatur (2). Inde repetenda est lex nostra XII Tab. ex qua sine distinctione *is qui perduellem concitasset* et ille, qui civem hosti tradidisset, capite punitur : quae lex temporibus posterioribus in legem Juliam majestatis transiisse videtur (3). Licet verum sit, apud Athenienses summa supplicia in patriae proditores fuisse sancita (4); tamen exinde nihil potest

(1) GUNTHER pag. 21. — BACHIUS pag. 13. — VANDERHOOP cap. 2. 3. — WACHSMUTH pag. 147. — CROPP Part. II. pag. 85, in nota.

(2) DIECK Historische Versuche über das Criminal-Recht der Rœmer. Halle 1822. pag. 4 seqq. — GRUENEBUSCH De crimine perduellionis et majestatis et de eo quod jam inter utrumque tempore liberae reipublicae fuit discrimine. 1801. — WINSSINGER pag. 98.

(3) L. 3. Dig. ad leg. Jul. majest. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 219. 220. — GOTHOFREDUS Opera Omnia pag. 133. sq.

(4) DEMOSTHEN. Philipp. III. pag. 70. — PETITUS Lib. VIII. tit. 4. n° 5.

contra ingenuitatem nostrae legis inferri; quoniam, uti vidimus, eadem jam apud Romanos ab antiquissimis inde temporibus viguerat; quoniam apud omnes peraeque gentes, antiquas et recentiores, statutum est, proditores patriae morte dignos esse. Quod eo magis premebant civitates veteres, quas liberas vocamus, quia in constitutione *Urbica*, qualem illae habuere, studium patriae conservandae nimium esse nequibat.

§ XXXI. Hoc idem dicendum est de lege : « Si quis in Urbe cœtus nocturnos agitassit, capital esto »; quam nemo certe ab Atheniensibus duxerit (1); cum eandem ipse Romulus tulisse videatur (2); atque lex similis in omnibus Solonis institutis inveniatur nulla. Pertinuit potius, si me audis, haec lex ad leges *majestatis* (3); de quo crimine, ut superius demonstravimus, ante Decemviros statutum erat.

Praeterea Tarquinius Superbus coetus omnes et conventus *sacrorum caussa* interdixit, ne multi simul coëuntes eodem

8, coll. cum n° 4. pag. 671. 672. 674 sq. — XENOPHON Ἑλληνικῶν Lib. I. p. 351. — LYCURGUS in Leocrat. pag. 164. — THUCYDIDES in Them. I. cap. 138.

(1) M. PORC. LATRO contr. Catilin. cap. 18. 19. — GOTHOFREDUS Op. Omn. pag. 132.

(2) DIONYSIUS II. 7. pag. 92. — TERRASSON Part. I. § 6. pag. 29. — PRATEJUS Vet. jurisprud. n° 8 (in Otton. Thes. Tom. IV). — BOUCHAUD Vol. II. pag. 210. — BALDUINUS ad Leg. Romuli cap. 8, et ad Leges XII Tabb. cap. 4. — POTHIER pag. 144. 145. — BOULAGE pag. 201.

(3) L. 1 Dig. ad leg. Jul. majestatis. — HEINECCIUS lib. IV. tit. 18. § 47. — BOUCHAUD pag. 211. 212 seq. et 219. 220.

loco secreta consilia inirent ad imperium dissolvendum, ut refert Dionysius (IV. p. 219, 220); unde mirum non est, quod contra eos quoque, qui nocturnos coetus agitassent, poenae constituerentur.

Quae sententia confirmatur testimonio ejusdem auctoris (II. p. 92), qui, primis, ait, reipublicae Romanae temporibus coetus nocturnos non exstitisse.

Insuper lex erat Gabinia, incertae quidem aetatis, sed vetusta non minus, qua jussum est, ut qui coitiones ullas clandestinas conflavisset, *more majorum* capitali supplicio mulctaretur (1). De ea haec perorat M. P. Latro (2): « Cumque haec omnia constent, animadvertendum est pariter uno maleficii genere. Catilinam non modo deos ac patriam, verum etiam mores, leges ac consuetudinem Urbis atque instituta majorum violasse. Primum legibus XII Tab. cautum esse cognoscimus, ne quis in Urbe coetus nocturnos agitaret; deinde lege Gabinia promulgatum, qui coitiones ullas clandestinas in Urbe conflavisset, MORE MAJORUM capitali supplicio mulctaretur (3) ».

Verba « *more majorum* » ad legem XII Tabb. relata, ple-

(1) Hanc legem anno DCCXIV fuisse latam, conjicit GRUNLINGIUS De crim. majest. I. 6. pag. 6. — HEINECC. Antiq. Lib. IV. tit. 18. § 47, et ibi *Hauboldus*. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 211. 212. 220. — HOFFMANN Hist. Jur. Roman. Instit. Vol. I. pag. 121.

(2) Declamatio contra Cat. cap. 19.

(3) BOUCHAUD Vol. II. pag. 212. — GOTHOFREDUS pag. 132.

rumque de iis tantum legibus usurpantur, quae ante XII Tubulas sancitae et longa consuetudine confirmatae, deinceps in jus Decemvirale transierunt (1). Est autem in omnibus locis, in quibus a jureconsultis Romanis jus quoddam moribus receptum dicitur, sermo de consuetudine *Romanis propria* (2), non mutuata a peregrinis.

§ XXXII. De paricidio, proprie dicto, in XII Tabulis haec prostant: « Qui parentem necassit, caput obnubito, culeoque insutus in profluentem Tiberim mergitor ». Legem repetunt ex duabus Romuli et Servii Tullii legibus, quae sic conceptae fuisse videntur: « Sei nurus parentem verberit, ast ole plorassit, sacra diveis parentum esto.

Et sei puer parentem verberit, ast ole plorassit, sacer diveis parentum esto (3) ». Poena igitur capitalis sancita erat in

(1) L. 8. Dig. De his quae sui vel alieni juris sunt. — ULPIANI Fragmenta tit. 10. § 1. — L. 9. princ. Dig. de parric. — CROPP Part. II. pag. 86. — PIRMEZ De marito tori violati vindice, pag. 10. 11. — BOUCHAUD Tom. I. pag. 88 seqq. — HEINECC. Lib. I. tit. 9. § 2. — GOTHOFREDUS pag. 128. — PAULI S. R. III. tit. 4. § 7. — Lex. 2. Dig. de vulgari et pupillari substitutione. — L. 8. Cod. Theodosian. de liberali causa. — SUETON. Tib. cap. 35. — GELLIUS V. 13, coll. cum GOTHOFREDO pag. 122. — CICERO pro Domo cap. 1. De Senect. cap. 7. — L. 1. Dig. de curat. furios. — PLUTARCHUS Quaest. Rom. cap. 7. tit. 11 col. cum leg. 1. Dig. de donat. int. virum et uxorem.

(2) PLUTARCHUS Quaestiones Rom. pag. 265. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 49. — CICERO pro Roscio Amerin. cap. 25. — PIRMEZ pag. 11. — SCHULTING Jurisp. Ante-Justinianea pag. 749. Coll. Legg. Rom. et Mosaic. tit. 4. § 8. — GOTHOFREDUS pag. 91. 94. 165-168.

(3) VAL. FORSTER Hist. Jur. Rom. pag. 2. — FESTUS sub verbo *plorare*;

nurum, quae socerum verberibus affecisset; et eadem in filium, qui idem delictum in patrem commisisset. Ceterum non constat, an poenam culei, quae *in parricidium* ex XII Tabb. illata est, jam antea *in illud crimen* fuisset constituta : fuisse tamen eam *ante* Decemviros in quaedam graviora crimina applicatam, colligitur ex Valerio Maximo (I. 1, 13) ubi legimus : « *Tarquinius* rex M. Tullium Decemvirum quod librum secreta civilium sacrorum continentem, corruptus Petronio Sabino describendum dedisset, *Culeo insutum* in mare abjici jussit; idque supplicii genus multo *post parricidis* lege irrogatum est ».

Eapropter vera mihi videtur sententia Stockmanni (ad Bachium pag. 14) : culei poenam Tarquinio rege usitatam, post reges ejectos consuetudine servatam, lege XII Tabb. soli parricidio propriam evasisse (1). Sic igitur poena, qua parricida, Culeo insutus, in mare profundum projiciebatur, ex Romanorum consuetudinibus antiquioribus, neque vero ex peregrinis legibus originem duxit; et recte *more majorum* introducta fuisse, a Pomponio JCto dicitur (in lege 9. Dig. ad legem Pompejam de parric.). Quantum autem haec lex

ibique *Scaliger*. — CROPP Part. II. pag. 84. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 53 seqq. — TERRASSON Part. I. § 7. pag. 57. 58. — L. MANUTIUS de L. Rom. cap. 4. n° 4, (in Graevii Thes. T. II). — POTHIER pag. 131. 132. — BOULAGE pag. 174. 175.

(1) DIONYSIUS IV. pag. 260. — ZONARAS Annales Tom. II. pag. 16, in fine. — ARNTZENIUS Tom. I. pag. 106 seqq. — CROPP Part. II. pag. 87. — CICERO De Inventione II, 50. — ZACH. HUBER De poena parricidii, cap. 2, n° 3. Vol. I. pag. 224. — BOUCHAUD pag. 56 seqq. Vol. I. — POTHIER pag. 131.

a Solonis legibus abhorruerit, inde patet, quod Solon nullam omnino poenam sancire voluit in eos, qui tam atroci scelere divina humanaque jura polluissent (1). Quod ut excusarent quodam modo, auctores illud crimen silentio dicunt praetermisisse legumlatorem Atheniensium; quoniam tantum flagitium fieri non posse crediderit ille et ideo illud in legibus esse omittendum censuerit, ut non tam prohibere quam cives admonere scels inauditum videretur. Quae certe bella est argumentatio ex nihilo. Potius dicendum est, de parricidio eum nihil sanxisse, quia apud Athenienses forte nondum fuisset antea commissum (2). Quam rem ut penitius perspicias, lege, quae egregie dicta sunt a Cicerone (3): « Prudentissima civitas Atheniensium dum ea rerum potita est, fuisse traditur. Ejus porro civitatis sapientissimum Solonem dicunt fuisse eum, qui leges, puibus hodie quoque utuntur,

(1) MASCART De parricidio pag. 10. — BARTHELEMY Vol. I. pag. 85. — DIOGENES LAERTIUS in vita Solonis pag. 39. C. — STEPHAN. MENAGIUS ad hunc locum. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 64. — ZACHAR. HUBER loco laud. cap. 2. n° 1. Vol. I. pag. 221. 222. — Sunt nonnulli, qui in parricidas nihil sanxisse leges XII Tab. sed poenas solummodo fuisse constitutas temporibus Lucii Hostii contendant, qui primus parricidium commisisse dicitur a LIVIO, Epitome Lib. LXVIII. Cfr. OROSIUS V, 16. — *Auctor ad Herennium* I, 13. — CICERO De Inventione II, 50. — SIGONIUS de antiquo jure Romano II, 5. — MASCART pag. 11. — PLUTARCHUS in Romulo cap. 32). Sed eorum sententiam evertit testimonium VAL. MAXIMI I, 1. 3. — CICERONIS pro Roscio Amer. 25. 26. — POMPONII Leg. 9. Dig. ad leg. Pomp. de parricidiis. — FESTUS v. *Nuptiae*. — CROPP Part. II. pag. 86. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 57. 63. — GIBBON pag. 71. 72. 155.

(2) OROSIUS Lib. V. cap. 16. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 49. 50.

(3) Pro Roscio Amerino cap. 25. — TERRASSON Part. II. § 9. pag. 155. 156. — HUBERUS ad Lib. 48. tit. 19. Digest. n° 5. pag. 570.

scripserit. Qui cum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit se id neminem facturum putasse. Sapienter fecisse videtur, cum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat, ne non tam prohibere quam admonere videretur. Quanto majores nostri sapientius; qui cum intelligerent nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitaverunt, ut quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ii magnitudine poenae maleficio summoverentur, insui voluerunt in culum vivos atque ita in flumen dejici ».

§. XXXIII. Nec alibi, quam in legibus regiis, quaerenda est origo legis XII Tabularum haec : « Si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, qui malum carmen incantassit malumve venenum faxit duitve, parricida esto (1). » In qua illud tenendum, quod jam pridem monuimus, verba « *parricida esto* » latiori sensu usurpata et addita fuisse eapropter, ut idem significarent, quod « *capital esto* (2). »

(1) PLINIUS Hist. Nat. XVIII. 3. XXVIII. 2. — FESTUS sub vocib. *Parric.* Quaestores, Lit. P. in fine. — L. 136. verb. sign. Verbum *sciens*, additum dolo, probat, ex doctrina Romanorum scientiam legis poenalis non pertinere ad notionem doli, sed solummodo esse conditionem, sine qua dolus puniri non possit. — Cfr. MITTERMAIER Neues Archiv. Vol. II. pag. 522. ROOSENDAEL De dolo in delictis. Lugd. Bat. 1817. pag. 9 seqq. — WINSSINGER pag. 14. 15. — GOTHOFREDUS p. 123. 124. — BOUCHAUD Vol. II. p. 49 seqq. — BOULAGE pag. 174. — D'ANETHAN De Medit. Delict. Lovan. 1824. p. 8.

(2) WINSSINGER De Dolo et Culp. pag. 112. — L. 2. § 23. Dig. de Origine juris. — POTHIER pag. 129. 130.

Ejusmodi autem legem sanxisse dicitur Romulus, ut constat ex Plutarcho (Romul. 22) his verbis : ἴδιον δὲ τὸ μηδεμίαν δίκην κατὰ πατροκτόνων ὁρίσαντα πᾶσαν ἀνδροφονίαν πατροκτονίαν προσειπεῖν. Unde patet, Romulum legem in parricidas tulisse; hic vero, ut in lege XII Tabb. sub parricidis homicidas cujusvis generis esse intelligendos. (2). Cujus rei ratio in ipsamet constitutione Romanorum quaerenda est, in discrimine nimirum, quod intercessit inter Patricios et Plebem (Clientes). *Patres* dicti sunt *ob caritatem*, liberique eorum *Patricii* (Cicero De Rep. II. 12, col. 8). Hi soli populum constituebant, soli cives erant; clientes vero fuere procerum familiares. Qui igitur Patricium occidit, *parricidium* committere dicitur. Postea Numa Pompilius, qui praecipue religionibus et divino juri prospexit, hanc legem sanxit : « Si *quis hominem liberum dolo sciens morti duit, parricida esto* (1) ». Quae lex in XII Tabulas migravit. In lege quidem Numae non expresse sermo est de eo, qui malum venenum dederit, sive malum carmen incantassit (2); sed tamen haec facta sub verbis « *si quis hominem dolo sciens morte*

(2) LIVIUS I, 47, coll. 46. IV. 51. — SOLORZANUS De parricidiis Lib. I. cap. 3 (OTTON. Thes. Tom. V. pag. 999). — CROPP Part. II. pag. 83. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 52. — ISIDOR. Origg. V. 16. — SCHULTING. ad Dositheum, Jurispr. Ante-just. pag. 874.

(1) FESTUS sub voce *Parric.* — SCALIGER ad *Festum* sub verbo *Subici.* — BACHIUS pag. 9. 11. — GRUNDLER pag. 22. 23. — CROPP Part. II. pag. 64. — WINSSINGER pag. 112. 113. — TERRASSON Part. I. § 6. pag. 41. — POTHIER pag. 130. — TOLLOZANUS De Mal. et Mathem. Lib. I. cap. 2. § 1. (OELRICH. Thes. I. Tom. III.) — CUJACIUS Obs. III. 40.

(2) PLINIUS Hist. Nat. XVII. 13. XXVIII. 2. — L. 236. de verb. sign. — GOTHOFR. pag. 123. 124. 178. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 49.

duit, etiam tempore Numae fuisse indicata, certum esse videtur.

Primum in ea re nullum dubium oriri potest de eo, qui malum venenum dederit. Qui enim alterum veneno interficere cupit, omnino est homicida, igitur eodem modo puniendus ac si alio medio hominem necasset. Quare lex Numae, quam modo retulimus, ad ejusmodi hominem pertinere videtur. Ejusdem fere indolis sunt mala incantamenta carminum, quae etiam posterioribus temporibus mala sacrificia dicta fuere. Hic mimirum agitur de iis, qui susurris magicis homines occiderint. Nam Romani, ut plurimi antiquae aetatis populi, credebant, hominum vitam magicis artibus posse labefactari et vi imprecationum sacrisque impiis eorum defigi animos. Quod omnino sequitur ex §. 5 Inst. de publicis judiciis, ubi dicitur : « Lege Cornelia de sicariis damnantur, qui artibus odiosis, tam venenis quam *susurris magicis*, *homines occiderint.* (1) ».

Cum itaque magi artibus et diris incantationibus vitae aliorum insidiari crederentur, lex : « *Qui malum carmen incantassit*, *parricida esto* » est sequela necessaria legis Numae superius laudatae; seu in ipsamet contenta fuisse videtur (1).

(1) CROPP Part. II. pag. 43, coll. cum 38 et 41. — TOLLOZAN. de Malef. et Mathem. (in OELRICH. Thes. Vol. I. Tom. III. pag. 219.) — BAYLE Reponses aux questiones d'un provincial, pag. 581. — PAULI S. R. V. 23. § 14. 19. — TACITI Ann. II. 69. — Lex 12 Cod. Theod. 12. 16. — Lex Dig. ad leg. de Sicariis. — L. 3. Cod. de Malef. et Mathem. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 9. 10. 52.

(1) PAULI S. R. V. 23, 15. — CICERO in Vatin. cap. 6. — HORATIUS Epod.

Caeterum ex his omnibus, quae diximus, certum est, legem de qua hic agitur, a Graecis minime fuisse desumtam; nam verba quoque *parricida esto*, prorsus *Romana* sunt.

Solon quidem sanxerat legem fere similem *τὸν ἐκ προνοίας ἀποκτείνοντα, θανάτῳ ζημιοῦσθαι* (1), sed ut vidimus, lex quae in XII Tab. migravit, ab ipso Numa originem duxit, et eadem jam apud Hebraeos valuit (2).

Nec etiam aliquis legem Romanam de Magis repetet ex Atheniensibus, apud quos foeminae, artem magicam exercentes, morte plectebantur (3). Nam ejusmodi lex non propria erat Atheniensibus, sed omnibus populis communis, atque apud Hebraeos adeo erat constituta (Mose II. 22, 18): « Ma-

V. v. 29-40. — TIBULL. I. 6. 5. — CROPP Part. II. pag. 45. MUYART DE VOUGLANS Inst. au droit crim. pag. 439. — VICAT sub v. *Magi*. — BRISSONIUS sub eadem. — DEFERRIERE § 5. Inst. de public. jud. Vol. VI. pag. 396. 397. — AUGUSTINUS De Civ. Dei VIII. 19. — SENECA Naturales Quaest. IV. 7. — POTHIER pag. 121. 130. — TERTULLIANUS De anima cap. 57. — PLINIUS Hist. Natur. XXX. 1. — GOTHOFREDUS pag. 123. 124. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 8 seqq. et 185 seqq. Vol. I. 199.

(1) PETITUS L. VII. tit. 1. n° 3. Vol. III. p. 610 sq. — DEMOSTH. Midian. p. 329.

(2) Exod. II. 12. 20. XIII. 22. 2. — Levit. XXIV. 31. — Numeri XXV. 7. — Deuter. V. 17. XIX. 4. XXI. 1. XXVII. 24. — Evangel. MATTH. V. 21. XIX. 18.

(3) MEINERS Grundriss der Geschichte cap. 15. § 1. pag. 186. — BARTHELEMY voyage du jeune Anachars. édit. Belg. Tom. II. cap. 35, Part. IV. pag. 63. — LUCIANUS in Lucio cap. 54. — GABINUS DEWAL Hist. jur. Crim. pag. 8 (Ann. Acad. Groning. 1820-1821).

leficos non patieris vivere » (et apud eumdem III. 20, 27.) : « Vir sive mulier, in quibus Pythonicus vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos » et eodem modo idem statuit (V. 18, 10. 11) : « nec inveniatur inter vos, qui lustret filium suum aut filiam ducens per ignem : aut qui ariolos sciscitetur et observet somnia atque auguria ; nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat, nec vates, aut quaerat a mortuis veritatem (1) ». Ex similitudine itaque legis Atticae et Romanae non probatur, Decemviros ab Atheniensibus eam petiisse, cum eadem lex apud gentes orientales antiquissimas vigeret, apud quas crimina quoque, in quae fuerat sancita, fuere indigena, deinceps in occasum traducta.

§. XXXIV. Jam dicamus de Patronatu ; de quo in XII Tabb. haec prostant : « Si patronus clienti fraudem faxit, sacer esto (1) » : quae lex pariter cum ipsis Romanis nata est. Ubi enim non nisi gentes quaedam nobiliores civitatem habent, ut apud Romanos, caeteri vero inopes despectam Plebem constituant; ibi *clientes* exsistunt, ideoque suapte sponte patroni, quos illi divino quasi honore colunt (1)

(1) Moses II. 7, 11. 8. 18. — Moses IV. 23, 24. — Moses III. 19, 31. Lib. Reg. I. 28. IV. Reg. XVIII. 27. XI. 16. — Jesaias II. 6. XLIV. 25 et XLVII. 13. — Terrasson Part. II. § 9. pag. 153. 155. — Carpzovius p. 1. q. 50. n° 39 De Practica Juris Criminal.

(2) Vid. Bachius p. 58. 59. — Bouchaud Vol. II. p. 71 seqq. — Servius ad Virgil. Aeneid. VI. 626. — Gothofredus p. 122. — Boulage p. 172. 173.

(3) Heinecc. Adpend. I. cap. 1. § 32. — Cicero De Rep. II. 9. — Lydus De Mag. I. 20. pag. 38. — Schlegel (in den Heidelberg. Jahrbb. 1816.

Uti ratio patrum liberorumque legibus ordinatur, ita ordinari ratio debet inter patronos et clientes; quae res in utroque ordine *sancta* habebatur. Unde facile explicatur, quo pacto *Patronus*, a caritate dictus (propter pietatem), qui in *Cliente* (colente) suo hanc religionem violavisset, sacer esset (1). Haec quoque lex Romuli est, ut constat testimonio Dionysii (II. 7. p. 85 seqq.) et Plutarchi (Romul. 25 (2): quae deinde, in XII Tabulas translata, sancita est verbis supra allatis. Lex igitur Romana erat, et Romae etiam jam pridem viguerat (3), licet apud Athenienses quoque jus quoddam patronatus inveniretur (4); quod apud hos et illos pariter inveniri debuit, ut fere inveniebatur amor in parentes seu jus hospitiorum. Accedit tamen, ut idem jus omnino esset diversum apud utrosque populos, et patroni Athenienses in clientes ita saevirent, ut Romani ab hac severitate plane abhorrerent (Dionysius II. 83. Bonamy p. 99). His argumentis fretus equidem credo, Romanos apud alios non quaesiisse, quae domi

n° 56. pag. 894. — NIEBUHR I. pag. 79. 389. — WACHSMUTH pag. 186. 206. — CREUZER pag. 91. 347. — DELFICO pag. 62. 63. 64 seqq. — VICO pag. 67 seqq.

(1) SERVIUS ad Aen. VI. 622. — DIONYS. II. 10. — PLUTARCHUS in Rom. cap. 13. — GELLIUS V. 13. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 72. 75. — MAJUS ad CIC. De Rep. edit. *Villemain*. Vol. I. pag. 349. — GOTHOFREDUS p. 122.

(2) Cfr. POTHIER p. 137 sq.

(3) GUNTHER § 17. pag. 19. — ARNTZENIUS pag. 119 seqq. — BACHIUS pag. 9. — GOTHOFREDUS pag. 122. — MERULA De Leg. Rom. cap. 2. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 72, et Vol. I. pag. 87.

(4) S. PETITUS Lib. II. tit. 6. n° 8. Vol. III. p. 261.

habuerunt parata (1), ne dicam de eo, quod lex nostra jam pridem inter sacratas fuisset relata (2).

Cur vero patronus, qui clienti fraudem fecerit, sacer esset? Quoniam patronus, i. e. sacerdos, qui numinum vices agit inter homines (clientes), ipsum numen laedere videtur, cum decipiat fide sacra ipsi devotum clientem. Quod crimen, ex antiquorum sententia, poena capitali expiari debuit.

§. XXXV. Qui ea, quae adhuc protulimus, rite secum reputaverit, apud illum dubium exsistere nullum poterit de patria legis: » Si *Tutor* dolo malo gerat, vituperator; quandoque finita tutela escit, furtum duplione luito ». Tutor enim quasi patronus est, sed non naturalis ille, verum lege constitutus. Qui igitur non ex fide gerebat, a tutela *removeri* poterat; unde postea jureconsultorum interpretatio, *ne crimen* (3) *suspecti tutoris*, quod ex lege XII Tabularum descendere testantur (4).

(1) Dionysius II. 7. IV. 1. VI. 7 coll. cum Livio III. 32.

(2) Bouchaud Vol. II. pag. 73. 74. — Dionys. VI. pag. 410. — Macrob. Saturn. III. 7. — Festus sub v. *Sacer mons* et *Sacratae*.

(3) Crimen significat accusationem in sensu proprio, ut nuper (in Neues Archiv. für's Criminalrecht: Halle 1826) demonstravit doctissimus Birnbaum. — De ea re conf. Cicero in Verrem Act. II. V. 9. Pro Flacc. 15. — Taciti Ann. XV. 44. — Am. Marcell. XIV. 1. — Plinii Paneg. cap. 42. — Trajan. Epist. ad Plinium X. cap. 29. — L. 12. Dig. de poenis. — L. 13. Dig. de praevaricat. Lex 3. § 1 Dig. de Stellionatu. — L. 15. § 3. Dig. ad SCtum Turpillianum. — L. 5. Dig. de poenis. — L. 5. Cod. de accusat. — Terrasson Part. II. § 9. pag. 157. — Winssinger de Dolo pag. 105 in nota.

(4) Princip. Instit. de suspect. tutor. et ibi Theophil. — L. 1 § 2. Dig.

Cum autem ex jure quoque Attico (1) cuivis liceret accusare tutorem, qui dolo rem pupilli gesserit (quae accusatio dicebatur ἡ τῆς ἐπιτροπῆς γραφή); crediderunt plurimi auctores, legem Romanam exinde originem habuisse (2). Eos vero in errore versari manifestum est. Sana enim ratione intelligitur, perfidum tutorem posse removeri, quod praeceptum Romani certe apud peregrinos quaerere non debebant. « Est enim haec non scripta sed nata lex (ut ait Cicero pro Milone cap. 4), quam non didicimus, accepimus, legimus : verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus : ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus ». Quae Ciceronis verba nostrae rei plane accommodata sunt. Ceterum lex fere eadem apud Hebraeos quoque vigebat : « *Viduae et pupillo non nocebitis* (3) ».

Unde similitudo, quae in ea re inter Atticas et Romanas leges invenitur, nihil omnino probat contra sententiam nostram. Recte itaque de ea dixit Bonamyus (p. 90) » : Les Athéniens punissaient aussi les tuteurs de mauvaise foi. Cette punition est si conforme au droit naturel, qu'il n'était pas nécessaire, que les Romains l'apprissent des Athéniens »; non

eodem. — CICERO De Officiis III. 15. — BRISSONIUS v. *Crimen*. — HEINECC. I. 26. § 1. — GOTHOFREDUS pag. 121. 122. 177. 178. — POTHIER pag. 126. — BOULAGE pag. 172. — BOUCHAUD Vol. I. p. 197. 198.

(1) POLLUX VIII. 6. Segm. 35.

(2) BOUCHAUD Vol. II. pag. 70. 71, coll. 526. — PETITUS Lib. VI. tit. 7. n° 3, in fine, Vol. III. pag. 594. — GOTHOFREDUS pag. 177. 178. — POTHIER pag. 127.

(3) MOSES II. 22, 22. V. 24, 17. — ZACHARIAS VII. 10.

secus Perriot St. Prix (1) : « Sur certains points les hommes doivent avoir naturellement les mêmes idées ».

Sunt enim quaedam aequitatis naturalis principia, quae apud omnes gentes omnium aetatum observata sunt, sive, ut ait Cicero (2) : « Est quidem recta ratio vera, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat, quae tamen neque probos frustra jubet aut vetat, neque improbos jubendo aut vetando movet..... nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac; sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immutabilis continebit; unusque erit communis quasi magister et imperator omnium, deus ille legis hujus inventor, disceptator, lator (3).

Instituta autem tutela nihil magis naturale est, quam removere tutorem, qui in bona pupilli grassatur. Licet itaque eadem lex Romae et Athenis viguerit; tamen non sequitur, unam ex iis civitatibus ab altera illam accepisse : ne dicam de maxima differentia, quae erat inter legem Atheniensium et Romanorum, de suspecto tutore latam.

Ex legibus nempe Decemvirorum tutor solvere tenebatur duplum rerum, quas furatus fuerat (4); in jure Attico nul-

(1) Them. Tom. IV. pag. 307.
(2) De Rep. III. 16.
(3) LACTANTIUS Divin. Inst. VIII. 8. — PAULUS Ap. ad Romanos II. 14. 15. — MAJUS ad *Ciceron.* Remp. edit. *Villemain* II. pag. 281.
(4) L. 55. § 1. Dig. de admin. et peric. tutorum. — GOTHOF. pag. 121. sq. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 71.

latenus sancita est ea poena, imo ex Demosthene contrarium sequitur (π. ἀφ. ψευδομ. p. 517). Dicit enim ille orator, eum qui mala fide bona alterius administraverit, ex lege teneri ad damnum resarciendum; quae lex pariter pertinebat ad tutores perfidos, ut optime observat Petitus (1); seu potius in eorum cummaxime damnum lata est.

Porro actio contra tutorem, ex capite male gestae tutelae, secundum leges Atticas intra quinquennium, post tutelam finitam, erat instituenda; quo tempore elapso non amplius admittebatur (2): contra in XII Tabulis non determinabatur tempus, intra quod pupillus actionem suam instituere deberet (3).

§ XXXVI. *De Injuriis* haec in XII Tabulis continentur: « Si quis injuriam alteri faxit, XXV aeris poenae sunto ».

« Si quis pipulo occentassit, carmenve condissit, quod infamiam faxit flagitiumve alteri, fuste ferito ». Unde patet, discrimen statuisse Decemviros inter injurias leviores et atrociores; ac in priores poenam solum pecuniariam sanxisse (4), in posteriores vero fustes (5).

(1) L. VII. tit. 7. n° 1. Vol. III. p. 644.

(2) Demosthen. cont. Nausimachum pag. 774. — Petitus Lib. VI. tit. 7. n° 4. Vol. III. pag. 594.

(3) Bonamy pag. 94.

(4) Gellius XX. 1. — Coll. Leg. Rom. et Mos. tit. 2. § 5. — Terrasson Part. II. § 9. — Bouchaud Vol. II. pag. 21 seqq. — Mémoires de l'Acad. Vol. XLI. pag. 95. 114. — Pothier p. 124 sq.

(5) Cicero De Rep. IV. 4. — Majus ad Ciceronem De Rep. IV. edit.

Nolebant enim Romani honestorum civium famam poëtarum licentiae petulantiaeque obnoxiam facere neque probrum quemquam audire, nisi ea lege, ut respondere liceret et in judicio defendere. Apud Athenienses vero honestissimi viri, ipsique reipublicae proceres, in scenam etiam induci et carminibus injuriosis peti coram universo populo potuerunt, quin ejus rei poenas lueret auctor (1). Quae res ipsum adeo adversarium nostrum Terrassonum ita movit, ut haec de ea re scriberet (2) : « On ne peut pas dire, que la loi, qui nous sert de texte, ait été empruntée des lois attiques. Car on sait, qu'elle fût la licence du theâtre d'Athènes contre les magistrats mêmes et qu'Aristophane se fit un jeu de décrier souvent dans les pièces comiques les personnes les plus respectables ».

Levissimam poenam in injurias constituerat Solon, quas ille praeterea sub certis tantum conditionibus puniendas jussit. Lex autem haec est : « Qui convicium alteri fecerit; sive in sacrificiis, sive in judicum aut magistratuum testimoniis, aut in spectaculis, *tribus* drachmis mulctabitur, quae convicium passo cedant; *duabus* vero, quae aerario publico solvantur », et (3) : « Si quis alteri exprobraverit aliquid, le-

Villemain Vol. II. pag. 295. — Cicero de Natur. Deor. IV. 2. — Augustinus De Civit. Dei II. 9. 12. — Horatius II. Serm. I. vers. 80. — II. Epist. I. vers. 149 seqq. — Arnobius IV. pag. 151. — Paulus S. R. V. 4. § 6. — Festus v. *Occentassent.* — Gothofredus p. 117. 118. 176. — Gibbon pag. 72 sq.

(1) Scaliger De Art. Poët. I. 8. p. 29 seqq. — Bouchaud Vol. II. p. 22.

(2) Part. II. § 9. pag. 151. — Heinecc. Lib. IV. tit. 4. n° 2. pag. 645 ibique *Haubold.* — Boulage pag. 170. 171. 183.

(3) Plutarchus in Solon. pag. 89. — Isocrates in Lochit. pag. 586. —

bus damnator, *quingentis* drachmis mulctabitur ». Unde constat, nullam esse similitudinem inter legem Atheniensium et Romanorum de injuriis reprimendis latam. Nam apud Graecos illud delictum levissime tantum coercebatur; ex lege Decemvirorum poenae severiores et cum delicti gravitate magis congruae constituebantur (1). Qua re ductus, ipse Terrassonus (pag. 151) ait : « On voit par la, que les Romains ne prirent pas leurs loi des Grecs, ou du moins qu'ils en rendirent la disposition plus sévère, en la bornant point des punitions pecuniaires ».

Porro ex legibus Solonis cuivis e populo licebat accusare eum, qui alteri injuriam intulisset (2) : apud Romanos de injuria agebatur in judicio privato, atque ejus persecutio soli laeso dabatur.

Poenae enim a XII Tabulis constitutae in eos, qui sive re, sive verbis injuriam aliis facerent, tanquam satisfactiones, laeso per delictum concessae, considerabantur et in ea ipsa causa, ubi quis alteri membrum ruperit, solummodo erat puniendus, si cum laeso de damno restituendo pacisci

PETITUS Lib. VII. tit. 6. n° 1 et 3. pag. 641. 642. — HERALDUS Animadvers. XI. 13. — TERRASSON pag. 151. — BOUCHAUD pag. 22. Vol. II. — SALMASIUS ad Jus Rom. et Attic. cap. 7 sqq.

(1) ROLLIN hist. ancienne Tom. V. Art. 4. § 3. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 22. — GIBBON pag. 72 sq.

(2) PLUTARCHUS in Solone pag. 88. — DEMOSTHENES in Midiana pag. 330. — ULPIANUS ad Midianam pag. 330. — BARTHELEMY Vol. I. pag. 84. — PETITUS Lib. VII. tit. 2. Vol. III. pag. 631. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 94. et Vol. II. pag. 22.

nollet. Ex qua re sequitur, illud ipsum jus, etiam in injuriis verbalibus, soli laeso ex XII Tabulis competiisse.

Praeterea (ex § 7 Instit. de Injur.) constat, poenam in XII Tabulis in injurias statutam, a Praetoribus fuisse commutatam, et injuriam passo permissum, ut *eam aestimaret* (1). Atqui Praetor poenam sane nullam edicto suo mutare potuit, et, eam infligi non poterat jubere. Quamvis enim edicendi jus esset Praetori, tamen de iis tantum caussis edicere potuit, quae ad ejus jurisdictionem pertinebant. Unde patet, poenas, in injuriam ex XII Tabb. latas, quas edicto suo mutarit Praetor, ad eas causas, de quibus jus dicere solebat, necessario pertinuisse (2).

Si itaque de poena, propter injurias verbales inferenda, a Praetore, postquam ut de caussis privatis jus diceret, institutus esset, per aliquod tempus cognosci potuerit, eam fuisse privatam, omnino certum est. In judiciis autem privatis non *quivis e populo*, sed *solus laesus* actionem instituere poterat (3).

(1) GAJUS Comm. III. § 223 sq. — GELLIUS XXI. cap. ult. — PLINIUS Hist. Nat. XVIII. 3. — PAULUS S. R. V. 4. § 7, edit. *Hugo*. Tom. I. p. 160. — THEOPHILUS ad § 2. Inst. de perpet. et tempor. act. — HEINECC. Ant. Rom. Lib. IV. tit. 4. § 7. — MONTESQUIEU Esprit des Lois L. XXVII in fine.

(2) WINSSINGER De Dol. et Culp. pag. 117 sq. — VANDERTON pag. 84 sqq. coll. cum p. 50.

(3) VANDERTON pag. 65 seqq. — WINSSINGER pag. 101. — HEINECC. Ant. Rom. Lib. IV. tit. 1 principio. — WAFFELAER De Concursu Delict. ex jur. Rom. et hodiern. Lovanii 1823. pag. 20 seqq. — CROPP Part. I. pag. 68

§. XXXVII. Addamus legi praecedenti alteram, quae de injuriis realibus agit : « Qui *membrum rupsit, ni cum eo paicit, talio esto.* »

Ex hac lege in membrum ruptum talionem sanciebant Decemviri, tunc tantum exigendam, si nocens cum laeso pacisci nollet (1). Antiquitus enim plurimorum populorum opinio erat, ultionem privatis esse licitam et ideo suppliciis publice sumendis vindictae privatae esse satisfaciendum. Unde si offensor ad laesum placandum cum ipso pacisceretur, nulla amplius poena publica inferri solebat (2).

Ex hac sententia ac talionis idea, quae apud plurimas gentes vetustas, praesertim apud Arabes, et Orientales omnino, in usu erat, orta est lex illa Decemviralis : « *Ei, qui alteri membrum ruperit, nec cum eo pacisci voluerit, membrum pariter esse rumpendum :* voluere enim, ut qua quisque corporis parte in legem peccasset, ea per reliquam vitam lueret (3). Sed haec lex cum vita Graecorum nullo modo congruit.

sq. — ADAM Antiquités Romaines Tom. I. pag. 334. — HOTOMANNUS ad *Cic.* Orationem pro Rosc. Amerino. cap. 21. — BACHIUS pag. 97. — GRAUN De supervac. delict. diviš. in publica et priv. moribus nostris (in MARTINI Diss. Coll. Jenae, Vol. I. pag. 309.

(1) TERRASSON Part. II. § 9. pag. 148. — GELLIUS XVI. 10. XX. 1. — FESTUS v. Talionis. — PAULUS, S. R. V. 4. § 7. — § 7. Inst. de injur. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 33 sq. — VANDERTON pag. 83. 88. — GOTHOFREDUS pag. 119 seq. — WINSSINGER pag. 117. 118. — GROTIUS De Jure Belli et Pacis Lib. III. cap. 11. — HEINECC. Lib. IV. tit. 4. n° 3. pag. 646. — POTHIER pag. 125 sq. — BOULAGE pag. 171.

(2) WINS De Supp. cap. tollend. Lov. 1825. pag. 16.

(3) DEWAL l. l. pag. 8. — ARISTOT. Ethica V. 5. — ISIDOR. Origin. V. IX.

Ex jure enim Attico is, qui alterum verberaverat, mulcta, ex arbitrio judicis constituenda, afficiebatur. Qui vero alterius corpus, aut caput, aut vultum, aut manus, aut pedes certo quodam laeserat vulnere, is a vulnerati patria exsulare cogebatur, bonaque ejus publicabantur (1). Unde sequitur, jus Atticum denuo a Romano jure prorsus fuisse diversum. Quidam tamen auctores contendebant, Decemviros legem illam hausisse ex Solonis legibus, qui haec sanxisset : « Si quis monoculo oculum effoderit, uterque ei effoditor (2) ». Uterque enim caecus esse debuit ex lege talionis. De hac re haec opinatur Terassonus (3) : « Par les lois de Solon la peine du talion avait lieu contre celui, qui avait arraché le second œil à un homme, qui était déja privé de l'usage du premier, et le coupable était condamné à perdre les yeux. Il parait, que les derniers adoptèrent le dernier article de la loi de Solon, dans le cas du membre rompu ; car ils statuèrent l'égalité entre l'offense et la punition ». Quae tamen sententia nobis falsa esse videtur.

27. — BOUCHAUD pag. 35. Vol. II. — PRISCIANUS Lib. VI. pag. 710. — BALDUINUS ad Leg. XII Tabb. nº 71. — WINSSINGER De Talione pag. 31. 32. LOV. 1822. — QUINTILIAN. Declam. 358. 372. — HEINECC. Lib. IV. tit. 18. § 8.

(1) LYSIAS ἐν τῇ ὑπὲρ Καλλίου ἱεροσυλίας ἀπολογίᾳ cap. 5. Idem in Apologia Τραύματος ἐκ προνοίας πρὸς Σίμωνα, cap. 10. — PETITUS Lib. VII. tit. 1. nº 23. pag. 629 sq.

(2) DIOGENES LAERT. in vita Solonis Segm. 57. — ARISTOT. Rhetor. I. cap. 7. — PETITUS Lib. VII. tit. 3. § 2. pag. 632. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 34.

(3) Part. II. § 9. pag. 148. Vid. etiam WINSSINGER De Talione pag. 31. — Encyclop. sub v. *Talion*. — BRENCKMANNUS De lege Remnia cap. 21 (in Thes. Otton. Tom. III. pag. 1634).

Nam primum inter legem Graecam et Romanam magna intercedit differentia. Lex Attica particularis est, ob *oculum* effossum lata; Romana generalis, ad quodvis membrum ruptum pertinuit. Deinde facultas, se a poena liberandi paciscendo cum laeso, solis Romanis propria erat. Tum illud jus talionis non tantum apud Graecos vigebat; sed in omnibus populorum antiquorum institutis invenitur (1).

Jam enim apud Hebraeos statutum erat: « Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore (2) ». Notandum tamen est, apud Hebraeos talionem pecunia redimi potuisse, ut apud Romanos. Nusquam enim legimus, pro oculo erepto aut crure fracto alteri quoque erutum oculum aut crus fractum fuisse, sed saepe qui vulnera intulissent, eos pecunia mulctatos esse videmus (3).

Caeterum talio ante Mosen, seu potius apud rudissimas quasque gentes, in usu fuit (4). Eandem Zaleucus quoque

(1) PASTORET Hist. de la leg. Paris 1817. Vol. I. pag. 405 seqq.

(2) MOSES II. 21, 23. III. 24, 20. V. 19, 21. — WINSSINGER De Talione pag. 13. 19. 29. — TERRASSON Part. II. § 9. pag. 148 et Part. I. § 1. pag. 5, in fine.

(3) MOSES II. 21, 19. 22. 26 et 27. XXIX. 30. — PASTORET Hist. de la legisl. Tom. IV. pag. 123. — JOS. FLAVIUS IV. 8. § 36. — CALMET Comment. in Exodum cap. 21. pag. 437. — MICHAELIS Mosaisches Recht V. pag. 56 sq. — WINSSINGER De Talione pag. 29 sq. — POTHIER p. 125.

(4) MICHAELIS Mosaisch. Recht Tom. V. pag. 56 sqq. — GENESIS IV. vers. 14 sq. — BOUCHAUD pag. 36. Vol. II.

apud Locrenses et Charondas apud Thurios admiserant legem « Si quis oculum alteri excussisset, eidem oculus vicissim excuteretur (1) ».

Haec igitur lex prima fuit generis humani hereditas, ex vagina gentium repetenda. Exstat etiam lex alia Decemvirorum, quae jubet : « Qui os ex genitali fudit, libero CCC, servo CL aeris poenae sunto (2) »; quam sic vertit Buchaldus (Vol. II. pag. 36) : « Que celui, qui par quelque coup violent aura fait sauter la dent de quelqu'un hors de la gencive, paie une amende de trois cents as, si l'offensé est un homme libre; ou de cent cinquante, si c'est un esclave ». Huic legi similis in legibus Atticis invenitur nulla, sed eadem Romanis fuit priva.

§. XXXVIII. Lex XII Tabularum de falso testimonio haec habet : « Si quis falsum testimonium dicassit, saxo deicitor (3) » (i. e. de rupe Tarpeja).

Apud Athenienses poena capitalis non inferebatur in falsos testes, sed ii tradebantur judicio, quod dicebatur δίκη ψευ-

(1) Demosthen. cont. Timocrat. Vol. I. pag. 744. — Diodorus Sicul. XII. 26. coll. cap. 17. Tom. I. pag. 489. — Winssinger pag. 31.

(2) § 7. Instit. de injuriis. — Gellius XX. 1. — Coll. Leg. Rom. et Mos. II. 5. — Bouchaud Vol. II. pag. 37. — Gothofredus pag. 121. — Terrasson pag. 149 sq. — Bachius pag. 58 et 59. — Pothier pag. 129.

(3) Gellius XX. 1. — Gothofredus pag. 123. — Terrasson Part. II. pag. 153. — Gibbon pag. 72. — Pothier pag. 129. — Boulage pag. 173 et 174.

δομαρτυριῶν, atque mulcta gravissima et infamia puniebantur *ἀτιμοῦνται καὶ χρήμασι ζημιοῦνται*) (1).

Hanc legem, cum ab Atticis repetere ausi non essent adversarii nostri, petiere a legibus Charondae, qui poenam pariter capitalem in falsos testes tulisse dicitur (2). Sed nemo scriptor nec Romanus, neque Graecus retulit, Romanos e Charondae legibus aliquid desumsisse. Volunt tamen, ut nihil ipsi Romani in se statuerint, et hanc ob causam expiscati sunt Charondam, qui saltem *peregrinus* esse videbatur, is igitur, a quo Romani rem suam mutuare saltem *potuissent*. Eorum tamen gratia observamus, falsum testimonium non solum per leges Charondae poena capitali adfectum fuisse, sed ab Hebraeis quoque jure Mosaico (3). Unde, ut nos quoque Romanis peregre aliquid adferremus; ab Hebraeis hanc legem duceremus, si illorum ineptias sequendi esset animus. In qua tamen re nullo pacto oblivisceremur *genus* poenae *solis Romanis* fuisse proprium; nam apud ipsos solos falsi testes *e rupe Tarpeja* praecipitabantur, quam certe non e Graeciae asportarunt Decemviri.

(1) POLLUX VIII. 6. Segm. 36. pag. 874. — DEMOSTHEN. contra Evergum et Mnesibulum pag. 638; idem ἐν τῷ πρὸς ἄφοβον ψευδομαρτυριῶν p. 515; et cont. Steph. pag. 634. — ISÆUS ἐν τῷ περὶ τ. δικαιογ. κλήρου p. 52. — ANTIPHON in Caed. defens. alt. pag. 120. — PETIT. Lib. IV. tit. 7. n° 14. pag. 449 sq. — HERALD. Lib. VI. cap. 11. pag. 464. — BOUCH. Vol. II. pag. 47.

(2) HAUBOLDUS ad *Heinecc.* pag. 5. — ARISTOT. Politic. II, 10. — BOUCH. Vol. I. pag. 60 sq.

(3) MOSES V. 19. v. 16. 21. — V. 20, 17. 11. — WINSSINGER De Talione. pag. 36 sq. — DANIEL VI. cap. 6 et 24. — TERRASSON Part. II. § 9. p. 153.

§. XXXIX. Jungamus praecedenti legi alteram de testibus latam : « Qui se sierit testari libripensve fuerit, ni testimonium fariatur, improbus intestabilis que esto (1) »; quae lex significat, intestabilem esse eum, qui cum jam ut testis item velut libripens adhibitus fuisset, postea testimonium reddere detrectasset (2). Intestabilitas autem erat summus gradus minutae existimationis, ut qui hac poena adfecti fuissent, nihil amplius ex alieno testamento capere possent, nec ipsis daretur testandi facultas seu in testamento et judiciis jus testimonii ferendi (3). Graecis vero legibus contra detrectatores testimoniorum dabatur actio, quae dicebatur δίκη λειπομαρτυρίας, atque mille drachmis mulctabatur. (4).

§. XL. « Qui frugem aratro quaesitam furtim nox pavit, secuitve, suspensus Cereri necator; impubes Praetoris arbi-

(1) BACHIUS Hist. juris pag. 58 sq. — GELLIUS VI. 7 et XV. 13. — GOTHOFREDUS pag. 122. 178. — POTHIER pag. 128.

(2) TERRASSON Part. II. § 9. pag. 152 sq. — THEOPHILUS ad § 6 Instit. de Testam. ordinandis. — BOUCHAUD Vol. I. pag. 39 seqq. — MOLITOR De Minut. existimat. apud Rom. Lov. 1824. pag. 102. — HEINECCIUS Lib. II. tit. 10. § 6. pag. 436 ibique HAUBOLDUS. — BOULAGE pag. 173.

(3) L. 26. Dig. qui test. facere poss. — MAREZOLL Ueber die bürgerliche Ehre. Giessen, 1824. pag. 87. — MOLITOR pag. 102 sqq. Errare videtur FEUERBACHIUS, Handbuch d. Crim. Rechts Giessen, 1818. pag. 72 seqq. — HAGEMEISTER De Infamia (in Hugonis Ephemeridibus jur. civil. Berol. 1812) Vol. III. pag. 163. — BRISSONIUS ad Legem Jul. de adulteriis (in Operib. minor. a *Trekellio* edit. Leid. 1749. pag. 222). — PIRMEZ pag. 49, in nota. — VANDERTON pag. 91 sq. — BOUCHAUD Tom. II. pag. 46. — THEOPHILUS ad Lib. II. tit. 10. Instit. de testam. ordin. § 6.

(4) POLLUX VIII. 6. Segm. 37. pag. 875. — DEMOSTHENES in Timotheum pag. 659. — PETIT. Lib. IV. tit. 7. n° 11 et 12. Vol. III. pag. 447 sq. — SUIDAS v. ἐκκλητεύειν. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 46 sq.

tratu verberator noxiamque duplione decernito (1) ». De hac lege jam videamus, utrum peregrina fuisset, nec ne. In hoc crimen capitalem poenam statutam fuisse, quisque videt, humanis et divinis juribus : eo enim dii quoque laesi credebantur. Sive ut hanc rem verbis Terassoni reddamus (2) : « Comme dans l'idée des payens c'était la déesse Ceres, qui prêsidait aux moissons, on lui sacrifiait ceux, qui étaient assez impies pour détruire les bienfaits de cette déesse ». Solon in hoc delictum poenam singularem nullam statuerat, sed furtum segetum, a reliquis furtis ipsi non diversum, poena dupli vindicatum fuisse videtur ; quod etiam de alio damno segetibus illato credendum est (3).

Nec tamen desunt auctores, qui eam ex Draconis legibus repetunt. Atque Plutarchus quidem ab hoc refert legislatore cautum fuisse, ut, qui uvas aut olivas furaretur, non minori poena afficeretur, quam qui sacrilegium aut homicidium commisisset (4). Nostrum est demonstrare, sententiam illorum veram non esse. Nam I. Lex illa Draconis loquitur tantum de uvis et olivis ; Decemvirorum de frugibus

(1) PLINIUS Hist. Natur. XVIII. 3. — GIBBON pag. 73. — GELLIUS XI. cap. ult. — CICERO De Rep. V. edit. *Villemain* Vol. II. pag. 153. — GOTHOFREDUS pag. 113. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 12. — TERRASSON Part. II. § 9. pag. 146. — POTHIER pag. 121 sq. — BOULAGE pag. 168.

(2) PETIT. Lib. VII. tit. 5. n° 2. pag. 634 sq. coll. cum tit. 3. pag. 631 sq. — DEMOSTH. in Timocrat. pag. 461. 463. — GELL. XI. 18.

(3) Part. II. § 9. p. 147. — Cfr. POTH. p. 121 sq.

(4) PLUT. in Solon. pag. 87. — BOUCH. Vol. I. pag. 77. Vol. II. pag. 12. — MERULA De Leg. Rom. cap. 17. n° 3. — PRATEJ. in jurisprud. veter. n° 71. — TERRAS. Part. II. § 9. pag. 147.

omnibus aratro quaesitis; II. Dinstinctio inter impuberem et puberem, lege Decemvirorum facta, a Dracone omissa est; III. Poena mortis in illud facinus a Dracone non ut singularis sancita est; quum ille *omnia* fere crimina, et nominatim furta omnia, morte punienda esse vellet, nec ullam differentiam constituerit inter gravissima crimina et leviora peccata (1); IV. Tempore Decemvirorum Draconis leges obliteratae fuerant ac nullo modo observabantur (2); V. Lex XII Tabb. nostra ab ipso Numa lata fuisse videtur. Legimus enim apud Ciceronem (3) : « Haec Numa docuit; sine depopulatione atque praeda posse eos *colendis agris* abundare commodis omnibus : amoremque eis otii et pacis injecit; quibus facillime justitia et fides convalescit et quorum patrocinio maxime *cultus agrorum perceptioque frugum defenditur* ».

Nonne igitur maxime probabile est, illum regem, cujus leges tempore Ciceronis exstabant (4), sanxisse poenas in eos, qui fruges aratro quaesitas secuissent. Praeterea Romanis, qui

(1) L. Bos. pag. 125. — BRUNINGS Comp. antiq. Graec. pag. 123. — BARTHEL. Vol. I. pag. 70. — BOUCH. Vol. I. pag. 75. — PLUT. in vita Solonis p. 87. — GELL. XI. 18. — BUDDEUS Hist. Eccles. Tom. II. pag. 728. — PETIT. Lib. VII. tit. 5. n° 1. pag. 634. — TERRAS. Part. I. § 3. pag. 15 sq.

(2) L. Bos. pag. 125. — AELIAN. VIII. cap. 10. BOUCH. Vol. I. pag. 76. 105. — BARTHEL. Vol. I. pag. 77. 83. — DIOG. LAERT. in Solon. Segm. 55. — GRONOV. Thes. pag. 2021. — PLUT. in Solone pag. 87. — WANNAAR De Divortiis pag. 25. (Ann. Acad. Gand. 1819-1820). — PLUT. in Solon. pag. 87. — GIBB. pag. 71.

(3) De Rep. II. 14.

(4) CIC. De Rep. V. 2 coll. II. 14.

agrum tanta cura colebant, certe ab initio et ante leges XII Tabb. instituta exsistere debuerunt, quibus segetes contra hominum injurias munirentur; VI Verba legis « *suspensus Cereri necator* » originem prorsus Romanam redolent : similes enim poenae considerabantur tanquam media iram deorum leniendi et infligebantur ob delicta, quae deorum ipsorum violationem continere credebantur (1). Quae opinio proprie in eas civitates dominabatur, in quibus antiquitus ordo quidam sacerdotalis potens exstiterat, e. g. in Etruscas; igitur in Romanam pariter, quae ejusmodi ordinem in Patriciis suis coluit. VII. Denique nostra lex necessaria sequela est legis, quae fidem publicam et deum terminum colere jussit (de qua supra dictum est); ut taceamus, eandem ad *sacras* pertinuisse, igitur ad vere Romanas. Posset tamen ex verbis legis nostrae « *impubes Praetoris arbitratu verberator, noxiamque duplione luito* » quaedam oriri controversia; quapropter sensum eorum explicare debemus; quem hunc esse credimus : Praetor vel noxiam dupli, vel si impubes impar sit, noxiae solvendae castigationem decernat; ut etiam auctorem incendii culposi vel noxiam sarcire juberi, vel si minus *idoneus sit*, levius castigari, in legibus XII Tabularum expressis verbis dicitur (2); quod praeceptum posterioribus quoque temporibus in usu fuit : « *Luat corpore, qui non potest aere* ». Hanc autem dupli poenam a Graecis promanasse Graeculi homines dixerint : quum ejusmodi mulctam apud

(1) WINSS. pag. 114. 122. — POTH. pag. 121. 122.

(2) BACH. Tab. II. 7. pag. 40. 56. — Lex 9 Dig. de incend. ruin. — WINSS. pag. 119 sq. — BOUCH. Vol. II. pag. 15. 19 sq. col. 12. — GOTHOF. pag. 116. — GELL. XI. cap. ult.

Athenienses sancitam fuisse contra eos, qui damnum aliis dederint, sciant ex Demosthene (1). Verum nulla reperitur similitudo, quum ut quisque videt, illud duplum per XII Tabulas *in impuberes sanciatur*, qui *fruges aratro partas* secuerint, aut paverint; ex jure vero Attico haec poena constituatur *contra omnes*, qui *damnum* aliis dolo malo dederint. Praeterea eadem dupli poena, legibus Atticis atque Romanis frequentata, plus una vice apud ipsos Hebraeos occurrit (2).

§. XLI. Huic legi addamus alteram : « Qui fruges excantassit, Cereri necator ». Hi vero excantatores sunt illi, qui fructus alienos, aliamve segetem, in alias terras transtulerint, pellexerint, vel ne crescerent, artibus magicis effecerint, messibus nocuerint, igitur Cereris numen laeserint (3). Quae lex similem nullam habet apud Graecos. Verum quidem est, apud Athenienses non minus leges fuisse in magos latas (ut superius vidimus) ; sed non minus etiam eaedem reperiebantur in jure Mosaico; quo illud crimen capitali poena vindicabatur (4); et quae res gentibus vetustis omnibus erat communis.

(1) In Midian. pag. 329. — LYSIAS advers. Theomnest. cap. 6. — HERALD. Lib. III. 4 seqq. — PETIT. Lib. VII. tit. 3. pag. 631 sq.

(2) Exod. cap. 22, vers. 4. 7. 9.

(3) AUGUST. De Civit. Dei Lib. VIII. cap. 19. — PLIN. Hist. Nat. XXVIII. 30. XXX. 1. — SENEC. Nat. Quaest. IV. 7. — APULEJ. in Apolog. pag. 481. — SERV. ad Eclog. VIII. vers. 99. — BOUCH. Vol. II. pag. 8 seqq. — GOTHOF. pag. 115 sq. 175. — TERRAS. pag. 145 sq. — POTH. pag. 120. 121. — BOULAGE pag. 167.

(4) LEVIT. XIX. 11. XX. 6 et 26. — DEUTER. XVIII. 11. *Numer.* XXIII. 23. I *Regum* XXVIII. 7.

§. XLII. Jam agamus de crimine incendii, in quod haec lex statuta est : « Qui aedes acervumve frumenti ad aedes positum dolo sciens incensit, vinctus verberatus igni necator; ast si casu, noxiam sarcito : si nec idoneus escit, levius castigator (1) ».

Poena ignis, quae adversus incendiarios dolosos constituta est, erat quodammodo talio (2): talio autem, quae, ut vidimus, in legibus omnium antiquorum populorum invenitur, praeprimis ad mores Romanorum pertinebat. Ad quam sententiam magis confirmandam haec tenenda sunt. Romae praecipue cultam fuisse *Vestam* deam, cui Numa proprias dicaverat sacerdotes, *virgines vestales*, quae ignem publicum sempiternum custodirent (3). *Vesta* autem nihil significavit, quam vivam flammam terrae creatricis, matrem omnis vitae animalis, atque pertinuit igitur ad Sabaeismum, quae prima Romanorum religio fuit, Etruscis, ut orienti, propria. Qui igitur dolo malo aedes aut acervum frumenti incendebat, Vestae numen violavit; cui eapropter caput rei erat sacrum, igne cremandum. Hinc sequitur, legem ex ipsa religione Romana natam, forte a Numa latam, nec vero a Decemviris constitutam fuisse.

(1) Lex 9 Dig. de incendio. — GOTHOF. pag. 116 sq. — BOUCH. Vol. II. pag. 18. — TERRAS. pag. 147. Part. II. § 9. — POTH. pag. 122 sq. — BOULAGE pag. 168 sq.

(2) WINSS. De Talione pag. 35. — GIBB. pag. 72.

(3) CIC. De Legg. II. 7. De Rep. II. 14, ibique *Majus*. — LIV. I. 20. — LACT. De falsa Relig. I. 12. — V. MAX. I. 8. — GELL. I. 12. — PLUT. in Numa pag. 66. — DIONYS. II. 17. pag. 65. 67. — ROSIN. Ant. Rom. Lib. II. cap. 12. — BACH. pag. 4. — GRUNDL. pag. 20.

Apud Athenienses ea in incendium dolosum sancita non erat : crimen enim incendii ad Areopagi jurisdictionem pertinebat, si quidem consulto esset commissum (1); igitur judicis arbitrio relictum, quod in plurimis delictis apud Athenienses fieri solebat (2).

Quodsi vero aliquis incendium excitavisset negligentiâ (3), ex XII Tabulis damnum reparare tenebatur. Forte hanc saltem legis partem Soloni tribuent; quia, ipso auctore, qui imprudens damnum fecerat alteri, in simplum tenebatur (4). Temere; si quidem non probatum fuerit, Romanos sana ratione penitus fuisse destitutos. Sed hoc nemo probaverit, si quis hanc aequam legem in aliis quoque casibus pariter ab Romanis usitatam fuisse didicerit. Supra enim jam videbamus, Romanos quoque leviora a gravioribus distinguere soluisse; ut omnes omnino gentes. « Nam,

(1) POLLUX VIII. 10. Segm. 117. — LUCIAN. De Gymnasiis pag. 281. — Bos. pag. 141 sq. — BARTHEL. Vol. II. pag. 240. — PETIT. Lib. VII. tit. 1. n° 1. pag. 605.

(2) BARTHEL. Tom. II. pag. 249. 253.

(3) In lege dicitur *casu*, sed casus saepius usurpatur pro *culpa*, ut in Leg. 2 Dig. de termino moto, 1. § 3, in fine ad leg. Cornel. de sic. — L. 9. et 11 Dig. de incendio ruin. — L. 5. § 2 et 11. § 2. Dig. de poenis. — Leg. 16. § 8, eodem. — GELL. VI. 14. — CROPP pag. 59. Part. II. — D'ANETH. De Meditato Delicto pag. 15, in nota. — WINSS. De Dolo pag. 126. — PETIT. Lib. VII. tit. 1. n° 9. pag. 615. — IMBERT De Infantic. Lovan. 1822. pag. 11 sq. — VANDERTON pag. 45 sq. — ROSSHIRT Comp. jur. crim. Heidelberg. 1821. pag. 48. — SALOMO De Homic. Casual. (in Annal. jur. crim. pag. 230). — BOUCH. Vol. II. p. 19.

(4) PETIT. Lib. VII. tit. 3. n° 1. pag. 631 sq. — DEMOSTH. in Mid. pag. 329. — LYSIAS adv. Theomnest. cap. 6. — HERALD. l. l. Lib. III. cap. 4 seqq.

Heneccius ait (1), apud Turcas quoque et Sinenses haec lex fuit, licet nunquam quicquam ex jure Romano seu Graeco illi acceperint ».

Porro ex XII Tabulis, qui culpa excitavisset incendium et noxiae solvendae impar non esset, levius castigabatur (2); cum apud Graecos poena ejus, qui mulctam solvere non poterat, esset quidem *ignominia*; quin tamen in ulla caussa *castigatio* adhiberetur (3).

§ XLIII. Lex XII Tabularum: « Si injuria rupitias sarcito » i. e. si quis damnum dederit dolo malo aut culpa, nihil aliud nisi damni restitutionem debebat (4) — pariter apud Hebraeos fuerat usitata (5); apud Athenienses contra, si quis idem commiserit, is duplum tantum reddere tenebatur (6).

§ XLIV. Cum hac conjungamus aliam de damno dato: « Si quadrupes pauperiem faxit, dominus noxiae aestimiam

(1) Ad Inst. Lib. IV. tit. 3. § 1095. Hebraeos eandem habuisse, disce ex II. Mos. 22, 26: « Si egressus ignis invenerit spinas et comprehenderit acervos frugum sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit ». — Vid. TERRAS. p. 147.

(2) BOUCH. Vol. II. pag. 19 seq. — WINSS. De Dolo pag. 120. — BACH. pag. 56 sq.

(3) PETIT. Lib. IV. tit. 9. n° 14. pag. 465. — DEMOSTH. in Aristogit. pag. 486.

(4) FEST. sub. v. *Sarcito* et *Rupitias* — HEINECC. Lib. IV. tit. 3. n° 3. pag. 635 sq. — Lex 1 Dig. ad leg. Aquil. — BOUCH. Vol. II. pag. 6 sq. — GOTHOF. pag. 115. — BACH. pag. 56 sq. — TERRASS. pag. 144.

(5) Mos. II. 22, 5.

(6) PETIT. Lib. VII. tit. 3. n° 1. pag. 631 sq. — DEMOSTH. in Midiana 329.

offerto : si nolit, quod noxit, dato (1) ». Ex qua lege dominus quadrupedis, qui damnum dederat, tenebatur aut damni aestimationem solvere, aut animal noxae alteri dare (2). Eandem legem ex Solonis institutis repetunt ; quia Solon sanxisse dicitur, ut canis, qui aliquem momorderit, catena quatuor cubitorum revinctus noxae daretur (3) : ad cujus exemplum latam fuisse legem Decemvirorum de quadrupede asserit Bouchaldus (4), manifesto errore. Nulla enim inter utramque legem exstat similitudo. Primum enim lex Solonea agit de *Cane*, lex Decemvirorum loquitur de quovis quadrupede pauperiem, i. e. damnum, (5) faciente. Deinde apud Athenienses canem noxae dare debebat dominus, i. e. tenebatur tradere animal ei, cui damnum morsu illius fuerat illatum ; contra, apud Romanos, ex XII Tabulis, dominus non tenebatur quadrupedem noxae dare, si damnum resarcire vellet. De ea re sic loquitur Terrassonus (6) : « Le législateur Solon avait ordonné, qu'un chien qui avait

(1) L. 1. princ. § 1 et 2 Dig. si quadr. pauper. fecisse dicat. — Princip. Inst. eod. — BACH. pag. 56. — TERRASS. pag. 143. — GOTHOF. pag. 114 sq. — POTH. pag. 129 sq.

(2) BOUCH. Vol. II. pag. 2. 3. — HEINECC. Lib. IV. tit. 9. n° 1 seqq. pag. 708. — BOUCH. Vol. I. pag. 198.

(3) PLUT. in Solon. pag. 91. E. — APOLLOD. Comicus (ex Athenaeo apud GROT. excerpt.) pag. 807. — PETIT. Lib. VII. tit. 3. n° 3. pag. 632. — HEINECC. l. l. tit. 9. n° 2. pag. 708. — TERRAS. Part. II. § 9. pag. 147.

(4) Vol. I. p. 63 sq. Vol. II. p. 4.

(5) L. 1. § 1 Dig. si quadrup. — FEST. sub v. *Pauperies*. — HAUB. ad HEINECC. IV. 9. 1. — Vid. FL. JOS. CAPER in libell. de Orthogr. in Gramm. Latin. auct. antiq. pag. 2243.

(6) L. l. Part. II. § 9. pag. 143.

mordu quelqu'un, fut chargé d'une chaîne de quatre coudées, et livré à la personne offensée. Démocrite condamnait à mort un animal qui aurait fait du tort, de quelque manière que ce fût. Par l'une des lois observées en Crète, un porc qui avait endommagé un champ semé de bled, devait avoir les dents arrachées (1). Toutes ces lois sont bien peu dignes de la sagesse des anciens; car comment peut-on punir des bêtes, qui n'agissent que par instinct, qui ne connaissent point les lois sur les limites et la propriété des héritages, et dont le hasard, l'habitude ou le besoin règlent toutes les actions? De quel exemple et de quelle utilité de pareilles punitions pouvaient-elles être pour la société? De ce qu'on avait arraché les dents à un porc, cela avertissait-il les autres porcs de ce qu'ils devaient faire? Mais la loi des Romains était bien plus sage; car s'ils connaissaient d'un coté l'inutilité qu'il y avait à punir une bête, ils sentirent d'un autre côté l'inconvenient qu'il y aurait à laisser sans dédommagement le dommage, que les bêtes pourraient causer; c'est pourquoi celui, auquel appartenait la bête, fut condamné par les 12 Tables, ou bien à payer la valeur du dommage, ou à livrer les bêtes en dédommagement ».

Similes denique leges non apud Athenienses erant quaerendae, cum eaedem in jure Mosaico, i. e. communi gentium, inveniantur (2).

(1) STOB. Serm. 145. pag. 457. — BOUCH. pag. 4.

(2) MOS. II. 21, 28 sqq. 35 sq. — LEVIT. XX. 15. — TERRAS. pag. 16. — DAMHOUDER Praxis crim. cap. 98. n° 14 sq. — PETIT. l. l. tit. 1. n° 21. pag. 628. — Canon 15, Quaest. I decreti Grat. — CARPZOV. Pract. rer. crim. Part. II. Quaest. 76. n° 29.

§ XLV. Ejusdem generis est lex : « Si servus sciente domino furtum faxit noxiam ve noxit, noxae dedito ». Si igitur servus damnum alteri dederat, ejus dominus illum noxae dedere tenebatur ad reparationem ob damnum illatum (1). Quae lex solis Romanis propria fuisse videtur, ex eorumque moribus orta. Nam apud Athenienses dominus reparare quidem debebat damnum a servo datum, sed servum ipsum non *tenebatur noxae* dare (2).

§ XLVI. De furto haec constituerunt Decemviri : Si « luci furtum faxit, sim aliquis endo ipso capsit, verberator, illique, cui furtum factum escit, addicitor ».

« Servus virgis caesus saxo deicitor, impubes Praetoris arbitratu verberator, noxiamque decernito. Si adorat furto, quod nec manifestum escit, duplione decidito (3) ».

Distinguebatur itaque inter fures manifestos et nec manifestos (4). Si manifesti essent, iterum distinguebant Decemviri,

(1) BACH. pag. 72 sq. — GOTHOF. pag. 141 sq. — § 4 Instit. de noxalib. actionib. — Lex 2. § 7 Dig. eod. — DEFERR. ad laud. § 4. Vol. VI. pag. 169. 170. 174. — BOUCH. Vol. II. pag. 374 sq. — HEINECC. Ant. Rom. Lib. IV. tit. 9. n° 4. — TERRAS. Part. II. § 14. pag. 205. — POTH. pag. 164. — BOULAGE pag. 230.

(2) PETIT. l. l. tit. 3. n° 1, in nota. — HERALD. lib. III. tit. 4 seqq. p. 631.

(3) BACH. pag. 40 sq. — GOTHOF. pag. 85 sqq. 163. — TERRASS. Part. II. § 3. pag. 105. — HEINECC. Lib. IV. tit. 1. n° 5. 6. pag. 619. — CUJAC. Obs. XI. 27. — BOUCH. Vol. I. pag. 355 seqq. — GRUNDL. pag. 61. — WINSS. pag. 117. — VANDERTON pag. 83. 85. — POTH. p. 83 sqq.

(4) BOULAGE pag. 102 sq. — Neues Archiv. für's Criminalr. 1825, p. 358.

essent, an servi, atque si ingenui, puberesne, an impuberes. Ingenui, qui ad pubertatem pervenerant, et in furto manifesto fuerant deprehensi, virgis caedebantur et noxae dabantur ei, cujus res surripuerant; a quo ad servilia adhiberentur ministeria. Unde ob hanc libertatis jacturam a Theophilo (ad princip. Instit. de perpetuis et tempor. action.) dicuntur subiisse τιμωρίαν κεφαλικὴν, poenam capitalem; atque Servius (ad Aeneid. VIII. p. 516) scribit : « furtum capitale crimen apud majores fuit ante poenam quadrupli, nam quae poena et caput civile tollit, capitalis recte vocatur (1) ». Cum *servis* vero multo durius egerunt Decemviri; nam illi, qui in furto manifesto fuerant deprehensi, e rupe Tarpeja dejiciebantur (2). Hanc vero poenam, in furtum manifestum constitutam, non ex lege Solonis esse translatam certum est : Solon enim non distinxit inter furta manifesta et non manifesta; sed in genere illud delictum poena dupli punivit, si res furto ablata pretium drachmarum quinquaginta non excederet : sin vero hoc pretio major aestimaretur, morte furtum vindicandum jussit (3).

(1) Cl. Holtius in Oratione de jure Praetorio apud Rom. et Anglos pag. 9. — Lex 2. princ. Dig. de poenis. — Lex 6. § ult. et 28 eodem. — Tacit. Annales XIII. 32. — Cic. pro Quint. 2; pro Roscio 6. — Isidor. Originum V. 16. — Balduin. in catechesi jur. civ. in jur. Rom. et Att. I. p. 768. — Vanderton pag. 82. — Adam l. l. Tom. I. pag. 274. — Bouch. Vol. I. pag. 179 sq. — Cic. De Offic. III, 29. — Seneca Epist. 80 et de Benef. II, 21. — Plaut. in Pseud. Act. I. Scena II, vers. 88; in Pers. Act. I. Scen. I. vers. 37. — Heinecc. Lib. IV. tit. 18. § 10. p. 749 sq.

(2) Gell. XI. 18. Euseb. Praepar. Evangel. VI. 8. — Bynkersh. Lib. III. 16. pag. 286 sq. — Bouch. Vol. I. pag. 355 sq. — Heinecc. l. l. tit. 1. n° 7 pag. 620 sq.

(3) Demosth. in Timocrat. pag. 461. 463. — Pollux VIII. 7. — Bouch.

Sunt tamen, qui dicunt (1), ex Draconis legibus Romanam esse ortam; cum Draco omnia furta cujuscumque generis supplicio capitis vindicanda esse jussisset atque Solon quoque poena eadem affecisset eos, qui furta in balneis, vel aliis publicis locis, commisissent (2). In qua re velimus, lectores ea sibi in mentem revocent, quae supra de his Draconis fautoribus attulimus. Monemus tamen eos, ut nobiscum reputent, legem Decemviralem a Draconis simul et Solonis legibus prorsus recedere. Nam in XII Tabulis furtum manifestum ab hominibus liberis commissum non morte puniebatur, ut apud Spartanos lege Draconis semper, apud Athenienses nonnunquam fiebat; sed virgis tantum fures caedebantur et ei addicebantur, quem spoliaverant (3). Addictio autem in servitutem est poena Romanis priva; quae jam ante XII Tabulas sancita fuisse videtur (4); sicuti apud Hebraeos quoque invaluerat (5).

Vol I. pag. 76. 99. — PETIT. l. l. tit. 5. n° 2 et 3. pag. 634 sqq. — TERRAS. Part. II. § 4. pag. 105 sq. — HERALD. ad jus Atticum IV. 8. § 2. pag. 314. — BOUCH. Vol. I. pag. 397.

(1) CROPP Part. II. pag. 135. — BOUCH. Tom. I. pag. 48. 76. — GRONOV. Thesaur. Graec. Antiq. Vol. V. pag. 1392. — POTH. p. 84.

(2) XENOPH. Memor. Socr. I. 2. 62. — BERNARD de Archontibus, 33. — DEFERR. ad § 5. Instit. de obl. quae ex del. nasc. Vol. V. pag. 250. — ARISTOT. Problem. Sect. 29. Qu. 14. — CROPP Part. II. pag. 135. — BOUCH. pag. 48. — TERRAS. pag. 104.

(3) Errat BOULAGIUS Vol. I. pag. 48, atque manifeste sibi contradicit in Vol. I. pag. 355. 358 sqq. Recte VANDERTONUS pag. 83. 84. — Vid. GAJUS Comm. 3. § 189.

(4) HEINECC. Lib. III. tit. 30. n° 2 sq. — GELL. VII. 15. — DIONYS. IV. 9. — BOUCH. Vol. I. pag. 439 seqq.

(5) Mos. II. 22, 3. — PASTORET. Hist. de la legist. Lib. IV. pag. 192 sq. — *Mischna* III. pag. 2. 28.

Nec melius rem suam agunt ii, qui legem, qua addictus primum virgis caedendus erat, ab iisdem Graecis repetunt, hac sententia ducti: morem virgis aliquem caedendi a Decemviris apud Graecos fuisse quaesitum: legimus enim apud Livium (1), filias Bruti et alios, qui conjurationem inierant de regibus in Urbem recipiendis, virgis fuisse caesos ante, quam capite plecterentur (2). Praeterea lex nostra a Draconicis institutis toto coelo differt. Lycurgus enim nulla poena ipsum furtum affecerat; sed tum tantum, si in ipso delicto deprehenderentur fures, eos flagello puniendos jussit; neque vero propter furtum commissum; sed ob imprudentiam et defectum calliditatis (3).

Licet hoc sufficere videatur ad probandum, leges utriusque populi sibi prorsus esse alienas; tamen adjicere placet, servos, qui furtum manifestum commiserint, ex legibus Decemvirorum e rupe Tarpeja fuisse dejectos atque hoc supplicii genus ab antiquissimis temporibus Romae in usu fuisse (4). Furtum non manifestum dupli poena mulctatum fuisse per XII Tabulas constat, sed licet hanc quoque poenam illi Soloneam dicerent (5), id

(1) LIV. II. 5. — Vid. BOULAGE p. 24 sq.

(2) BOUCH. Vol. I. pag. 359.

(3) PLUT. in vita Lycurgi pag. 50. — ROLLIN Vol. III. pag. 356. 389 seqq. — GRON. Thesaur. Vol. V. pag. 2644.

(4) PLUT. in Romulo pag. 28. B et D. — DIONYS. VIII. pag. 546, coll. IV. pag. 258. — BOUCH. Vol. I. pag. 356, coll. pag. 362. — TERRAS. pag. 104.

(5) GAJUS Comm. 3. § 190. — CATO in Praefat. de Re Rust. — POTH. pag. 84 sq. — GELL. XI. cap. ult. — FEST. sub v. Nec. — GOTHOF. pag. 87.

quoque perperam fieri, cum ex XII Tabulis *omnia* furta non manifesta duplo punirentur, legibus vero Solonis poena dupli solummodo in *leviora* furta esset constituta (1) ac Solon omnino nullam differentiam admitteret poenae furti manifesti et nec manifesti (2) : praeterea poena dupli in furtum non apud Athenienses tantum; sed iterum apud Hebraeos in usu esset (3).

§. XLVII. Poena manifesti furti pariter afficiebatur furtum conceptum, hac lege XII Tabularum : « Si furtum lance licioque conceptum escit atque uti manifestum vindicator (4) ». Illius legis sententiam explicare nostrum est. Furtum *Conceptum* Romanis dicebatur, si apud aliquem, testibus praesentibus, furtiva res quaesita et inventa esset (5). Verba *lanx* et *licium* pertinent ad ritus, quibus olim furti requisitio fiebat. Igitur furtum hoc modo conceptum, i. e. *quaesitum* et *inventum* ut manifestum vindicabatur (6). Apud Athe-

— HEINECC. l. l. tit. 1. n° 12. — ANT. CONTIUS Subsec. Lectt. I. 2. — BOUCH. Vol. I. pag. 48. 395. sqq. — TERRAS. Part. II. § 3. pag. 106. — PETIT. VII. 5. pag. 634 sq.

(1) PETIT. VII. 5. n° 2.

(2) TERRAS. p. 105.

(3) Mos. II. 22, 4. 5. — DE PASTORET. Vol. IV. pag. 191 sq. — TERRAS. pag. 106. — CARPZOV. Part. II. Quaest. 77. n° 14.

(4) BACH. pag. 40 sq. — GOTHOF. l. l. pag. 86. — GELL. XI. 18. XVI. 10. — CROPP Part. II. pag. 135. — BOUCH. Vol. I. pag. 368. — HEINECC. l. l. tit. 1. § 13. pag. 623. — BURMANN ad *Petronii* Satyricon cap. 97. pag. 598. — POTH. p. 84. — BOULAGE p. 103 sq. 119 sq.

(5) § 4. Inst. de obl. quae ex delict. nasc. — GAJI Instit. II. 10. 3. Ejusd. Comm. IV. § 187. — PAUL. S. R. II. 31. 3. — HEINECC. l. l. tit. 1. § 15. — GIBBON interpr. *Warnkœnig* pag. 16. 113.

(6) JANUS A COSTA ad § 4 Inst. de oblig. quae ex delicto nasc. — HEINECC.

nienses vero non majori severitate, quam reliqua, coercebatur ita, ut poenae gravitas, ut in aliis furtis, penderet a rei furtivae pretio (1); quae lex Attica simillima est Mosaicae (2). Poena itaque in furtum conceptum in XII Tabulis sancita non ab Atheniensibus petita est.

Cum autem *poenam* furti concepti Atticam non fuisse concedant, ritus tamen, ad concipiendum furtum adhibitos Graecos esse adseverant.

Audiamus de his moribus Romanorum Festum Grammaticum (3), qui haec refert : « Lance et Licio dicebatur apud antiquos, quia qui furtum ibat quaerere in domo aliena, *licio* cinctus intrabat *lancemque* ante oculos tenebat propter matrumfamiliâs aut virginum praesentiam. » Quod confirmat Gaius (4) his verbis : « Prohibiti actio quadrupli ex edicto Praetoris introducta est; lex autem eo nomine nullam poenam constituit. Hoc solum praecepit, ut qui quaerere velit, nudus quaerat, linteo cinctus, lancem habens : qui si quid invenerit, jubet id lex furtum manifestum esse. Quid sit autem linteum? Quaesitum est. Sed verius est, consuti genus esse, quo necessarias partes tegerent. Quare lex tota ridicula

l. l. tit. 1. n° 22. — GAJI Comm. 3. § 191. — CROPP Part. II. pag. 135. — BOUCH. Vol. I. pag. 369. 385, coll. cum pag. 368. — GRUNDL. pag. 61. — TERRAS. Part. II. § 9. pag. 106 sq.

(1) PETIT. VII. tit. 9. n° 2. 9. p. 634 sq. 639.

(2) MOS. II. 22, 4.

(3) Sub v. Lanx pag. 199. De eadem re conf. POTH. pag. 84.

(4) Comm. III. § 192 sq.

est. Eo magis, quod ita quaesita res inventa majori poenae subjiciatur. Deinde quod lancem sive linteum habere jubeat, ut manibus occupantis nihil subjiciat, sive ideo, ut quod invenerit, ibi imponat, neutrum eorum procedit, si id, quod quaeratur, ejus magnitudinis aut naturae sit, ut neque subjici neque imponi possit. Certe non dubitatur, cujuscumque materiae sit ea Lanx, satis legi fieri. » Unde Gibbonus (p. 16) scribit : « Si un citoyen allait reclamer chez son voisin des effets volés, il avait les reins couverts d'un morceau de toile de lin et se cachait le visage avec un masque ou avec un bassin, de peur de rencontrer les yeux d'une matrone. » Hos autem eosdem ritus nonnulli apud Athenienses quoque observatos fuisse dicunt. Moris nempe fuisse, ut, qui furtivas res quaererent, nudi aedes alienas ingrederentur, ne quid sub vestibus clam occultarent, neve ex inimicitia quid quaerere se simularent dominoque damnum pararent (1).

Haec sententia praecipue nititur in loco Aristophanis (Nub. 496), ubi Socrates ita adloquitur Strepsiadem : ἴθι νῦν, κατάθου θοιμάτιον — (Jam, age, depone vestem), cui ille : ἠδίκηκά τι; (num quid mali commerui?); cui respondet Socrates : οὔκ. ἀλλὰ γυμνοὺς εἰσιέναι νομίζεται (minime; sed nudos ingredi solemne est) : ad quod Strepsiades : ἀλλ' οὐχὶ φωράσων ἔγωγ' εἰσέρχομαι (at non *furtum rimaturus* ego ingredior). Ex hoc

(1) HEINECC. lib. IV. tit. 1. § 18. — GIBB. interp. *Warnkœnig*, pag. 100. 113. — PETIT. l. l. tit. 5. n° 9. pag. 639. 640. — BOUCH. Vol. I. 391 sqq. — TERRAS. pag. 107.

igitur loco illi argumentantur (non *furtum rimaturus* ingredior).

Verum vox Φωρᾶν, ut placet plurimis, non significat *rem furtivam quaerere*, sed *ex aliquo loco aliquid auferre* (1): quod si verum sit, illa Aristophanis auctoritas nulla est. Graecos vero reliquos, quos adversarii nostri ad confirmandam rem laudare solent, cum Graeci essent atque multo post XII Tabularum tempora vixissent, parum curamus.

Ponamus tamen, veram esse hanc sententiam; quid inde efficitur? An forte furti conquisitores Athenienses erant *succincti licio*; an lancem habebant, ut apud Romanos? Non certe! Igitur ritus Graeci multum abest, ut essent Romani. Caeterum non negamus, Platonem vere dixisse (2) de iis, qui in domo aliena furtivas res quaererent, et *nudi* quaererent et χιτωνίσκῳ cincti. Ubi autem est similitudo inter χιτωνίσκον Graecorum et *Licium* Romanorum; quam ipse ille Heineccius (3) temere quaerit? Ubi tandem de *lance* loquitur Plato, qui Romae in usu erat? Praeterea Plato scripsit post Decemvirorum tempora (4): quo igitur pacto ex Platone erui potest, utrum Romana Athenas, an Graeca Romam migraverint? Denique philosophus ille non loquitur de legibus in Graecia usitatis, sed de iis, quas tanquam suas exponere in animo habuit (5).

(1) BOUCH. Vol. I. pag. 391.
(2) De Legibus XII. pag. 954, et Opera omnia Vol. IX. pag. 202.
(3) L. IV. tit. 1. § 17; idem ad Instit. § 1047.
(4) BOUCH. Vol. I. pag. 75.
(5) BOUCH. Vol. I. pag. 393. — HAUBOLD. ad *Heinecc.* Lib. IV. tit. 1. § 18. pag. 627.

Concedamus vero, ritus fuisse utrique populo communes; an eapropter Romani eos ab Atheniensibus acceperunt? Hoc ne simile quidem est vero. Si enim ejusmodi usum *introduxissent* Decemviri, illum, dico, quem Graeci habuissent, Romani non habuissent ante XII Tabulas, nonne is omni jure fuisset ridiculus, ut ipse fatetur Gaius (1)? Cum vero iidem ritus non solum apud Graecos, sed etiam apud alias et quidem Gothicas gentes, inveniantur (2), quae nec Graecos, nec Romanos noverant, sententia adversariorum magis infringitur. Accedit, ut de his ritibus Decemviri non tanquam a se *introductis* loquerentur, sed obiter modo, quasi rem omnibus ex longo usu cognitam tangerent, verbis: « *si furtum lance licioque conceptum escit atque uti manifestum vindicator.* » Omnino nemo hodie tam est rudis, ut ex similitudine legum et consuetudinum duorum populorum contendat, unum suas mutuasse ab altero (3), et recte haec scribit Cl. Warnkoenig (4): « Des rapports de similitude se trouvent entre toutes les législations des peuples dans l'enfance de leur civilisation. » Hodie etiam, licet jus Romanum nunquam in Anglia vim legis habuerit, tamen in ea re publica permultae sunt institutiones, quae Romanis legibus admodum similes sunt, ut *judicium juratorum* simile est quaestionibus perpetuis Romanorum, in quibus judices sumebantur ex diversis Ordinibus civium (5).

(1) Comm. III. § 192 sq. — GELL. XVI. 10. — HEINECC. l. l. tit. 1. § 16. 20 sq. — BOUCH. Vol. I. pag. 368 seqq.

(2) BOUCH. Vol. I. p. 394 sq. — LOCCENIUS Antt. Gothic. c. 6.

(3) DE PASTORET. Tom. IV. pag. 465.

(4) In GIBBONE pag. 100.

(5) MONTESQ. Esprit des lois Lib. XI. 18. — VANDERTON pag. 57 sq. —

§ XLVIII. De *fure nocturno* haec scripta sunt : « Si nox furtum faxit, sim aliquis occisit, jure caesus esto. » Fur itaque nocturnus impune occidi poterat (1). Idem denuo Solon dicitur sanxisse lege : *εἰ δέ τις νύκτωρ ὁτιοῦν κλέπτοι, τοῦτον ἐξεῖναι καὶ ἀποκτεῖναι, καὶ τρῶσαι διώκοντα* (2). Sed idem etiam Mosaicis legibus statuebatur (II. 22, 2. 3) : « Si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit homicidium perpetravit, et ipse morietur (3)».

Nemo etiam negaverit, legem ex ipsa natura esse petitam (4).

GIBB. pag. 83. 203. — HAUBOLD. Inst. jur. Rom. Dogm. § 99. pag. 56. — WINSS. pag. 101 sq. — NIEUP. Rituum, qui olim apud Rom. obtin. expl. p. 118. — HEINECC. lib. IV. tit. 18. § 13. — BACH. pag. 98 sq. — PIRMEZ pag. 26.

(1) BOUCH. Vol. I. pag. 345. 354. — CIC. pro Milone 3. — L. 4. § 1 Dig. ad leg. Aquil. — Lex 54. § 2. Dig. de furtis. — QUINTIL. Instit. Orat. V. 4. — GOTHOF. pag. 84. 164. — SENECA Controvers. X. cap. ult. — GELL. XI. cap. ult. — Coll. Leg. Roman. et Mos. VII. 3. — TERRAS. Part. II. § 4. pag. 104. — NOODT Probabil. I. 9, et Observ. I. 15. — BOULAGE p. 101.

(2) DEMOSTH. in Timocrat. pag. 463. — MACROB. Saturnalia I. 4. — Coll. Leg. Rom. et Mos. tit. 7. n° 1. pag. 218. — WARNKŒNIG (in *Gibbone*) pag. 100. — DEMOCRIT. apud *Stobaeum*, Serm. 42. — TERRAS. Part. II. § 3. pag. 104. — HEINECC. ad Inst. § 1060. — PETIT. VII. tit. 5. n° 3. pag. 635 sq. — BOUCH. Vol. I. pag. 345. — GRONOV. Thesaur. Graec. Ant. Vol. V. pag. 1392. — AUGUST. secund. Quaest. super Exod. — POTH. p. 84 sq.

(3) Vid. PASTORET T. IV. p. 193.

(4) GROT. de Jure Belli et Pacis I. 2. § 6. n° 10. II. 1. § 12. — DESMET De Legitima sui Defens. Lovan. 1824. pag. 13. 16 seqq., 23, praes. 51. — PUFFEND. De Off. Hom. et Civ. Lib. I. cap. 5. § 11. 17 sq. — ROMAGNOSI Genesi

Ex omnibus enim legibus naturalibus homo potest suae saluti consulere atque se defendere in caussa necessitatis contra aliorum aggressiones. Quid autem de hoc jure fieret, si non furem nocturnum occidere liceret. Ejusmodi enim fures vitae hominum plerumque insidiantur et nisi jus eos interficiendi concederetur, civium vita et salus in discrimen induceretur.

Rationem legis summa cum sagacitate exponit *De Pastoret* (Vol. IV. p. 193), his verbis : « La nuit, tout exigeait, que la personne attaquée trouvat en elle-même sa défense; tout la privait d'une assistance utile d'un secours étranger, dont la présence, dont la possibilité seule eut détourné peut-être les entreprises du mechant, et ce sommeil, cette absence, cette obscurité qui couvre le crime, pouvaient mettre en danger sa vie comme sa propriété : il s'armait pour la défendre, il frappait le brigand pour ne pas tomber sous ses coups (1). » Idem sentit cl. Bouchaldus (Vol. I. p. 114.) : « C'est en vertu d'une de ces lois, puisées au sein de la nature, et de

de diritto penale. Milan. 1823 , pag. 5 seqq. Vol. I. — FILANG. scienza della legislazione Lib. IV. cap. 29. — KANT Element. Metaph. jur. Natur. Introd. 2. — FICHTE Grundl. des Naturr. Tom. II. § 85. — GROS jus Natur. pag. 22 seqq. — GRATTENAUER Ueber die Nothwehr pag. 74. — SODEN Geist der peinlichen Gesetze Tom. II. pag. 156 seqq. — CIC. pro Milone 3. — L. 2. § 27, de vi et vi armata.

(1) CIC. pro Milone 3. — HEINECC. Ant. Rom. Lib. IV. tit. 1. n° 2. sq. — BOUCH. Vol. I. pag. 353. — SCHRŒDER Element. jur. Natur. et Gent. § 594. — PUTMANN De moder. inculp. tutel. (in Opusc. jur. Crim. pag. 115 seqq. Lips. 1789). — TERRAS. Part. II. § 4. pag. 104. — Annales de jurisprud. et legislat. Geneve 1821, p. 372 sq.

la droite raison, qu'il nous est permis, si un voleur nocturne met nos jours en peril, soit en nous attaquant à main armée, soit en nous tendant une piége.... d'avoir recours à tout moyens honnêtes de nous tirer d'embarras : en effet la nature elle-même est censée donner le droit de faire tout ce, sans quoi l'on ne peut obtenir une fin, qu'elle prescrit. » Ex ratione igitur omnibus communi cepit originem lex nostra, qua licet furem nocturnum occidere; unde facile patet, cur apud Hebraeos, Romanos et Athenienses eadem inveniatur; cur omnibus etiam legibus recentioribus sancita fuerit (1).

« Recte itaque Pastoretus (2) : « Le principe de la défense naturelle est antérieur à toute législation et reconnu par toutes. »

Male itaque Terrassonus (Part. II. § 4. p. 104) : « On ne peut pas douter, que notre texte des douze tables n'ait été pris des lois de Solon (3). »

De fure *diurno* hoc statutum est : « Se telo defensint, quiritato endoque plorato, post deinde si caesi escint, se fraude

(1) Cfr. Art. 329 Cod. Poenar. hod.

(2) Vol. IV. pag. 464. Vid. Div. AUGUST. in secund. Quaest. super. Exod. — SENECA Controv. X. Declam. 6.

(3) Cl. etiam BUCHALDUS secum manifeste pugnat (Vol. I. p. 112 seqq.) ubi contendit, ex similitudine legis Duodecim Tabb. cum Mosaica non posse concludi, Decemviros ab Hebraeis leges petiisse; quoniam, ait, jus occidendi furem nocturnum ipsa recta ratione et naturali defensione nititur; cum ipse (Vol. I. pag. 345. 347) ex similitudine ejusdem legis XII Tab. cum Attica demonstrare conatur, Romanos ab Atheniensibus leges accepisse.

esto. » Fur itaque diurnus, in regula, occidi non poterat, ut idem jure Mosaico obtinuit (II. 22, 2); si vero se telo defenderet, impune occidebatur, ea tamen lege, ut qui eum interempturus esset, *quiritaret prius endo*que *plo-raret*, id est, solennem illam formulam enunciaret: *Quirites vestram fidem*, vel: *Porro Quirites!* eoque clamore furem a se deprehensum esse testificaretur (1). Hujus legis nec forma nec verba in Solonis legibus occurrunt.

Eam vero Romanam esse posse, verbis Bouchaldi (2) dicamus: « Le propriétaire, dont on enlève le bien, et dont même on met la vie en danger, n'est plus obligé d'épargner le voleur. Le droit naturel permet à chacun de repousser la force par la force (3). »

§ XLIX. De *caesis arboribus alienis* : « Si quis injuria alienas arbores caesit, in singulas XXV aeris luito (4) ». Haec lex, cujus vestigia neutiquam in jure Attico inveniuntur, solis Romanis propria erat. Comparationem hujus legis cum lege

(1) BRISSON. De Form. 8. pag. 718. — RAEVARDUS ad Leges XII Tabb. cap. 3. — HEINECC. Antiq. Lib. IV. tit. 1. § 9. pag. 621. — Ad Instit. § 1047. TERRAS. Part. II. § 4. pag. 104 sqq. — BOUCH. Vol. I. pag. 363 seqq. 346.

(2) Vol. I. pag. 368.

(3) DEMOCR. apud *Stobaeum* pag. 42. — DESMET pag. 51 sq. — CIC. pro Milone 3. — GOTHOF. pag. 85 sq. — QUINTILIAN. V. 14.

(4) PLIN. Hist. Nat. XVIII. 1. — L. 1 Dig. arb. caes. — L. 28. § 6. Dig. de jur. jurand. — BACH. pag. 40 sq. — BOUCH. Vol. I. pag. 398 seqq. — TERRAS. Part. II. § 4. pag. 108 sq. — GIBB. interp. *Warnkœnig* pag. 73. — GOTHOF. pag. 87 sq. — GRUNDLER pag. 61. — POTH. pag. 85 sq. in Praef. — BOULAGE pag. 104 sq.

Cereali supra allata, hanc instituit Gibbonus (Vol. I. p. 73.): « Le dégât ou la destruction nocturne des bleds de son voisin était puni de mort; on suspendait le criminel, et on l'offrait à Cérès comme une victime, qui devait lui être agréable: mais les divinités des bois étaient moins implacables; l'extirpation de l'arbre le plus précieux n'entraînant qu'une amende de vingt-cinq livres de cuivre. » Legis autem ipsius ne vestigia quidem in jure Attico inveniuntur, ut fatentur omnes.

§ L. Huic jungamus sequentem: « Si pro jure damnum decisum escit, furti ne adorato (1). » Ratio hujus legis manifesta est. Furti persecutio erat privata et soli laeso dabatur: pacto autem cum fure inito, dominus juri suo actionem instituendi renuntiabat, ideoque eam exercere non amplius poterat (2). Atheniensibus lex erat, nostrae penitus contraria. Apud illos enim actio furti *publica* fuisse videtur et data cuivis e populo (3).

§ LI. De uxorum delictis, et potestate mariti de iisdem statuendi, deque adulterio cet. Apud Romanos, jam antiquissimis temporibus, duplex fuisse matrimonii genus constat, per *conventionem in manum* et *sine conventione in manum* (4).

(1) L. 7. § 14 Dig. de pact. — L. 17. § 1. ibidem. — L. 7 Dig. de cond. furt. — BOUCH. Vol. I. pag. 401 sq. — GOTHOF. pag. 88. — TERRAS. pag. 109. — BACH. pag. 40 sq. — GRUNDLER pag. 61. — POTH. pag. 86. — BOULAGE pag. 104.

(2) VANDERTON p. 84 sq. — WINSS. De Dolo p. 117 sq. coll. cum 101.

(3) PETIT. Lib. VII. tit. 2. pag. 631. — PLUT. in Solone pag. 88.

(4) HUGO hist. jur. Berolini, 1820, pag. 128 seqq. — ULPIANI fragm.

Convenire autem in manum uxor solebat vel *confarreatione* vel *coëmtione* vel *usu*; in quibus casibus uxor *materfamilias* dicebatur, quae vero nupta erat viro, quocum ei connubium erat, *solo consensu*, eadem non minus *pro justa uxore* habebatur, quin tamen *mater-familias*, sed ut *matrona* tantum diceretur (1).

Per conventionem in manum uxor a patria potestate solvebatur et in potestatem quasi patriam mariti conveniebat.

Unde, primo, uxor agnovit maritum ut *patrem suum atque dominum*, erat in ejus mancipio, pro filia habebatur illiusque heres esse potuit (2). Deinde, quidquid acquirebat

V. 3. — GAJI Instit. Comment. I. § 54. — GRUPENIUS De Uxore Rom. tum ea, quae in manum convenit, tum illa, quae *uxor tantum* habebatur. Hannoverae 1727, cap. 1. — BOUCH. Vol. I. pag. 622 seqq. — TERRAS. Part II. § 8. pag. 140. — PIRMEZ De Marito tori viol. vind. pag. 11 sq. — GIBB. pag. 44.

(1) GRUPEN. cap. 2. § 5 sq. — HEINECC. Ant. Rom. Lib. II. tit. 10 n° 1. pag. 125, coll. Lib. I. tit. 23. § 5. — GELL. XVIII. 6. — ARNOB. adv. Gentes IV. pag. 83. — CIC. in Top. III. 14. — SERV. ad *Virg*. Georg. I. 31. — GAJI Comment. I. § 108. — ULP. fragm. tit. 9. — CUJAC. Obs. VII. 2. — CREUZER pag. 57. — HOTMAN. De Veteri Ritu Nupt. cap. 2. 21. 22. — Thes. GRÆV. Tom. VIII. pag. 1128 sq. — BOUCH. Vol. I. pag. 623. — PIRMEZ pag. 12. — VANDENVELDEN De Educ. et Instit. Puer. Discip. apud Rom. pag. 37 (Ann. Acad. Gand. 1819-1820).

(2) GAJUS Comment. I. § 109. 114. 138. 141. — Coll. Legg. Rom. et Mos. XVI. 2. — GELL. IV. 3. XVIII. 6. — LIV. XLI. 8. — ULP. fragm. XIX. 18. — CIC. in Top. IV. 23. — TACIT. Ann. V. 1. — SCHULTING in jurisprud. ante-just. pag. 590. — L. 4. princ. Dig. de just. et jur. — *Gans* ad *Gajum* pag. 151. — VAN SWINDEREN Responsio ad Quaest. jur. pag.

uxor, marito acquirebatur. Omnia enim, quae ejus erant, viri fiebant dotis nomine. Unde illa testamentum facere nequibat; si vero facto jam testamento in manum mariti conveniret, testamentum rumpebatur, quoniam passa fuerat minimam capitis diminutionem (1). In cujus rei compensationem eadem habuit *jura sacrorum* mariti (2), quae jura ipsis adeo Romuli temporibus vigebant (3).

Haec mariti potestas repetenda est ex vita patriarchali, quam Romani ab Etruscis habuere. Moribus enim patriarchalibus paterfamilias solus voluntatem habebat, vi cujus ipse solus censebatur, pro omnibus sollicitus, omnes repraesentans, agens pro omnibus. Mulier et liberi in eo quasi continebantur, in eo solo *erant*, unica persona familiae, ad cujus totalitatem pertinebant, inseparabiles, inscii voluntatis propriae. Unde vir solus totius gentis erat rector et legumlator,

38 (Ann. Acad. Groning. 1820-1821.) — VAN LEYNDEN Specimen Interp. Jurisp. Tullianae in Top. expos. Leidae 1805. cap. 1. § 5. — VON SAVIGNY Ephem. juris doct. hist. Tom. II. pag. 158. Berol. 1816. — PIRMEZ pag. 13 seqq. — BOUCH. Vol. I. pag. 632 sq. — CREUZER p. 58 seqq.

(1) Coll. Leg. Rom. et Mos. tit. 16. § 2. — GAJI Instit. Comment. III. § 1-17, 112, et Comment. II. § 139. — VAN SWINDEREN pag. 36. 37 sq. — TERRAS. pag. 45 seqq. 140. — RANITZ in lege sacra Rom. de Nupt. pag. 3. Groningae 1816. — TACIT. Ann. IV. 16. — ULP. fragm. XI. 1. — BOUCH. Vol. II. pag. 135. — PIRMEZ pag. 14. — NOODT Prob. II. 9. p. 64. — WANNAAR De Divort. et Repud. pag. 34. 35 (Ann. Acad. Gand. 1818-1819). — NOUGAREDE hist. des lois sur les mariages et les divorces cap. 1. — DORN-SEIFFEN Spec. jus foeminarum sistens. Ultraj. 1818, cap. 1. § 6.

(2) L. 1 Dig. De ritu nupt.

(3) Teste DIONYS. II. 25. p. 95 sqq. — Cfr. TERRAS. p. 12. — CREUZER pag. 62.

qui pro voluntate sua familiam moderabatur ut familiae dominus (οἰκο - δεσπότης). Haec vera est origo legum Romanarum de mariti potestate, apud omnes gentes vetustas vigente. Ex hac peraeque potestate jus maritam puniendi competiit marito.

De quo licet nihil inveniatur in legibus XII Tabb., quae quidem ad nos pervenerunt, tamen ipsummet in iis involucre erat, nisi ipsis legibus, nunc perditis, contineretur. Dionysius enim narrat (1) : « Mulierem, quae deliquisset, judicem laesum habuisse, poenaeque magnitudinis arbitrum; de eo vero cognovisse maritum cum cognatis, si adulterium commisisset vel vinum bibisset; *Romulum* enim hoc utrumque ut muliebrium delictorum gravissimum puniri jussisse, quia stuprum desperatae audaciae, ebrietatem vero stupri originem esse judicaverit ». Idem jus post XII Tabb. fuisse observatum, tempore M. Catonis JCti, saeculo sexto post Urb. cond., refert Gellius (2), his verbis : « Vir, quum divortium fecit, mulieri judex pro Censore est. Imperium quod videtur habet. Si quid perverse tetreque factum est a muliere, multatur; si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur ». Et eodem fere tempore : « mulieres a cognatis et *iis*, quorum *in manu erant*, ob Bacchanalia nocturna punitas, alias a propinquis, ob maritos veneno necatos, jure strangulatas esse, ex Livio et Valerio Maximo novimus (3) ».

(1) Lib. II. cap. 25. pag. 95. lin. 8.

(2) Noct. Att. X. 23.

(3) Liv. XXXIX. 18. — Val. Max. VI. 3. § 7. sq.

Mulieres igitur totae erant in potestate mariti et cognatorum ab iisque potuerunt, judicio habito, puniri non solum in casu adulterii, sed etiam ob alia delicta. Haec potestas non tantum *ante* legem XII fuit, verum multo etiam serius integra mansit; ut patet tum ex auctoribus jam allatis, tum aliorum scriptorum testimoniis (1).

Cum autem in legibus XII Tab. de jure patris puniendi et vendendi filium, tamquam in jure patriae potestatis fundato; porro de causis divortii, de modo veniendi in manum *per usucapionem*, et in eadem tabula de jure patrio jureque connubii sermo fuerit; sine dubio pariter de jure puniendi uxorem, quae in manum convenit, in potestate quasi patria mariti contento, in iisdem Tabulis agebatur (2). Illius autem juris puniendi fundamentum erat potestas, quam acquirebat maritus matrimonio per conventionem in manum; quin tamen hac potestate jus vitae et necis habuisse videatur in uxorem, excepto casu adulterii et ebrietatis (3): quapropter

(1) Suet. in Tib. cap. 35. — Taciti Ann. II. 50. XIII. 22. — Plin. Hist. Natur. XIV. 13. — Liv. XXXIX. 18. — Val. Max. VI. 3. 8. — Pirmez pag. 11. — Bouch. Vol. I. pag. 633. 660. 664. — Gibb. pag. 44. 45.

(2) Gothof. pag. 91. 107. 166. 171. — Gaji Comment. I. § 111. — Pirmez pag. 18. — Bouch. Vol. I. pag. 89. — Winss. pag. 97.

(3) Gell. X. 23. — Val. Max. VII. 3. 9. — Dionys. II. 25. pag. 95. — Grupenius De Uxor. Rom. pag. 51. — Heinecc. Lib. I. tit. 10. § 6. — Plin. Hist. Nat. XIV. 13. 14. — Ranitz De Lege sacra Romul. pag. 9. — Pirmez pag. 29 seqq. — Cujac. Observ. VI. 6-25. — Dorn-Seiffen pag. 7. — Van Lynden pag. 30. — Bouch. Vol. I. pag. 633. — Hoffmann Hist. jur. Rom. Lips. 1726. Vol. II. Part. I. pag. 23. — Cropp Part. II. pag. 124 sq. — Bonamy pag. 72. — Terras. pag. 49 sq. — Arnobius advers.

rite mihi scripsisse Gibbonus videtur (p. 451) : « Le mari approuvait, censurait, punissait la conduite de sa femme d'après sa volonté, ou plutôt son caprice, il exerçait un droit de vie et de mort applicable aux cas d'adultère et d'ivrognerie » ad quem locum notat Warnkoenigius (p. 137): « C'était assez d'avoir gouté du vin ou d'avoir dérobé la clef du cellier ».

Hoc autem jus apud Athenienses non observabatur : imo ebrietas mulieris ab iis tanquam levissimum peccatum considerabatur, ut te docet Dionysius (II. p. 95 sqq.). Non magis marito jus concedebatur uxorem domestico judicio puniendi; et hoc ne in causa quidem adulterii. Omnino uxor in manum (i. e. in potestatem) mariti non conveniebat : unde sublato fundamento legis lex ipsa esse nequibat; ex qua re magnum utriusque populi discrimen fuisse constat (1).

Pariter ex legibus Romuli, quae deinde in XII Tabb. translatae sunt, maritus, qui uxorem suam in adulterio deprehendebat, ipsam statim cum socio criminis impune occidere potuit (2).

Gentes V. 99. — Tertull. advers. Gentes cap. 6. — Wannaar De Divort. et Repud. pag. 36. — Creuzer p. 58. — Vanderton p. 56. — Vandenvelde pag. 37. — Liv. I. 8. — Tacitus De Mor. Germ. cap. 19. — Deferr. ad lib. IV. tit. 18 Institut. § 4. Vol. VI. pag. 377.

(1) Chateaubriand Genie du Christian. Bruxelles 1820. Vol. I. pag. 112.

(2) Val. Max. VI. 3. § 9. 14, coll. cum fragment. Leg. Regiae apud Brisson. De Form. II. 27. pag. 144. in fine. — Gell. X. 23. — Dionys. II. 25. — Plut. in Rom. cap. 22. Tom. I. pag. 77. — Terras. Part. I. § 7. pag. 49. — Cropp Part. II. pag. 125. — Gunther pag. 17. — Cujac. Observ. VI. 25. — Bouch. Vol. I. pag. 78. — Pirmez pag. 10. 32 sqq.

Ex legibus autem Solonis marito *adulterum* quidem, in turpitudine deprehensum, occidere licuit; sed an idem ipsi jus fuisset in *adulteram uxorem*, ita dubium est, ut scriptorum saltem testimoniis effici nequeat (1). Sicut igitur Atheniensium jura, de hac re constituta, cum Romanis tabulis non quadrabant, ita cum Spartanis quoque legibus minime congruebant. Spartae enim crimen adulterii ne audiebatur quidem, ut facile inde concludas, apud eos idem omnino non commissum fuisse, ideoque nullam etiam poenam in illud constitutam (2) — nisi potius dixerim, adulterium, certis casibus, ipsamet lege fuisse *permissum*; quos casus et quam legem nemo ignorat.

— BALDUINUS ad Romuli Legem 15 et 16 (in HEINECC. Thes. Vol. III. pag. 42 seqq). — PRATEJ. ad Romul. Legem 25 (in Thesaur. OTTONIS, Tom. IV. p. 434).

(1) PLUT. in Solone pag. 91, coll. p. 90. F. cap. 23. — LYSIAS De caede Eratosthenis Vol. V. pag. 48. — BOSIUS pag. 210. — MEURSIUS Them. Attic. I. 4. pag. 9 seqq. qui tamen errat ibidem capit. 5. pag. 12. — WANNAAR p. 25. — BONAMY pag. 73. 74. — CARPZOV. p. 295. n° 20. — PIRMEZ pag. 9 sq. — PETIT. L. VI. tit. 4. n° 1 sq. pag. 562 sq. — LUCIAN. De Eunucho cap. 10. — TERRAS. pag. 16 sqq. coll. cum BARTHEL. Vol. I. pag. 77.

(2) PLUT. in vita Lycurg. pag. 49. D. — GRONOVII Thesaur. Vol. V. pag. 2614. — CARPZOV. Part. II. Quaest. 51. n° 22.

CAPUT SEXTUM.

Explicatis omnibus legibus, quae ad jus publicum pertinent; videamus, quid in *jure sacro* fuerit constitutum.

§ LII. « Jurisjurandi ad stringendam fidem maxima vis esto (1)»; de qua lege haec scribit Cicero (2):« Nullum vinculum adadstringendam fidem jurejurando majores arctius voluerunt. Id indicant leges in XII Tabulis : indicant sacratae: indicant foedera, quibus etiam cum hoste devincitur fides ». Clarum igitur est, jam ante XII Tabb. legibus sacratis sacrosanctam fuisse jurisjurandi fidem delaratam eamque ab ipsis temporibus Numae repetendam esse, communi scriptorum sententia constat. Nam, teste Dionysio (II. p. 134.), rex ille lege decrevit, ut in litibus, quae de conventionibus, sine testibus initis, orientur, a fide et jurejurando unius litigantium caussa penderet atque in caussis dubiis judices eodem medio uterentur ad sententiam ferendam (3). Unde idem rex Fidem Romanis maximum jusjurandum constituit (4), Fideique numen me-

(1) BOUCH. Vol. II. pag. 232. — GOTHOF. pag. 133 sq. — GELL. VII. 18. — TERRASS. Part. II. § 12. pag. 181. — TERTULLIANUS Apol. cap. 28. — POTH. pag. 147. — BOULAGE pag. 214. 220.

(2) De Officiis III. 31.

(3) BONAMY pag. 33.

(4) PLUT. in Numa pag. 70. — BOUCH. Vol. I. pag. 85. 87. — DIONYS. II. 21.

tuendum esse voluit. Hanc sententiam confirmat fragmentum Scholiastae veteris (1) ubi « Numa Pompilius, cum sacra Romanis conderet, voto impetrasse, legitur, ut omnes dii falsum juramentum vindicarent (2) ». In eandem sententiam discedit Gellius (3), qui jusjurandum apud Romanos inviolate sancteque habitum servatumque scribit; quod *moribus* legibusque multis ostendatur. Huc pertinet locus etiam Livii (4) ; « Ea pietate omnium pectora imbuerat Numa, ut fides ac jusjurandum proximo legum ac poenarum metu civitatem regerent ». Non igitur errare videtur, si quis jurisjurandi religionem ex ipsis Urbis incunabulis arcessendam esse atque moribus, qui tempore regum obtinuerant, confirmatam, inque XII Tabb. deinceps receptam crediderit; eo magis, quod apud Graecos ea religio nunquam tanta inveniebatur, seu saltem nunquam lege statuta (5).

§ LIII. « Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito (6) ». Non igitur licebat, mortuum intra urbem sepelire aut urere, non solum propter ignis periculum, ut credunt, sed ne funestarentur sacra civitatis, i. e. ne sanctum

(1) Ad. *Virg.* Aeneid. XII. 234.

(2) CASP. BARTHIUS, Advers. Lib. XXXIII. cap. 13. pag. 1528. — BACH. pag. 12.

(3) Noctes Att. VII. 18.

(4) L. I. c. 20.

(5) GUNTHER pag. 21. — PLIN. Hist. Nat. XIV. 12. — BOUCH. Vol. II. pag. 232 sq. — BACH. Hist. jur. pag. 12. — GIBB. pag. 65.

(6) CIC. De Legg. II. 23. — TERRAS. Part. II. § 12. pag. 184. — BOUCH. Vol. II. pag. 239 seqq. — GOTHOF. pag. 133. — BACH. Hist. juris pag. 66. — GRUNDL. l. l. pag. 52.

municipiorum jus pollueretur (1); quapropter in lege sexta codicis Theodosiani, de sepulturis violatis, dicitur : *mortuos extra urbem esse sepeliendos, ut relinquant incolarum domicilii sanctitatem* (2).

Credebant enim Romani, mortui cadavere pollui locorum sanctitatem et homines, qui ea tangerent, immundos fieri. Quae eadem lex apud Athenienses quoque observabatur : unde mirum non est, quod eam a Decemviris inde petitam asserat Clar. Bouchaldus (3) : « Quant a l'origine de notre loi decemvirale, il n'en faut point chercher d'autre, que les lois de Solon, de qui les Romains empruntèrent une infinité de choses, et surtout ce qui concerne les funérailles, ainsi que l'atteste Cicéron en plusieurs endroits (de legibus II, cap. 23, 25). Or Tite Live (XXXI. 26. 30) et une épitre de Servius Sulpicius (Cic. Epist. ad Fam. IV. 12.) à Cicéron, nous apprennent, que les Athéniens observaient fort réligieusement d'enterrer les morts hors des murs de la ville. Le premier après avoir raconté, que Philippe, qui faisait le siège d'Athènes, fut repoussé, ajoute « omissa oppugnatione urbis, diviso cum Philocle rursus exercitu, ad vastandos agros profectus, cum priorem populationem sepulcris *circa urbem* diruendis exercuisset, ne quid inviolatum relinqueret, templa deûm, quae pagatim sacrata habebant, dirui

(1) Pauli S. R. Lib. I. tit. 21. § 2. L. 12 Cod. de religiosis. — Deghewiet Inst. du droit Belg. Tom. I. Part. II. tit. 1. § 5. Art. 5. p. 128. — Poth. pag. 147 sq. — Boulage pag. 214 sq.

(2) Virgil. Aen. VI. 150.

(3) Vol. II. pag. 244.

atque incendi jussit »... Cet historien fait tenir le même langage aux ambassadeurs d'Athènes, dans les plaintes qu'ils portèrent a Rome contre Philippe. Servius Sulpitius écrit a Ciceron, que M. Marcellus ayant été tué de deux coups de poignard par P. Magius Cilo, il ne put obtenir des Athéniens, qu'il fut enterré dans l'enceinte de leur ville. Ab Atheniensibus, ce sont les propres termes de Sulpitius, locum sepulturae intra urbem ut darent, impetrare non potui; quod religione se impediri dicerent; neque tamen id antea cuiquam concesserant ». Idem (pag. 242) jam dixerat: « Chez les Grecs nous voyons qu'Homère place les tombeaux d'Elpenor, de Patrocle, d'Achille et d'autres héros, soit sur un rivage, soit au pied d'une montagne (1) ».

Negari certo quidem nequit, consuetudinem mortuos extra urbem sepeliendi, apud Athenienses fuisse receptam (2), nec omnino hoc negare in animo est. Sed negamus, Romanos eam ab Atheniensibus accepisse. Nam apud Hebraeos quoque, quorum lege non solum homo, qui cadaver tangebat, immundus erat, sed etiam locus ipse, ubi humabatur mortuus (3), nunquam intra urbis moenia sepeliebantur mor-

(1) ODYSS. XII. 11. XXIV. 82. — ILIAD. XXIII. 125 seqq. — Vid. Fragm. Menandr. apud JOAN. CLERICUM pag. 370 sq. 376 sq. — RUTGERSIUS Variae Lectt. Lib. XIV. 12. pag. 361 sq. — PETIT. Lib. VI. tit. 8. pag. 495. — CREUZER pag. 374.

(2) BOSIUS pag. 263. — CIC. ad Familiares IV, 12. § 9. — LIVIUS XXXI. 4. — KIRCHMANNUS II, 20. pag. 265. — BRUNINGS pag. 317. — EURIPID. Iphig. in Taur. v. 380. — LUCIAN. De Dea Syria, pag. 682. — ISIDORUS Origin. XIV. 11. — TERRASS. Part. II. § 12. pag. 184.

(3) IV. Mos. 19, 11 sq. — PASTORET Vol. IV. pag. 351.

tui (1). Eadem consuetudo erat antiquissima lege introducta apud Sicyonios, teste Plutarcho (in Arato p. 1051); item apud Syracusios (2), Smyrnaeos (3), Corinthios (4) et Delios (5); igitur non erat solis Atheniensibus propria et ab ipsis repetita; sed apud omnes totius antiquitatis gentes, praesertim orientales, necessario orta. Accedit, ut Romani eadem uterentur *ante* XII Tabb. legislationem; Numa enim primus intra urbem sepultus est, capite tamen regis in monte Janiculo condito (6).

Nemo tamen nescit, tempore Numae Janiculum montem nondum partem Urbis fuisse; hunc enim montem ab Anco Marcio Urbi esse adjectum scribitur (7). Servium Tullium regem *extra* urbem humatum fuisse, ex testimonio Dionysii (8) patet. Deinde a Cicerone (9) docemur, ante XII Tabb. Val. Publicolam et Posth. Tubertum *in* Urbe fuisse sepultos; quo honore illorum virorum egregia virtus remuneraretur.

(1) GENESIS XXIII. 11, 19. c. XXV. 9. — XXXV. 16, 19-49, vers. 30, 31 sq. — XL. 13. — *Deuter*. XXXIV. 5, 6. — *Josua* XXIV. 29. 30. — *Judic*. XII. 15. — I *Macchabaeor*. II, 70. IX. 19. — CHRYSOST. De Fid. ac Leg. — AUGUSTIN. Epist. 64. — GREGOR. II. 1. — BOUCH. Vol. II. p. 242.

(2) CIC. Tusc. Disp. V. 23.

(3) Idem pro Flacco cap. 31.

(4) PAUSANIAS Corinthiac. II. pag. 88.

(5) STRABO Geogr. X. pag. 486. — BOUCHAUD Vol. II. pag. 243.

(6) PLUTARCH. Numa p. 74. — PLIN. H. N. XIII. 13. — DIONYS. II. 22.

(7) LIVIUS I. 33, 34. — DIONYS. III. 14.

(8) Lib. IV. pag. 243. — BOUCHAUD Vol. II. p. 245.

(9) De Legg. II. 23.

Unde probari videtur, id in genere lege fuisse prohibitum (1).

Si igitur haec lex *ante* Decemviros esset, ut Bouchaldus quoque fatetur (II. p. 245); quomodo idem (p. 244, coll. I. p. 69 sq.) dicere potuit, Romanos eam ex Solonis institutis desumsisse? Praeterea lex nostra non solummodo ex opinione Romanorum « *loca, in quibus mortuus humaretur, pollui* » explicari potest; sed etiam ex rebus et tempestatibus illius aetatis. Cum enim paullo ante XII Tabulas pestis in civitate Romana grassaretur, certe naturale erat, huic malo occurrere prohibitione, ne cadavera in Urbe sepelirentur, ne pestis illorum putredine augeretur.

Nec tamen haec sola hujus legis causa fuit; sed alia, eaque multo gravior, ex religione vetustissima repetita, qua adducta quisque videbit, legem, i. e. morem hunc sacrum Romana tempora multum antecessisse. Jam enim supra diximus: Romanos primis temporibus, et ab Etruscis acceptum, habuisse cultum naturalem, Ignis, seu *Sabaeismum*. Ignis autem cultores deum suum, divinum numen Ignis pollui, credebant injectis in ignem cadaveribus: unde corporis quoque humani inhumationem (*homo* enim ex *humo* desumtus humo restitui debuit) cum natura convenientiorem habuerunt: qui mos, praeter orientales, Graecis et praecipue Romanis maxime placuit (2), eapropter ab *utroque* populo re-

(1) CREUZER pag. 373 sq. — HEINECC. Lib. II. tit. 1. § 18.

(2) Vid. HEROD. III. 16. — BRISSON. De Regn. Persar. II. pag. 285. — XENOPH. Cyrop. VIII. 7, 25. — CICER. De Legg. II. 22 — locos, a clar.

ceptus. De Spartanis vero, nemo nescit eos diverso jure usos fuisse : nam ex Lycurgi legibus in urbe mortuos sepelire licebat : qua re legumlator assuefacere juvenes voluit ad mortem coram intuendam (1).

§ LIV. Circa sumtus funerales hoc statuerunt XII Tabulae : « Sumtus et luctus a deorum manium jure removeto » : « hoc plus ne facito , rogum ascia ne polito (2) ». Hanc legem fuisse translatam de Solonis legibus, sequi videtur e loco Ciceronis (3), cujus auctoritate utitur Valeriani (4) ad defendendam traditionem Livii. Nos vero illud plane negamus, his rationibus ducti : I Cicero (5) quasdam quidem leges XII Tabularum de funeris sumtibus minuendis ex

BOETTIGERO laudatos (in : Ideen zur Kunstmythologie. I Cursus.) quem lege p. 32-40.

(1) PLUTARCH. in Lycurgo pag. 56. B. — BRUNINGS pag. 318. — BOSIUS pag. 263. — GRONOVII Thes. Vol. V. pag. 2594. — BARTHEL. Vol. IV. pag. 162. — BOUCH. Vol. I. pag. 48. II. pag. 244. Morem ceterum cadavera *comburendi* ut apud Graecos, ita, jam Numae tempore, pariter apud Romanos fuisse usitatum, te docebunt : — BOSIUS pag. 261. — PAUSANIAS Corinth. VII. pag. 126. — PLUTARCH. Numa pag. 74. — PLINIUS Hist. Nat. XIV. 12 col. II. 54. — FEST. v. Occisum. — DIONYS. X. 10. Nos de eadem re mox dicemus.

(2) BACH. Hist. jur. pag. 66 sq. — TERRAS. Part. II. § 185 sq. — BOUCH. Vol. II. pag. 257 seqq. — GOTHOF. pag. 133 sq. — GRUNDLER pag. 52 sq. — POTH. pag. 149. 150. — BOULAGE pag. 215.

(3) De Legg. II. 23. 25.

(4) L. l. pag. 101. — BOUCH. Vol. II. pag. 259. — TERRAS. Part. II. § 12. pag. 185 sq. — GOTHOF. pag. 183 sq. — BERRIAT-ST. PRIX Them. Tom. IV. pag. 308.

(5) De Legg. II. 23.

Solonis institutis desumtas dicit : sed hoc non affirmat de lege, de qua hic sermo est; II Etiamsi Cicero illud dixisset, omnino tamen negaremus; nullibi enim lex Solonis reperitur, quae cum hac nostra « *rogum ascia ne polito* » congruat ; neque omnino apud Athenienses *rogum ascia exornare* vetitum erat (1). Nam prohibuerat quidem Solon, ne SEPULCRUM *opere tectorio* exornaretur (2); verum, ut optime observat Bouchaldus, (II. 264), in lege XII Tabb., de qua hic agitur, non sermo est de *sepulcro*, sed de *rogo*; cum tamen apud Romanos *sepulcrum* sub ascia dedicare liceret (3).

Manifestum igitur est, et Ciceronem et alios confudisse *sepulcrum* Solonis cum *rogo* Romanorum; III Leges quibus sumtus minuerentur in sacris et funeribus, jam tulerat Numa (4). Decemviri igitur non peregrina, sed instituta Numae Romana sequebantur; IV Romanorum mores severi illius temporis suapte sponte a luxu et sumtibus faciendis, quae res in ludentem levitatem Graecorum satis bene convenire potuit Pericleam, omnino abhorrebant.

Nihil praeterea magis naturale est, quam reprimere sum-

(1) BOSIUS pag. 261. — KIRCHMANNUS De Funeribus Roman. 3 sqq.

(2) CIC. De Legib. II. 26. — PETIT. Lib. VI. tit. 8. n° 2. pag. 596. — TERRAS. Part. II. § 12. pag. 186.

(3) FABRETTI Inscr. p. 205. — PH. DE LA TORRE, Mon. veter. Antii. p. 22. 336.

(4) CIC. De Rep. II. 14, ibique *Majus*.— PLIN. Hist. Nat. XIV. 12. — PLUT. in Numa, pag. 70. — TERRAS. p. 13. — BOUCH. Vol. II. pag. 291 sq. — BACH. l. l. pag. 10. 11. — GUNTHER pag. 22.

tus immodicos; quae res apud omnes omnino populos antiquitatis, sigillatim apud pauperes et bellicosos Romanos, non minus apud Hebraeos (1), obtinere debuit.

V. Si tamen aliquid Ciceronis testimonio concedendum sit, haec tenenda sunt: *primum*, illam legem *sumtuariam* tantum fuisse; non igitur ad *constituendam* civitatem pertinuisse; igitur absque damno ingenii popularis, ut *arma* fere et *insignia*, potuisse ab aliis mutuari. *Deinde* nec tamen hoc ullo pacto Ciceroni concedendum esse; sed ita potius hanc legem interpretandam ac si lata fuerit propter eos, qui mortuos suos *comburerent*, nec tamen in universos. Lex enim: *Rogum ascia ne polito* ad *comburendos* mortuos pertinet. Cum autem in iisdem XII Tabularum legibus et de *sepeliendis* et de *comburendis* mortuis sermo sit (quae res plane singularis esse videtur); inter utrumque mortuos condendi genus adcurate distinguendum est. Scimus enim, Romanos duxisse originem suam non ex una gente, sed fuisse conflatos ex pluribus. Etruscorum quoque varias stirpes in variis religionibus quamvis excelluisse, aliam vaticinationibus, aliam auguriis ex fulgure, aliam iisdem ex avibus petitis: non etiam ignoramus, Sabinos, veros Etruscos, regnante Romulo, cum Tatio rege Romam fuisse arcessitos. *Sabinos* vero (ut Numa probat) veros fuisse *Sabaeismi* sectatores, seu cultores *ignis*; igitur eos, qui *comburere* mortuos non potuissent. Inde sequitur, alias GENTES *sepelivisse* mortuos, alias, et eas non minus Romanas, comburere soluisse; quae res denuo cum

(1) *Levit.* XIX. 19. — *Deuter.* XXII. 11. 12. — *Numer.* XV. 38. — De Pastoret. Vol. IV. pag. 56.

PRIVATIS *sacris* cohaerebat. Si quid igitur concesserimus, hoc erit, legem hanc fuisse *singularem*, pro singulis Gentibus datam, non vero universalem, et tamen vere Romanam, quia aliae gentes cum Graecis, aliae cum Etruscis magis fuissent cognatae.

Quae sententia confirmatur etiam Amm. Marcellini testimonio, quod ab ipso ex antiquissimo fonte haustum (1) esse videtur: « Julianus, ille ait, temperantiam sibi ipse indixit atque retinuit, ut tanquam adstrictus sumtuariis legibus viveret. Quas ex *Rhetris Lycurgi* et Axonibus Romam translatas diuque observatas et senescentes paullatim reparavit Sylla Dictator (2). » Sunt enim hae res *vetustae*, sed *habitu* recentioris temporis indutae, quas forte nec Ammianus ille, nec Bouchaldus noster plane intellexit.

§ LV. Altera lex, aeque sumtuaria, haec habet : « Tribus riciniis et tibicinibus efferre jus esto (3). » De qua lege haec profert Bouchaldus (4) : « Il est constant, que les femmes, dans les tems de deuil, se dépouillaient de leurs habits somptueux et de tous leurs ornemens et prenaient, suivant Varron (5), ces *ricinia* : mais elles ne les portaient que dans l'in-

(1) Lib. XVI. 5.

(2) BOUCH. Vol. I. pag. 56 sq. — GOTHOF. pag. 63.

(3) BACH. pag. 66 sq. 67. — GOTHOF. pag. 134. — BOUCH. Vol. II. pag. 265. — GUNTHER pag. 52 sq. — TERRAS. Part. II. § 12. pag. 187 sq. — POTH. pag. 150 sq. — BOULAGE pag. 215.

(4) Vol. II. pag. 266.

(5) Lib. I. De vit. pop. Rom. apud *Nonnium* Marc. sub. verb. *Ricinium* cap. 14, de gen. vest. pag. 542.

térieur de leurs maisons, et pendant les sept jours, qui précédaient le convoi; le huitième, elles les déposaient sur le lit funèbre, pour être brûlés ou enterrés avec le cadavre, et se revêtaient de simarres (1) d'un gris tanné, avec lequelles elles accompagnoient le convoi. L'esprit de la loi des douze Tables était donc de borner à cet égard les frais funéraires et de défendre, qu'on brûlât, ou qu'on enterrât avec le mort plus de trois *Ricinia.* »

Ex sententia igitur Bouchaldi lege XII Tabb. prohibebatur, ne plus, quam tria Ricinia, cum mortuo humarentur et tantum decem tibicines cantu lugubri aliis praeirent, ad majorem movendam tristitiam (2). Quam interpretationem Terrassonus quoque admittit (p. 188). Sunt, qui hanc quoque legem ex Solonis institutis tralatam fuisse asserant, testimonio Ciceronis ducti (De Legg. II. 25.), ubi haec legimus : « Postquam sumtuosa fieri funera et lamentabilia coepissent, Solonis lege sublata sunt. Quam legem iisdem prope verbis nostri Decemviri in decimam tabulam conjecerunt : nam de tribus *Riciniis*, et pleraque alia, Solonis sunt. » Revera Solon hanc legem tulisse videtur : μὴ συντιθέναι πλέον ἱματίων τριῶν (3); quin tamen eapropter dici possit, Decemviros eam

(1) VARRO III. De vita pop. Rom. vv. *Pullus Color*; cap. 15 De gener. vest. pag. 549, apud *Nonn.* Marcellum.

(2) Evang. MATH. IX. 23. MACROB. in Somn. Scipionis II. 3. — OVIDIUS Fast. VI. v. 157 seq. — BOUCH. pag. 266 sq. 267. Vol. II. — JUST. LIPSIUS XIV. 7. — GRAVINA ad XII Tab. cap. 78. pag. 193.

(3) PLUT. in Solon. pag. 90. B. — PETIT. Lib. VI. tit. 8. n° 8. pag. 600. — GRONOVII Thesaur. Vol. V. pag. 2029. — POTH. pag. 151.

ab Atheniensibus accepisse. Nam I Leges Romanae et Atticae de ea re latae non sunt eaedem : nam ex lege Decemvirorum DECEM *tibicines*, neque vero plures, funeri adesse poterant ; ex lege vero Solonis numerus eorum nullo modo circumscribebatur (1); II De riciniis quidem verum est, Solonem prohibuisse, ne plures tribus *vestes* cum mortuo humarentur : verum primum omnino non constat, ullam fuisse similitudinem inter illas vestes (*ἱμάτια*) Graecorum et Romanorum *Ricinia*, quae proprium vestium genus fuisse videntur. Deinde aeque incertum est, quid lex XII Tabb. constituerit de Riciniis ; unde aeque dubium est, an Decemviri idem ea lege voluissent, quod a Solone erat perscriptum? Cicero enim *loquitur* tantum de tribus riciniis, quin addat, quid proprie de iis fuisset statutum.

Unde de sensu legis scriptores non pauci disputarunt, quin verum expiscarentur. Sic Turnebus (2) opinatur, legis sensum hunc fuisse : *tres solummodo mulieres*, *riciniis indutae*, *funus comitantor*. Quodsi verum sit, non minus constat, nullam fuisse similitudinem inter Romanam et Atticam legem; III In lege nostra sermo est de *vinculis purpurae*, de quibus ne verbum quidem in legibus Solonis invenitur; quae certe omissio parum probat peregrinam legis originem; IV Etiamsi vero concesserimus, legem de tribus riciniis jam in lege Solonis inveniri ; nihil inde sequeretur ; quoniam, ut jam probavimus, haec lex sumtuaria jam Numae temporibus viguit, qui

(1) BOSIUS pag. 260. — LUCIANUS De Luctu pag. 305. — SPENCERUS De Leg. Hebr. Rit. pag. 1135. — CREUZER pag. 368 sq.

(2) In notis ad CIC. De Legibus II. 23. — BOUCH. Vol. II. pag. 266.

non pauca statuit de sumtibus a funere amovendis. Denique V, res eadem ex ingenio quoque Romanorum et moribus severis illius temporis facile explicatur atque plane naturalis est et omnibus gentibus communis, ut in Hebraeis quoque cernitur.

Quod attinet ad Lycurgum, ille quoque non sanxerat eandem legem, ut ex Plutarcho efficitur (1). Ille enim omnino prohibuit, ne quicquam cum corpore mortuo conderetur, sed ut puniceo tantum amiculo et foliis oleaginis cadaver involveretur.

§ LVI. De luctu haec prostant : « Mulieres genas ne raduntο; neve lessum funeris ergo habento (2) ».

In funeribus nimirum mulieres caput cineribus spargere, pectora manibus plangere, genasque lacerare solebant et ejulatus edere lugubres : quae consuetudo non solum apud Romanos et Graecos (3); sed etiam apud vetustissimos patriarchas, et exinde apud Hebraeos (4) in usu fuit atque Ægyp-

(1) In Lycurgo pag. 56. — GRONOVII Thes. Vol. V. p. 2596.

(2) CIC. De Legg. II. 23. 25. — *Tusculanae* Disp. II. 21. — PLIN. Hist. Natur. XI. 37. — FEST. sub v. *Raderc*. — SERV. ad Aeneid. XII. 606. — BACH. p. 66 sq. — GOTHOF. pag. 135. 184. — TERRAS. pag. 189. — GUNTHER pag. 52 sq. — BOUCH. Vol. II. pag. 281. — POTH. pag. 151 sq. — BOULAGE pag. 216.

(3) LUCIANUS De Luctu pag. 303 sq. — OVID. Heroid. XV. 113. — VIRG. Aeneid. IV. 473. — BOSIUS p. 158 sq. — BRUNINGS pag. 332 sq.

(4) LEVITIC. XIX. 28. XXI. 5. — ISAIAS XV. 2. 3. — JEREMIAS XVI. 6. XLVIII. 37. — ESTHER VI. 12. — ESDRA IX. 3. — EZECHIEL XVI. 16. 17. 27.

tios (1). Haec igitur sustulerunt Decemviri lege laudata. Cum vero Solon quoque eandem legem tulerit, his verbis conceptam : « ἀμυχάς δὲ κοπτομένων, καὶ τὸ θρηνεῖν πεποιημένα, καὶ τό κωκύειν ἄλλον ἐν ταφαῖς ἑτέρων, ἀφεῖλεν (2) », nonnulli statim parati fuere, ut assererent, eam a Decemviris ex illo repetitam : in quam sententiam ipse adeo Tullius noster discessit (3), haec scribens : « Postquam sumtuosa fieri funera et *lamentabilia* coepissent, Solonis lege sublata sunt. Quam legem eisdem prope verbis nostri Decemviri in decimam tabulam conjecerunt; nam de tribus riciniis, et pleraque alia, Solonis sunt; de lamentis vero expressa verbis sunt : mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento. » Nec tamen veremur, ut in arrogantiae crimen incurramus, si Ciceronem aeque ac reliquos in errore fuisse dicamus (4). Nam non solum ex Spartanis legibus (5) mulierum ejulatus prohibebatur, sed lex similis in jure Attico et Hebraeorum invenitur. Haec enim statuerat Moses (6) : « Super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis, neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam »,

28 seqq. — GENESIS XXXVII. 30, 34. XLIV. 13. — DE PAST. Vol. I. pag. 457 sq. — LYDII Flor. spars. pag. 287 seqq.

(1) HERODOT. II. 88. — DIODORUS I. 91. — PASTORET. Vol. I. pag. 311.

(2) PLUT. in Solon. pag. 90. — STANLEIUS ad Aeschyli Choëphor. vers. 22. — PETIT. Lib. VI. tit. 8. nº 9. pag. 600. — BOSIUS pag. 259.

(3) De Legg. II. 23. 25.

(4) BOUCH. Vol. II. pag. 281. — TERRAS. pag. 189. — CREUZER pag. 367.

(5) GRONOVII Thesaur. Vol. V. pag. 2596 sq.

(6) Lib. III. 19, 27. 28. — Vid. etiam *Deuter.* XIX. 1. XXVI. 14. — HOSEAS IX. 4. — JEREMIAS XVI. 6. XLI. 5. — DEPAST. Vol. IV. pag. 76 sq.

quae lex praeprimis sacerdotes tenere debuit (1) : « Ne contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum, sacerdotes non radent caput nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras ». De eadem re praecipit Ecclesiastes (2), ubi haec prostant : « Modicum plora super mortuum, quoniam requievit, » et (c. 38, 21) : « ne dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam a te ». Unde sequitur, nihil esse, quod nos ducat, ut credamus, Romanos hanc legem a Graecis accepisse, cum eadem pariter apud alias gentes inveniatur, praesertim apud eas, quae in communi gentium patria degerunt.

Praeterea causam et fontem legis in ipsis moribus Romanorum invenimus. Ejulationes enim lugubres atque mulierum ille luctus a Romanorum severa, constanti et meditabunda indole prorsus abhorrebant ; virtutique et innatae gravitati eorum muliebres fletus fuere contrarii ; qui in ipsis adeo Atheniensium animis quandam mollitiem atque fortitudinis defectum indicare credebantur. Atque hac ratione ductus Solon lamentationes in funeribus sustulit, teste Plutarcho (3) ; quod recte observat Pastoretus (4), apud quem haec lege : « Un historien célèbre (Plutarche, Consol. a Apoll. T. II. p. 113) trouve une preuve d'éffemination des Syriens dans la manière, dont leur sensibilité se manifestait au sujet des morts. »

§ LVII. « Homini mortuo ossa ne legito, quo post funus fa-

(1) III Mos. 2, 1. 5.
(2) L. XXII. 11.
(3) In vita Solonis pag. 90. — Idem in vita Catonis Minoris, pag. 764.
(4) Vol. I. pag. 459.

cias, extra quam si belli endove hostico mortuus escit (1)». Hanc legem in Gallicum sermonem sic vertit Bouchaldus (Vol. I. p. 282) : Qu'on ne coupe pas à un homme mort un membre de son cadavre, ou lorsque ce cadavre a déjà été brûlé, qu'on ne recueille point ses os parmi ses cendres, pour lui faire ailleurs une nouvelle pompe funèbre; mais si cet homme est mort soit à la guerre, soit en pays étranger, il sera permis d'en ôter ou quelque membre ou quelque ossement, pour les rapporter dans sa patrie et les inhumer dans le tombeau de ses ancêtres » — rationemque ejus tam perite exposuit ille (ibidem p. 284 sq.), ut non possim non eandem cum lectoribus communicare : « On coupait quelquefois des membres (de quelque cadavre) pour leur rendre ailleurs les honneurs de la sépulture; quelquefois encore on recueillait ses ossemens pour les transférer dans un autre endroit et les inhumer avec pompe en cet endroit. Afin de supprimer les dépenses excessives, qu'occasionnaient ces pompes funèbres réitérées, notre loi décemvirale ordonna, que les obsèques ne se feraient que dans l'endroit, où le cadavre serait inhumé ou brûlé; qu'il ne serait permis, ni de séparer un membre du cadavre, ni de recueillir quelques ossemens du cadavre brûlé, pour ensuite transférer ailleurs ces ossemens ou ce membre et par de nouvelles obsèques doubler la dépense. La loi fait une exception pour ceux, qui sont morts à la guerre ou en pays étranger. Alors on brûlait à la vérité le cadavre dans le lieu

(1) Cic. De Legibus II. 24. — Gunther pag. 52 sq. — Bouch. Vol. I. pag. 282. — Bach. pag. 66 sq. — Terras. pag. 189. — Gothof. pag. 135. — Creuzer pag. 383. — Dirksen pag. 672. — Poth. pag. 152. 153. — Boulage pag. 216.

où ils étaient morts : mais c'était un devoir pieux que de rapporter *les restes* de ces morts, pour qu'ils fussent inhumés dans le tombeau de leurs ancêtres. » Neque spernenda sunt, quae cl. Terrassonus de eadem re scribit (Vol. I. p. 189 sq.): « L'affection, que les parens, ou les amis avaient pour le défunt, les portait quelquefois à enlever pendant la célébration des obsèques, quelques membres du cadavre, pour lui faire en particulier de nouvelles funérailles; ce qui ne servait qu'à multiplier la dépense et à renouveler les regrets. Les Decemvirs abolirent cet usage et ne voulurent pas, qu'il subsistât davantage, excepté à l'égard des personnes, qui mourraient à la guerre, ou éloignées de leur patrie. Il est question d'expliquer, comment se faisaient les funérailles dans ces deux cas. Pour cet effet, il faut savoir que les anciens étaient persuadés, qu'il n'y avait rien de plus beau que de mourir pour sa patrie, et que ceux qui mouraient à la guerre, ne donnaient qu'une vie courte, pour jouir d'une réputation et d'une gloire éternelles. C'est par cette raison, que, quand les lois des douze tables défendirent d'enlever un membre d'un corps mort pour lui faire de nouvelles funérailles, elles firent toujours une exception à l'égard de ceux, qui étaient morts à la guerre ou éloignés de leur patrie; comme les Romains regardaient la privation des honneurs funèbres comme le plus grand malheur qui pût leur arriver, ils ne voulurent pas, que la crainte d'être privé de la sépulture (si on mourrait en pays étranger) empêchât les citoyens d'aller à la guerre, et d'y exposer généreusement leur vie; c'est pourquoi les Décemvirs exceptèrent de la loi générale ceux, qui mourraient d'une mort glorieuse. On pouvait conserver un de leurs membres, pour leur faire ensuite des funérailles solennelles.»

Ex his ratiociniis videmus, consilium Decemvirorum in hac lege scribenda hoc fuisse, ut tollerent sumtus, qui ex *duplici* funere oriri debuissent; quod non solum est naturale, sed Romanis quoque privum, in Solonis saltem institutis non reperiundum.

§ LVIII. Ad sumtus funerales minuendos pertinent leges hae : « Servilis unctura omnisque circumpotatio auferitor (1)». De hujus legis sensu disputant interpretes. Alii enim dicunt, verbis *servilis unctura* intelligi pollincturam. Erat munus servorum, qui *pollinctores* dicebantur, *lavare*, *ungere* et *humare* cadavera : quod nonnullis persuasit, ut opinarentur, eam consuetudinem verbis *servilis unctura* fuisse sublatam (2). Alii vero sustinent, ea lege vetitum modo fuisse, ne *servorum cadavera* ungerentur (3); hoc quidem auctoritate legis 5, § 8. Dig. de institor. act. ubi legitur, curam cadavera ungendi usque ad tempora Caesarum et jureconsultorum pollinctoribus fuisse demandatam; quae sententia aliorum quoque scriptorum testimonio confirmatur (4).

Nostrum vero est, inquirere in hujus legis originem. Quod

(1) BACH. pag. 68 sq. — BOUCH. Vol. II. pag. 286. — TERRAS. pag. 190 sq. — GOTHOF. pag. 136. — GUNTHER pag. 52 sq. — CIC. De Leg. II. 24. — FEST. sub verbis *Murrata potione*.

(2) MORABIN in notis ad CIC. De Legg. II. 24. n° 115. — POTH. pag. 153. 154. — BOUCH. pag. 216.

(3) BOULAGE Vol. II. p. 288.

(4) MARTIAL. X. Epig. 97. — AMM. MARCELL. XIX. 1. — SIDON. APOLLIN. III. Epist. 13.

ut rite agamus, primum notandus est gravis error, in quo versatur S. Petitus (1), qui ut probaret, legem nostram ex institutis Soloneis esse ortam, utitur testimonio Ciceronis (De Legg. II, 24). Cicero autem in eo loco minime asserit, legem nostram a Solone fuisse latam; sed de legibus unice XII Tabularum verba facit. Atque certum est, Petitum si accuratius perlegisset locum Ciceronis, non tribuisse Soloni legem, quae ab ipso minime est repetenda, neque usus fuisset ad illud confirmandum auctore, in quo nihil omnino invenitur, unde id genus sententia probari possit. Sunt enim haec ipsa Ciceronis verba : « Caetera item funebria, quibus luctus augetur, Duodecim sustulerunt; homini, inquit, mortuo ne ossa legito, quae post funus fiat : excipit bellum peregrinamque mortem. Haec praeterea sunt in legibus de unctura, quibus servilis unctura tollitur, omnisque circumpotatio ». Quibus deinceps aliis legibus recensitis, addit : « Haec habemus in Duodecim ! »

Atque de his, profecto, solis ibi sermo est. Verum quidem est, Ciceronem (2) dixisse, quasdam leges Duodecim de minuendis funerum sumtibus ex Solonis institutis fuisse translatas; non autem idem affirmavit de lege nostra; sed de solis tribus illis riciniis et lamentabilibus funeribus. Praeterea mihi quidem lex Atheniensium nulla innotuit, qua interdictae fuissent circumpotationes, coenaeque in funeribus ingenuorum aut servorum instituendae (3).

(1) Lib. VI. tit. 8. n° 13. pag. 601.
(2) De Legg. II. 23.
(3) Bosius pag. 268. — Demosth. De Corona pag. 353 C. — Lucianus De Luctu pag. 307. — Stobæus Serm. V. pag. 227.

De servili vero unctura non ita expeditum est. Ii enim, qui opinantur, ea lege prohiberi, ne servorum cadaver ungatur, ad probandam sententiam suam argumentantur ex Plutarchi vita Solonis (p. 79) ubi dicitur : « Adversus formosos non fuisse Solonem munitum, neque satis animi habuisse, ut quasi pugil congrederetur cum amore cominus; id cum ex versibus ejus cognoscas, tum *ex eo*, *quod scripsit legem*, *quae diserte vetabat*, *ne se servi ungerent aut pueros amarent*, quod id annumeraret inter res probatas et honesta studia, et ad ea quodammodo dignos invitaret, a quibus arceret indignos ». Ex quo tamen testimonio nihil sequi mihi videtur, quod nostram possit infringere sententiam. Primum enim interpretatio verborum *servilis unctura* est incertissima. Deinde, Solon non legem tulit *de servorum mortuorum cadaveribus non ungendis; sed multo potius ipsis vivis interdixit*, *ne se ungerent;* cujus rei testis est Plutarchus in loco laudato, quem interpretes male intellexerunt *de sepultura*, sive de *mortuis servis*.

Lex enim Solonis non ad *funera* pertinet, sed ad vivos; ideoque nihil habet cum lege XII Tabb. commune. Praeterea consilium Solonis in ea lege ferenda non fuit funerum sumtus minuendi, quod tamen Decemviri voluerunt; sed eam tulit aliis plane rationibus ductus, ut ipse perhibet Plutarchus modo laudatus. Tum, si lege XII Tabb. vetatur, ne servorum cadavera ungantur, id facile explicatur ex moribus Romanorum, apud quos conditio servorum erat iniquissima dum vivebant; unde eorum cadavera unctura indigna esse censuerunt (1). Denique cum mos ungendi cadavera jam regum

(1) TERRAS. Part. II. § 12. pag 191.

tempore Romae vigeret, eo autem, tempore Decemvirorum, Romani abuterentur; non video, cur remedium mali, quod tam facili opera domi invenire potuerunt, aliunde quaesissent (1).

§ LIX. « Murrata potio mortuo nec inditor, ne longae coronae, neve accerrae praeferuntor (2) », quam iisdem fere verbis refert Cicero (3): « Ne sumtuosa respersio, ne longae coronae nec acerrae praeferantur ». In rogum nempe injici solebant unguenta, aromata et alia suffitoria sumtuosa; quae omnia tollere voluerunt Decemviri. Si quis vero crediderit, ante haec tempora nullam fuisse legem, qua hi ejusmodi sumtus essent prohibiti, in errore ille versabitur. Numa enim de ea re in lege, quae Posthumia dicta est, sanxerat, ne vino rogum respergerent (4). Decemviri igitur regiam legem in suas Tabulas transtulerunt, cujus ne vestigium quidem invenitur in legibus Solonis. Idem dicendum est de longis coronis et acerris, quae in nostra lege memoran-

(1) ENNIUS Lib. III. Ann. apud HESSELIUM pag. 54. — OVIDIUS Fastorum IV. 853 seqq. — BOUCH. Vol. II. pag. 286. Idem mos apud Hebraeos quoque fuit. — TERRAS. Part. II. § 12. pag. 190. — *Genesis* L. 2, 25. — *Evang. Marci* XVI. 1. — LUC. XXIV. 1.

(2) BACH. pag. 68 et 69. — GUNTHER pag. 52 sq. — BOUCH. Vol. I. p. 211. Vol. II. pag. 290 seqq. — GOTHOF. pag. 136. — TERRAS. Part. I. § 12. pag. 191. 192. — CREUZER pag. 380. — DIRKSEN pag. 665 seqq. — BOXMAN De Leg. Sumtuar. pag. 28. — POTH. pag. 154 sq. — BOULAGE pag. 217.

(3) De Legg. II. 24.

(4) PLIN. Hist. Nat. XIV. 12. — CIC. De Rep. II. 14, ibique MAJUS. — V. MAX. IV. 6. — BOUCH. Vol. I. pag. 88. 211 et Vol. II. pag. 291 sq. — TERRAS. Part. I. § 8. pag. 63 seq. 192.

tur (1) et ex ea in funeribus adhiberi non debuerunt; quae aeque desideratur in Atticis institutis; unde sequitur, hanc legem Romanis fuisse propriam, eo magis, cum certo constet, apud Graecos cadaver sertis et coronis subornari potuisse (2).

§ LX. Hujus tamen legis « ne longae coronae praeferantur » exceptionem admiserunt lege : « Qui coronam parit ipse, pecuniamve ejus virtutis ergo, arguitor; et ipsi mortuo parentibusque ejus, dum intus positus escit forisve, sine fraude imposita esto (3) ». Cujus sensus hic esse videtur : qui coronam meruerit, sive ipse, sive servi ejus equive, in funere ob virtutem laudator ipsique mortuo ac ejus parentibus et, quamdiu domi per novem dies collocatum sit cadaver, et cum efferatur, coronam illam imponi jus esto. Qui itaque coronam virtute partam habuit, publice in funere laudabatur; quae certe consuetudo non a Graecis desumta est (4); sed apud Romanos ab inde temporibus Valerii Publicolae, igitur ante XII Tabulas, vigebat (5); sicut non minus apud Ægyptios ob-

(1) FEST. s. v. *Donaticae* et Acerra. — BOUCH. Vol. I. pag. 290. — TERRAS. pag. 192. — CREUZER pag. 380. — POTH. pag. 154.

(2) L. BOS. p. 253. — EURIP. Phoeniss. 1626.

(3) BACH. pag. 68 sq. — TERRAS. pag. 193. — BOUCH. Vol. II. pag. 293. — GUNTHER pag. 52 seq. — GOTHOF. pag. 136. 185. — POTH. pag. 155 sq. — BOULAGE pag. 217.

(4) BOSIUS pag. 267. — BRUNINGS pag. 337. — LUCIANUS De Luctu pag. 307. — VANDENVELDEN pag. 41.

(5) PLUT. in vita Publicolae pag. 101 seq. — DIONYS. Archaeol. V. 3. p. 291 seqq.

servabatur (1). Porro inter laudationes Romanorum et Atheniensium funebres magna erat differentia : apud hos enim pariter, quam apud Spartanos, ii tantum, qui in proeliis ceciderant, laudabantur (2); cum Romae ille honor non conferretur in omnes viros egregios beneque de patria meritos; unde in ea re plus sapientiae Romanis fuisse, quam Atheniensibus, censuit ipse ille Dionysius (3), qui praeterea Romanos primos fuisse refert, qui morem post mortem laudandi summos viros, introduxissent. Ceterum lex, qua corona imponi solummodo poterat in tumulo eorum mortuorum, qui gloriam sibi ipsi peperissent bellicam, non nisi in XII Tabulis invenitur.

§ LXI. « Uni plura funera ne facito; neve plures lectos sternito (4) ». Fieri enim solebat, ut in pluribus simul locis unius hominis funera celebrarentur, plures etiam lectuli sternerentur, igitur sumtus fierent immodici; quos Decemviri faciendos prohibere voluerunt lege nostra, qualis nulla omnino in jure Attico reperitur.

§ LXII. Hoc item valet de lege hac: « Neve aurum addito;

(1) Fabricius Biblioth. Ant. cap. 23 § 9.

(2) Plut. in vita Lycurgi pag. 56. — Sam. Petit. Lib. VI. tit. 8. n° 14. 16 sq. — Cic. De Orat. 44. — Brunings pag. 335. — Bosius pag. 267. — Plato in Menexeno pag. 249. — Thucyd. II. 34.

(3) Archæol. Lib. V. pag. 291, lin. 5 seqq. — Bosius pag. 267.

(4) Cic. De Legg. II. 24. — Terras. pag. 195. — Bouch. Vol. II. pag. 299. — Bach. Hist. jur. pag. 68 sq. — Gothof. pag. 137. — Creuzer p. 380 seqq. — Poth. pag. 156 sq. — Boulage pag. 218.

ast si cui auro dentes vincti escint, im cum illo sepelire urere ve se fraude esto (1) ». Aurum igitur in faciendis funeribus omnino removendum duxere Decemviri, eo solo excepto, quo dentes vincti essent : id enim cum cadavere sepelire aut urere licitum erat. Ad quam rem haec tene, quae Cl. Bouchaldus (Vol. II. p. 301) observat : « Il est constant, qu'anciennement chez les Romains ceux qui perdaient leurs dents, en prenaient des fausses, faites d'ivoire ou d'os, qu'on attachait avec de l'or et qui, soit pour l'ornement, soit pour mieux articuler en parlant, remplaçaient les premiers (2) ».

Unde simul sequitur, alios alio sensu legem nostram intellexisse (3). Dentes enim auro vinctos sumserunt : de dents soit tombées, soit arrachées, que quelqu'un aurait incrustées en or et qu'il aurait gardées parmi des choses précieuses (4) ». Quidquid vero sit, certum est, hujus legis ne vestigia quidem exstare in Soloneis institutis.

§ LXIII. Sequitur lex de spatio, quod inter rogum aut sepulcrum et aedes alienas esse debuerit : « Rogum bustum ve novum propius LX pedes aedes alienas, si dominus nolit, ne adjicito ». Rogum igitur aedibus alienis, domino invi-

(1) TERRAS. Part. II. § 12. pag. 195. — CREUZER pag. 381. — DIRKSEN pag. 687. — BOUCH. Vol. II. pag. 301. — GOTHOF. pag. 137. — BOUCH. pag. 68. — GUNTHER pag. 51 seq. — POTH. pag. 157. — BOULAGE p. 218.

(2) MARTIAL. Epig. I. 73. XIV. 56. col. IX. 58. — TURNEBUS in Notis ad Cic. De Rep. II. 24.

(3) Vol. II. pag. 301.

(4) ROSIN. Antiq. Lib. VIII. pag. 784. — MERULA De Rom. Leg. cap. 9. § 5. pag. 111.

to, propius LX pedes admovere non licebat (1). Quae lex nitebatur in periculo incendiorum, quibus occurrere voluerunt Decemviri; quapropter spatium LX pedum inter rogum et aedes alienas relinqui jusserunt. Haec lex ad sepulcra pertinet : « Ne ex cadaveris putredine incommoda in dominum vicinum redundarent ». De qua nihil omnino inveni in legibus Solonis : licet de sepulcro haec in iis invenirentur : « Si quis sepulcrum fodiat aut fossam ducat juxta vicinum agrum, quantum profunditatis habuerit, tantum spatii relinquito (2) ». Unde patet, utramque legem ea ratione inter se differre, quam differant pedes LX a sepulcri altitudine.

CAPUT SEPTIMUM.

§ LXIV. *De jure Privato.*

Expositis iis, quae de jure *sacro* in XII Tabulis sancita sunt, jam de iis agamus, quae circa jus privatum constituta sunt, ut videamus, utrum aliqua inter eadem et Atticas leges intercedat similitudo. Cum vero omne jus privatum sive

(1) BOUCH. Vol. II. pag. 303 seqq. — L. 3. Dig. de mortuo inferendo. — CIC. De Legg. II. 24. — BACH. Historia juris pag. 68. 69. — CREUZER pag. 387 seq. — DIRKSEN pag. 692. 696. — GOTHOF. pag. 137 seq. — TERRAS. pag. 196 sq. — POTH. pag. 157 sq. — BOULAGE pag. 218 sq.

(2) PLUT. in Solone pag. 91. D. — GAJUS in leg. ultima Dig. finium regund. — SAM. PETIT. Lib. V. tit. 1. n° 4. pag. 482.

ad personas, seu ad res, seu denique ad actiones pertineat (1); primum de personis videamus.

Huc inprimis pertinet patria potestas.

§ LXV. Imperator (§ 2. Inst. de patria potestate) : « Jus, ait, potestatis quod in liberos habemus, proprium est civium Romanorum : nulli enim alii sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus. De eadem re Gajus (2) haec scribit : « Item in potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex justis nuptiis procreaverimus. Quod jus proprium civium Romanorum est (3) ». Quamvis enim apud quosdam populos patres in liberos imperium admodum durum exercuerunt, Romani tamen reliquas gentes in ea re ita superarunt, ut eorum patria potestas a germanis auctoribus non immerito dicatur *patria majestas* (4). Liberi enim erant in *dominio* juris Quiritium; considerabantur tanquam res patris, quibus ille pro lubitu uti aut abuti posset. Hinc poterant vindicari (5); iis surreptis dabatur actio furti (6); iidemque mancipabantur tanquam res mancipi (7).

(1) § 12 Inst. de jure nat. gent. et civ.

(2) In lege 3 Dig. de his, qui sui vel alieni juris sunt.

(3) Vid. ejusdem GAJI Comment. Instit. I. 35. 189.

(4) VAL. MAX. VII. 7. 5. — QUINTIL. Declam. 375. — THEOD. MARCIL. Interpr. XII Tabb. cap. 24.

(5) L. 1. § 2 Dig. de rei vindic.

(6) L. 14. § 13 Dig. de furtis.

(7) GAJI Instit. I. 6. 3. — BYNKERSH. de jure occid. Lib. I. pag. 145. — TOULLIER droit civil françois, Tom. II. n° 1040, pag. 128 seq.

Durabat eadem, quamdiu ipse pater vixit; nec quisquam liberorum, vivo et invito patre, sui juris fiebat, licet gesto magistratu ad summos honores pervenisset. Jura, quae cum hac patria majestate conjuncta erant, omnino fuere singularia, eorumque praecipuum fuit *jus vitae et necis.*

Licebat enim patri filium tanquam rem suam non solum exponere, in carcerem detrudere, flagris caedere, vinctum abligare ad operas rusticas, ut servum; sed etiam quovis supplicio occidere(1). Praeterea eadem patria potestas complectebatur jus ter venumdandi filios : si enim prima vice venditus e servitute filius manumissione libertatem recuperasset, iterum vendi poterat a patre : iterum manumissus, denuo in potestatem patris recidebat vendique igitur poterat tertium; impetrata tamen tertia vice libertate, e patria potestate exibat (2).

Ex qua re quisque videt, duriorem quodam modo liberorum, quam ipsorum servorum, apud Romanos fuisse conditionem. Servus enim a domino venditus et deinceps manumissus, sui

(1) SALLUST. Catilina 37. — GELL. V. 19. — VAL. MAX. V. 2. — QUINTIL. Declam. 3. — SENECA De Clement. I. 15. — HEINECC. Lib. I. tit. 9. § 5. — BOUCH. Vol. II. pag. 473. — PIRMEZ pag. 27. 28. — SENECA De Cont. II. 3. — De Benef. III. 2. — SUET. in Claud. cap. 16. — STAATS EVERS de matrib. quae prol. suam interf. cap. 1. § 2. — SPANGENBERG (in : Neues Archiv. des Crimin. Rechts Vol. III.) pag. 10 seqq.

(2) HEINECC. Lib. I. tit. 9. § 6. — BOUCH. Vol. I. pag. 476 sq. — SIMPLICIUS in Comment. ad Epict. Enchirid. cap. 37. — MERLIN sub v. *Droit Nat.* Tom. IV. p. 370. — GOTHOF. pag. 202. — BYNKERSH. De jur. occid. VI. p. 177. — SCHULTING ad Ulp. Fragm. 101. p. 592.

juris fiebat, nec recidebat in potestatem prioris domini (1). Haec omnia egregie explicantur a celeb. Gibbono (2) : Au Forum, au Sénat ou dans les champs, le fils adulte d'un citoyen de Rome jouissait des droits publics et privés *d'une personne*, mais dans la maison de son père il n'était *qu'une chose*; les lois le mettaient dans la classe des meubles, du bétail et des esclaves, qu'un maître capricieux pouvait aliéner ou détruire sans répondre de sa conduite à aucun tribunal humain. La main, qui lui fournissait la subsistance journalière, pouvait l'en priver et tout ce que le fils acquérait par le travail ou la fortune se confondait à l'instant même dans la propriété du père. L'action, par laquelle celui-ci réclamait contre un vol, soit qu'il s'agit de ses bœufs, soit qu'il s'agit de ses enfans, était la même; et si le bœuf ou l'enfant avait commis un délit, il dépendait de lui de réparer le dommage ou de livrer à la partie l'animal coupable. Le chef de famille indigent ou avare pouvait également disposer de ses enfans et de ses esclaves; mais la condition de l'esclavage était la moins désavantageuse, puisque le premier affranchissement lui rendait sa liberté. Le fils, au contraire, rentrait alors sous l'empire d'un père dénaturé, qui pouvait le condamner à la servitude une seconde et une troisième fois; et ce n'est qu'après avoir été trois fois vendu et affranchi, qu'il était délivré de ce pouvoir paternel, dont on aurait si souvent abusé contre lui. Un père punissait à volonté les fautes réelles ou imaginaires de ses enfans par la peine du fouet, de la prison, de l'exil; il les reléguait à la

(1) LIBAN. Declam. 37. — SENECA De Cont. III. 9. 18. — LACT. Divin. Instit. IV. 3. — SERVIUS ad Aeneid. XI. 143.

(2) Interpr. WARNKOENIG pag. 40.

campagne, et les y faisait travailler, enchaînés comme les derniers des esclaves. La dignité paternelle était même armée du droit de vie et de mort; et on rencontre dans les annales de Rome, jusque par de là le tems de Pompée et d'Auguste, des exemples de ces exécutions, qu'on y voit quelquefois vantées et jamais punies. Ni l'âge, ni le rang, ni la dignité de consul, ni les honneurs du triomphe ne pouvaient soustraire le citoyen le plus illustre aux liens de la servitude filiale : ses descendans se trouvaient compris dans la famille de leur commun ancêtre (1).

Ex hoc jure patriae potestatis hae leges oriebantur : « Endo liberis justis jus vitae et necis venumdandique potestas patri esto » atque : « Et si pater filium ter venumduit, filius a patre liber esto ». Quarum origo ab ipsis Romuli temporibus repetenda est. Cujus rei fidem facit hic locus Dionysii (II. 8. p. 97 sq.) : « Romanorum legislator Romulus(?) omnem potestatem in filium patri concessit, idque toto vitae tempore; sive eum in carcerem conjicere, sive virgis caedere, sive vinctum ad rusticum opus detinere, sive occidere vellet » : et postea : « Neque Romano legislatore hoc satisfuit, quod hanc potestatem patri dedisset, sed etiam ei filium vendere permisit et (quod maxime quis miretur) hoc etiam patri concessit usque ad tertiam venditionem, ex filio quaestum facere, data patri in filium majori potestate, quam domino in mancipium

(1) IMBERT De Infantic. p. 74. — HUGO Hist. jur. pag. 79. § 61. — MONTESQ. Esprit des lois VII. 10. — VANDENVELDEN l. l. pag. 44. — CROPP Part. II. pag. 86. — LIBBRECHT De portione legitima pag. 2 (Ann. Acad. Gand. 1818-1819). — POTH. pag. 96 sqq. — BOULAGE pag. 138 sq. 141.

nam servus semel venditus deinde libertatem adeptus in posterum est sui juris : at filius a patre venditus si liber fuisset factus, redibat in potestatem patris, et iterum venditus et libertate donatus, servus patris ut ante fiebat. Sed post tertiam demum venditionem ex patris potestate exibat. Hanc legem prisci illi reges sive scriptam sive non scriptam, (neque enim certi quidquam afferre possum), omnium praestantissimam ducentes observarunt : sed sublato regno cum primum P. R. visum est, *omnes patrios mores et leges* una cum adscititiis in foro palam omnibus civibus proponere, ne jus publicum cum ipso magistratuum dominatu intercideret, Decemviri, quibus a populo data fuerat potestas colligendarum et conscribendarum legum, eam inter caeteras retulerunt, et extat in quarta illarum XII Tabularum, quae in foro positae ita vocantur ».

« Quod autem non Decemviri, qui CCC post annis legum conscribendarum caussa creati fuerant, primi in rempublicam Romanam hanc legem introduxerint, sed multo antea latam et receptam tollere non ausi fuerint, cum ex multis aliis collegimus, tum vero praecipue ex legibus Numae Pompilii, qui post Romulum regnavit, in quibus etiam ita scriptum est : si pater permiserit filio uxorem ducere, quae ex legibus particeps sit et sacrorum et bonorum, patri posthac nullum jus esto vendendi filium; quod non scripsisset, nisi per reliquas omnes superiores leges patri filium vendere licuisset ».

Unde etiam Papinianus (1) ait : « Cum patri lex *regia* de-

(1) In Coll. Legg. Mos. et Roman. tit. 4. § 8.

derit in filium vitae necisque potestatem ». Quod confirmatur testimonio Ulpiani (L. 8. Digestorum de his, qui sui vel alieni juris sunt), ubi dicitur : « jus patriae potestatis moribus est receptum ».

Plurima autem moribus introducta dicuntur, quae jam ante XII Tabulas recepta fuere (1), atque Plutarchi (Numa, p. 71) testimonium evidenter probat, jus liberos vendendi ab initio in civitate Romana invaluisse, his verbis : « Laudatur inter acta Numae, ait, correctio *legis*, *qua patri jus erat liberos distrahendi*, a qua excepit eos, qui in matrimonio essent, si contraxissent patris consensu et jussu nuptias (2) ».

Juris vero origo e ratione vitae patriarchalis, quam Romani, ut Etrusci, degebant, promanavit, ut supra diximus.

Erat enim in patris voluntate totius gentis voluntas involucris; unde hanc regere ille *eaque uti* potuit ad lubitum :

(1) Schulting jurisprud. ante-justin. pag. 479. — Gothof. p. 91 sq. 165. 168. — Pirmez pag. 10 sq. — Terras. pag. 55. — Bouch. Vol. I. pag. 88. — L. 8. Cod. Theod. de lib. caus. — Merrullius Observ. II. 4.

(2) Vandenvelden pag. 45. — Gell. V. 19. — Wannaar pag. 34. — Cic. De Finib. I. 7. — Val. Max. V. 8. 3. — Livii Epit. 54. — Sallust. Catil. cap. 39. — Cic. Pro Domo cap. 29. — Terras. pag. 57. 117. — Bach. pag. 9. 46 sq. — Ulpiani fragm. tit. 10. princ. — Gunther pag. 15. 16. 18. 54. — Bouch. Vol. I. pag. 88. 91 sq. 187 sq. 472 sq. 476 seqq. — Liv. I. 26. II. 41. — Panciroli Variae Lect. II. 58. — Heinecc. jurisprud. Rom. et Att. II. pag. 1172. — Coll. Merlin Rep. de jur. sub v. *Puiss.* paternelle sect. I. Vol. X. pag. 249 sq. — Poth. pag. 96 sqq.

ex quo libero arbitrio unius in oriente despotismus (1) ortus est; in occidente familiarum nobilium, i. e. *Eupratridarum* et *Patriciorum* potestas.

Cujus rei exempla prostant apud Hebraeos, ex instituto Mosis (II. 21, 7.); ubi legitur : « Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non egredietur sicut ancilae exire consueverunt. Si displicuerit oculis domini sui, cui tradita fuerat, dimittet eam : populo autem alieno vendendi non habebit popotestatem, si spreverit eam ». Porro in Genesi (XXVIII. 24) *Juda* patria potestate usus, nurum suam, Thamaram, morte affici jubet. Egregi de ea re egit Pastoretus (Vol. III. p. 45) his verbis : « Avant Moïse le pouvoir d'un père était absolu, le père était tout-à-la-fois le protecteur et le magistrat de sa famille. Jamais peut-être il n'approcha plus de la divinité que dans ces mœurs simples et salutaires. Accoutumé comme elle à se manifester par des bienfaits, comme elle il unissait le droit d'exercer une justice souveraine au bonheur de verser sur ce qui l'environne une bienfaisance toujours active et toujours renaissante. Les enfans étaient-ils coupables, ils entendaient sortir de la bouche paternelle la condamnation qu'ils méritaient. Nous avons vu Thamar envoyée à la mort par l'autorité seule de Juda; l'arrêt n'était pas seulement irrévocable, il n'avait d'autre règle que la volonté du père. Abraham chasse (2) Ismaël, le déshérite, le retranche de

(1) MONTESQ. Esprit des lois Lib. II. cap. 1, et lib. III. cap. 9. — VANDENVELD. pag. 14.

(2) *Genes.* XXI. 12. — PAULUS Apost. ad Galat. IV. 30; ad Rom. IX. 7; ad Hebraeos XI. 18.

sa famille, du peuple choisi par son Dieu; Isaac porte (1) lui-même le bois du sacrifice, et sans se permettre une plainte, il obéit à son père et se laisse lier sur l'autel ». De jure Mosaico idem profert (2) : « Si l'on perdit le malheureux privilége, de disposer de la vie de ses enfans, sans l'autorisation du tribunal, auquel appartenait la vengeance du crime, on conserva la faculté de les vendre, soit pour fournir à sa propre subsistance, soit pour acquitter une dette par leur esclavage, soit quand il s'agissait d'une fille, pour en faire une des épouses du second rang de l'acheteur (3) ».

Ex patriarchali igitur vita repetendum est jus illud patriae potestatis, quod eapropter jam tempore Romuli valuit (Macieiowski p. 28) : unde leges quoque XII Tabularum, quibus illa potestas confirmabatur, ex moribus et consuetudinibus Romanorum ortae sunt, nec aliunde desumtae. Videamus tamen, quid de ea re apud Graecos fuerit constitutum. Nam apud Athenienses quoque jus vitae et necis in libe-

(1) Mos. I. 22. vers. 1 seqq. — Lib. *Judith* VIII. 22. — PAULUS Apost. Epist. ad Hebraeos XI. 17. — Fromondus Comment. in S. Sc. Paris 1671, ad Epist. ad Hebraeos cap. 11. vers. 11. pag. 375 sq. — DE PASTORET Lib. I. pag. 376.

(2) Vol. III. pag. 484.

(3) *Levitic.* XXV. 39. — *Psalm.* LXXI. 4. — ESRAS V. 13. — DE PASTORET Tom. III. pag. 457, et De Patria potestate apud Aegypt. Vol. II. pag. 219 sq. — De Hebraeis conf. SELDEN De jur. Nat. et Gent. VI. 7. pag. 741. — ABARBENEL ad Pentateuch. p. 178. — *Evang.* MATH. XVIII. 5. — *Mischna* Tom. III. pag. 226. — BOUCH. Vol. I. pag. 187 sq. — PLUT. in Luc. pag. 504.

ros fuisse patribus concessum, existimat Petitus ille (1), qui haec profert : « Quemadmodum liberos tollere in patris positum erat potestate, ita etiam necare et exponere, idque, *meo judicio*, non tam moribus, quam lege, receptum fuit Athenis ».

Quum vero nulla inveniatur lex, qua illud jus patri fuerit concessum, non certe in liberos provectioris aetatis (infantes enim recens natos exponendi et FORSITAN necandi jus potestatemque fuisse non negamus (2); ille auctor sua prorsus auctoritate illud affirmasse nobis videtur. Contra, apud Romanos jura patriae potestatis perpetua erant, nec ab ea liberabatur filius ante patris ipsius obitum.

Praeterea *ante* Solonis constitutionem non tam lege, quam moribus populi, Atheniensibus licebat liberos vendere, ut constat testimonio Plutarchi (Solon p. 91) : πολλοὶ δὲ καὶ παῖδας ἰδίους ἠναγκάζοντο, πωλεῖν γὰρ νόμος ἐκώλυε (3). Quam consuetudi-

(1) Lib. II. tit. 4. n° 6. pag. 219.

(2) TERENTIUS Heautontim. Act. IV. Scen. I. vers. 14. — ARISTOPHANES Ran. vers. 1222. Idem in Nubibus vers. 531. — EURIP. Phoeniss. v. 25. — AELIANUS II. cap. 7. — HESYCHIUS sub v. χυτρισμοῖς. — SCHOLIAST. ad *Aristoph*. l. l. — PHILO Leg. Special. pag. 794. — De infantibus recens natis intelligendus est locus SEXTI EMPIRICI Pyrrhon. III. pag. 180. — DIONYS. II. pag. 292. cap. 26 et HERMOGENES De Inventione I. 1. pag. 83. — MEURSIUS Solon. cap. 22. pag. 79, (in Themid. Att. 1 sq.). — HUBER Digress. II. 6. — THOMAS De Usu pract. doct. de patria potestate I. 13 seq. — IMBERT De Infantic. pag. 70. — STAATS EVERS de mat. quae prol. suam interfec. cap. 1. § 1. — PETIT. Lib. II. tit. 4. § 6. pag. 219 seq. et § 12, in nota, pag. 236. — BARTHEL. Vol. I. pag. 280. — BOSIUS pag. 212.

(3) PETIT. Lib. II. tit. 4. n° 12. pag. 237.

nem deinceps *sustulit* Solon et vetuit etiam in universum, ne liberi venderentur, filiabus solis atque sororibus exceptis; ac hoc quidem in eo casu, si quis in iis, adhuc virginibus, moechum deprehendisset (1). Unde quisque videt, nullam fuisse similitudinem inter legem Atticam et Romanam, quae *ter* venumdare liberos permiserat (2). Porro apud Athenienses pater filium, qui gravem culpam commisisset, cum Magistratum de ea re audiret, respuere potuit, atque caussa cognita et judicibus probata, fiebat filii abdicatio per praeconem pronunciata, hac formula : τὸν δεῖνα negare τὸν δεῖνα filium suum esse amplius. Atque ita abdicati e patris familia excidebant, quin civitatis jure destituerentur, ut tamen bonorum paternorum non fierent participes (3).

Hoc tantum modo patres filios immorigeros punire potuerunt (4). Contra jure Romano liberos virgis caedere, in carcerem detrudere et necare potuere patres; imperium igitur illimitatum ex arbitrio exercere; quin in hac potestate exercenda ulla lege circumscriberentur. Ad hanc utriusque po-

(1) PLUT. in Solone pag. 91. — BARTHEL. Vol. I. pag. 84 seq. — PETIT. Lib. II. tit. 4. n° 12. pag. 237. — BONAMY l. l. p. 80.

(2) DIONYS. II. p. 97. — BUYNKERSHOEK De jure occidendi, exponendi et vendend. prol. apud Rom. cap. 6. 8.

(3) DEMOSTH. ἐν τῷ πρὸς Βοιωτ. p. 581. — QUINTIL. Declam. 283. — LUCIAN. in Abdicat. cap. 10. — PLATO De Legg. XI. 928. — FABIUS VII. 4. 21. — BOUCH. Vol. I. p. 92. — Cfr. CORNEL. NEPOS in Themistocl. cap. 1. — L. 6. Cod. d patria potest. — L. 9. Cod. eod.

(4) BOUCH. Vol. I. p. 93 seq. — DIONYS. II. 96.

puli patris potestatem penitius intelligendam, teneas velim, quae de ea luculenter dixit Dionysius et Bonamius (3). Hic quidem his verbis : Rien ne fera mieux connaître la différence du droit Romain au droit Attique sur la puissance paternelle, que ce que dit Denys d'Halicarnasse au sujet des lois de Romulus; celles qu'il fit, dit-il, (Lib. II. nº 26) pour retenir les enfans dans leur devoir et dans le respect à l'égard de leurs pères, et pour les obliger à leur obéir en toutes choses, sont encore plus augustes, plus respectables et l'emportent de beaucoup sur les nôtres. En effet, les législateurs des villes grecques n'ont obligé les enfans à demeurer sous la discipline et sous la puissance de leurs pères, que pour un temps fort court, les uns jusqu'à ce que leur nom fût écrit dans les registres publics, comme ils l'avaient appris par les lois de Solon, de Pittacus et de Charondas, ces fameux législateurs, si célèbres par leur sage politique. Les peines qu'ils ordonnaient contre les enfans désobéissans, n'étaient pas non plus assez fortes. Ils permettaient seulement aux pères de les chasser de leur maison et de les déshériter, ce qui ne suffit pas pour réprimer les folies de la jeunesse, ni pour arrêter l'impétuosité des passions. Car ces peines trop légères ne peuvent retenir dans les bornes du devoir ceux, qui ne sont pas portés au bien. Aussi arrive-t-il souvent chez les Grecs, que les enfans outragent leurs pères et perdent entièrement le respect. Au contraire, le législateur des Romains donna, pour ainsi dire, tout pouvoir aux pères sur leurs enfans, et cela pendant toute leur vie. Il leur permit de les

(2) DIONYS. II. 26. 79. — BONAMY l. l. p. 81 sqq.

mettre en prison, de les faire battre de verges, de les charger de fers, de les reléguer à la campagne pour y travailler à la terre, et de leur ôter la vie s'ils le jugeaient à propos; quand même ils auraient été revêtus de premières charges et qu'ils auraient rendu à la république les services les plus signalés (*κἂν τά πολιτικά πράττων ὁ παῖς ἤδη τυγχάνῃ, κἂν ἐν ἀρχαῖς ταῖς μεγίσαις ἐξεταζομένος*); c'est en vertu de cette loi, que d'illustres personnages haranguant à la tribune en faveur du peuple contre le Sénat, en ont été arrachés par leurs pères, dans le temps même, qu'on applaudissait à leurs discours, pour subir la punition, à laquelle ils jugeaient à propos de les condamner. Ils les conduisaient à travers la place publique, sans qu'aucun de ceux, qui étaient présens, pût les retirer de leurs mains : il n'y avait ni consul ni tribun, qui osât l'entreprendre, pas même le peuple, en faveur duquel il avait parlé, et qui ne connaissait aucune autorité égale à la sienne. Je passe sous silence tant d'hommes illustres, qui ont été mis à mort par leurs propres pères, quand leur vertu et leur zèle les ont portés à quelqu'action généreuse, que leurs pères ne leur avaient point ordonnée. L'histoire nous en fournit un exemple dans la personne de Manlius Torquatus et de plusieurs autres. Le législateur des Romains ne se contenta pas d'avoir accordé ce pouvoir aux pères sur leurs enfans; il leur permit encore de les vendre, sans s'embarrasser, si cette permission serait regardée comme une preuve d'un cœur trop cruel, et comme entièrement contraire à la tendresse et aux sentimens, que le sang et la nature devaient inspirer à un père. »

Quodsi igitur illa potestas non a Decemviris concessa,

sed ex moribus antiquis hausta esset, male rem suam administrasse videtur Oisilius (1), qui asserit, Romanos leges de Patria Potestate ab Atheniensibus accepisse.

Nec vero etiam Spartae patri tanta jura lege concedebantur. Ex legibus enim Lycurgi liberi non ad parentes pertinebant, sed ad ipsam civitatem; quae igitur patriam potestatem exercebat (2). Ex his vero omnibus patere videtur, hanc legem solis Romanis fuisse propriam (3).

§ LXVI. Cum lege praecedente hanc confer : « Pater insignem ad deformitatem puerum cito necato (4) »... Cujus legis ratio duplex est, sive quia ejusmodi partus signa esse putabantur irae Deorum (5); sive quoniam populus bellator

(1) Ad GAJI Instt. I. 2, 2. p. 31.

(2) PLUT. in Lycurgo pag. 49. 50. Idem Lacon. Inst. Tom. II. p. 237 sq. — XENOPH. De Rep. Laced. pag. 676 sq. — BARTHEL. Vol. IV. pag. 132 seqq.

(3) GEBAUER De patr. pot. I. 2. Exerc. I.

(4) NOODT, Julius Paulus, sive de partus exposition. et nec. apud veteres, lib. sing. et amica resp. ad difficult. Julio Paul. motas, Tom. I. pag. 564. — BACH. hist. jur. pag. 46 sq. — BOUCH. Vol. I. pag. 464 seqq. — Cfr. CIC. De Legg. III. 8. — GOTHOF. pag. 91. — TERRAS. pag. 117. — SENECA Controv. V. 33. De Ira I. 15. — VANDENVELDEN pag. 45. — LIV. XXVII. 57. — NIEUP. De Ritib. Rom. Sect. VI. cap. 5. § 4. pag. 468 seqq. — NITSCH Beschreibung des hæusl. u. bürgerl. Zustandes der Rœmer, II. Sect. 2. — VANDENVELDEN pag. 46. — GIBB. pag. 40 sq. — CROPP Part. II. pag. 73. — BYNKERSHOEK De jure occidendi Tom. II. pag. 140 seqq. — POTH. pag. 94 sq. in Praefat. — BOULAGE pag. 138.

(5) L. 14 Dig. de statu hom. — Lex 38 Dig. de V. S. — IMBERT De Infant. pag. 71. 78. — SPANGENBERG Vol. III. pag. 10 seqq. — STAATS EVERS cap. I. § 2, nota 4. — WARNKŒN. Comment. jur. priv. § 35.

hominibus monstrosis et eorum cura et custodia se impedire non potuit. Atque haec altera causa originem suam habuit in vita *nomadica;* quam omnes gentes degebant ab initio. Unde mirum non est, quod ille mos, qui nobis videtur tam crudelis, per omnem terram et omnes gentes esset pervulgatus. De jure filium necandi monstrosum, jam aliquid statuerat Romulus. Referente enim Dionysio (1), « Romanis necessitatem imposuit, omnem virilem prolem educandi, et e filiabus eas, quae essent primogenitae, nullam autem prolem necari permisit triennio minorem, nisi si quis infans monstrosus, aut prodigiosus statim in ipso partu editus fuisset. Istiusmodi enim partus a parentibus exponi non vetuit, dummodo eos prius ostenderint quinque vicinis proximis, qui consilium ejus probarint (2) ».

Ex hoc fonte manavit lex Decemvirorum nostra (3), lege regia illa multo durior. Ea enim pater *tenebatur*, *extemplo* morti dare filium monstrosum; cum lege Romuli idem patrari non *posset* sine praevio judicio et testimonio *quinque* vicinorum. Sed quod jam diximus, homo Romanus non *sua causa* erat, verum propter civitatem : unde consequens

(1) II. p. 88. — IMBERT pag. 70. — BOUCH. Vol. I. pag. 464. — BONAMY l. l. pag. 78. — HEINECC. Lib. I. tit. 9. § 5. — TERTULLIANUS adv. Gentes I. 15.

(2) HAUBOLD. ad *Heinecc.* I. tit. 9. § 5. — BOUCH. Vol. I. pag. 464. — TERRAS. Part. I. § 7. pag. 53. — TIBULLUS II. Eleg. V. 80. — LUCIAN. Pharsal. I. 561 seqq. coll. 559 seqq. — POTH. pag 95.

(3) DIONYS. IX. pag. 580. — IMBERT pag. 75. — BOUCH. Vol. I. pag. 466. — VANDENVELDEN pag. 46 sq.

erat, qui *civis* bonus et utilis fieri non posset, eum omnino *esse* non debere. Hanc ejusmodi *legem* temere apud Athenienses quaesieris, licet *consuetudo*, recens natos exponendi, Athenis quoque invaluisset, ut apud Ægyptios et hodienum apud Sinenses (1).

Apud Spartanos vero hoc jus non *patri* competebat, sed *civitati* per magistratum (2).

§ LXVII. Jam nobis dicendum est de lege ultima Tabulae quartae ; cujus haec verba sunt : « Si qui ei in decem mensibus proximis posthumus natus escit, justus esto ». Sensus vero legis hic est : « si quis, mortuo patre, ex uxore ejus intra decem menses proximos natus fuerit, is filius legitimus erit (3) ». Nam ex opinione veterum legitima nativitas decimi fere mensis ingressus erat (4). Quapropter Varro (5) : nascimur, ait, spissius, quam emorimur, vix duo homines decem

(1) STAATS EVERS cap. 1. § 1, nota A. — IMBERT pag. 79. — STAATS EVERS l. l. § 6. — VOLTAIRE Essai sur les mœurs et l'esprit des Nat. ibid. laud. — TA-TSING-TEU-LÉE, ou les lois fondam. du cod. pen. de la Chine par RENOUARD DE ST. CROIX. Paris 1812. Part. V. sect. 319. art. 2.

(2) PLUT. in Lycurgo pag. 49. — GRONOV. Thesaur. Vol. V. pag. 2605. — BARTHEL. Vol. IV. pag. 131 sq. — BOSIUS pag. 212.

(3) GELL. III. cap. 16. — Lex 3. § 9. 11 sq. Dig. de suis et legitimis hered. — Lex 28 Dig. de lib. et post. — L. ult. Cod. eodem. — BOUCH. Vol. I. pag. 480. — TERRAS. Part. II. § 7. pag. 118. — Lex ult. Cod. de post. hered. instit. Novell. XXXIX. cap. 1. — GOTHOF. pag. 194. — GUNTHER p. 54. 55. — POTH. pag. 99. — BOULAGE pag. 139.

(4) TERTULLIAN. De Anim. cap. 37. — BOUCH. Vol. I. pag. 480.

(5) De Mysteriis apud NONIUM MARCELL. cap. 4. pag. 392, sub v. SPISSUM.

mensibus edolatum unum reddunt puerum : contra una pestilentia, hostica acies, puncto temporis immanes acervos facit ». Atque Virgilius (Ecl. IV. 61) :

« Matri longa decem tulerunt fastidia menses. »

Haec lex, quae cum Atticis legibus nihil habet commune, jam a Romulo lata fuisse videtur, ut innuit locus Ovidii (1) :

« Quod satis est, utero matris dum prodeat infans.
Hoc anno statuit temporis esse satis.
Per totidem menses a funere conjugis uxor
Sustinet in vidua tristia signa domo.
Hoc igitur vidit trabeati cura Quirini,
Cum rudibus populis annua jura daret. »

Quod cum alia quoque vitae ratione cohaerebat. Ex lege enim Numae *luctus* per decem menses a vidua erat observandus, quae per idem tempus a secundis nuptiis abstinere tenebatur (2), ut nimirum, quae etiam articulo 228 Codicis hodierni prohibita est, sanguinis turbatio et confusio seminis vitarentur (3). Igitur Numae adeo temporibus decimum mensem fuisse extremum pariendi terminum, ex sententia Romanorum patet, ideoque partum, qui intra decem menses

(1) I. Fastor. 33 sqq.

(2) PLUT. in vita Numae pag. 67. — DIONYS. II. 88. — BACH. pag. 11. — HEINECC. ad leg. Juliam et Papaeam I. 2. 8. — GUNTHER § 20. pag. 22 sq.

(3) CARPZOV. Part. II. Quaest. 66. n° 80. 81. — PAILLET ad art. 228. Cod. civ. — TOULLIER Tom. II. pag. 22 n° 663.

a morte mariti editus esset, tanquam legitimum fuisse consideratum. Idem jus Spartanis fuisse ex Herodoto (VI. 62) colligitur, quae res nostrorum aliquot viris doctis (1) ansam suppeditavit, adfirmandi, Romanos legem a Spartanis petiisse. Perperam! Nam primum Spartani et Romani ex eadem gente prognati, similes certe leges habere potuerunt. Deinde, idem jus Romae jam sub regibus viguisse diximus. Tum Romanos non minus, quam Spartanos observare potuisse, plerumque extremum pariendi tempus fuisse decimum mensem. Porro Spartanos non solos eam de partus termino sententiam habuisse, sed omnes gentes antiquas, quarum unice Hebraei exempli ergo nominamus, legi potest in libro sapientiae, ubi haec prostant: « *In ventre matris figuratus sum caro decem mensium tempore* (2) ». Denique obliviscendum non est, lunam puerperis magni momenti esse, et divino honore mulieribus cultam: veteres autem annum *lunarem* habuisse et, hac duplici causa ductos, ad conformandum in utero matris hominem hoc tempus statuisse, i. e. *annum* integrum, *decem* mensium, seu *Etruscum* (3).

§ LXVIII. *De juribus praediorum.*

Huc pertinet lex: « Ambitus parietis sestertius pes esto » i. e. inter vicinorum aedificia, ut circuitus pateat, spatium

(1) HOTOMANNUS Lib. IX. Observ. 9. — ASANDE Decisiones Frisicae Lib. IV. tit. 8. def. 10.

(2) BOUCH. Vol. I. pag. 480. — BONAMY pag. 77.

(3) DUMBECK Tabb. laudd. p. 9. g.

vacuum duorum pedum et semis relinquitor (1). De quo argumento in jure Attico nihil sanciebatur.

Quidam tamen eam *ad exemplum* legis Soloneae scriptam fuisse opinantur. Hic enim legumlator cavisse dicitur, ut si quis casam ad alienum agrum aedificare vellet, duorum pedum intervallum relinqueret (2). Sed quam haec sint subtilia, nemo non videt. Videt autem etiam, quicunque oculis utatur, in XII Tabulis agi de spatio *inter duo aedificia*, in jure Attico de *intervallo inter casam et agrum*; ut non dicamus de mensurae differentia. Notanda est ratio legis nostrae a Buchaldo (Vol. II. p. 80 sq.) sic exposita : « Ce fut avec raison, que les Romains, dans ces premiers temps, fixèrent une certaine distance entre les bâtimens, afin d'empêcher, que les maisons, qui pour la plupart n'étaient alors construites qu'en bois, ne fussent trop exposées aux incendies »; unde sequitur, legem ex statu quoque Urbis interiori explicari posse.

§ LXIX. Sequitur lex majoris momenti: « Sodales legem, quam volent, dumne ne quid ex publica lege corrumpant, sibi ferunto (3) ».

(1) BACH. Hist. jur. pag. 60. 61. — VARRO De Lingua Latina IV. 4. pag. 8. — GRONOVII Thesaur. pag. 398. — FEST. sub v. *Ambitus*. — ISIDOR. Orig. XV. cap. ult. — GOTHOF. pag. 126. — BOUCH. Vol. II. pag. 79. — TERRAS. pag. 159 seqq. — POTH. pag. 132 sq. — BOULAGE pag. 191.

(2) BOUCH. Vol. I. pag. 98. — Lex ultima Dig. finium regundorum. — PETIT. Lib. V. tit. 1. n° 5. pag. 482. — SALMASIUS ad jus Attic. et Rom. cap. 13. — HERALDUS Lib. V. cap. 9. l. l.

(3) BOUCH. Vol. II. pag. 82. — TERRAS. Part. II. § 10. pag. 158. —

Eandem legem Solon dicitur tulisse his verbis : ἐὰν δὲ δῆμος, ἢ Φράτορες, ἢ ἱερῶν ὀργέων, ἢ ναῦται, ἢ σύνσιτοι, ἢ ὁμότaφοι, ἢ θιασῶται, ἢ ἐπὶ λίαν οἰκόμενοι, ἢ εἰς ἐμπορίαν. ὅτι ἂν τούτων διαθῶνται πρὸς ἀλλήλους, κύριον εἶναι, εἂν μὴ ἀπαγορεύσῃ δημόσια γράμματα. Inde repetendam esse legis XII Tabularum originem affirmant auctores non levis notae : in quorum numero Gajus JCtus (L. ult. Dig. de colleg. et corporib.), quem deinceps omnes fere auctores recentiores secuti sunt (1). Cur nos in eandem sententiam discedere nequeamus, haec momenta quemvis docebunt: Cum collegia sodalium et corpora civium tanquam periculosae plenum aleae institutum considerarentur, Tarquinius II, periculi metu ductus, abrogavit in universum omnia civitatis Romanae collegia (2). Haec enim refert Dionysius : « Coetus autem omnes, quotquot antea erant, vicanorum fratrum aut vicinorum in Urbe et agris sacrorum et rei divinae caussa interdixit, ne multi simul coëuntes eodem loco, secreta consilia inirent ad imperium dissolvendum ». Hoc autem *abrogationis* decretum, ab ultimo rege editum, probat, superio rum regum aetate usu licito fuisse ejusmodi collegia apud Romanos. Initium eadem cepisse videntur a rege Numa; postquam enim sub Romulo ex variis quasi elementis unum civitatis corpus congregatum atque respublica constituta fuerat, Numa populum eo redegit, ut imperium cum religione

GOTHOF. pag. 125. — BACH. pag. 60. 61. — GUNTHER pag. 68. — FESTUS sub v. *Sodalis*. — POTH. pag. 133. 134. — BOULAGE pag. 191. 192.

(1) BOUCH. Vol. I. pag. 70 seqq. coll. cum 64. — PETIT. Lib. V. tit. 7. n° 1. pag. 524. — SALMASIUS Observ. in jus Att. cap. 4. — TERRAS. pag. 158.

(2) Teste DIONYS. IV. p. 219 sq.

et justitia ferret. Is ergo civium fautor plebem dispescuit in collegia artium mechanicarum et concilia, singulisque sacra convenientia dedit (1). Quae omnia deinceps confirmavit *Servius Tullius* (2). Inde jam sequitur : Decemviros sublata nuper a Tarquinio II collegia aliqua saltem ex parte restituisse atque publici juris fecisse (3), ea lege, ut ne privilegia sibi et jura conderent, civitatis legibus adversa, quia pacta privatorum juri publico derogare non possunt (L. 38 Dig. de pactis. L. 45 Dig. § 1. de Reg. jur.) (4); quae lex eo magis naturalis est Romanis, quoniam apud eos civitas primas tulit; homo vero singulus vix censebatur.

Altera vero legis nostrae pars, qua Socii collegiorum conventiones et pactiones, juri publico non contrarias, inter se facere poterant, ab iisdem temporibus repetenda esse videtur; cum enim, ut superius vidimus, sub Numa permitterentur societates, sodalibus sane jus esse debuit, eas condendi leges, quas prosperitati collegiorum utilissimas esse crediderint.

§ LXX. *De jure finium.*

De ea re notanda sunt, quae Gajus profert in lege ult. Dig. finium regundorum : « Sciendum est, in actione finium regun-

(1) PLUT. in Numa pag. 71. D. et 155. — DIONYS. II. 93. — GUNTHER pag. 21. 22, coll. cum 30.

(2) FLORUS I. cap. 16.

(3) HUBER Dissert. jurid. et philol. Vol. I. pag. 283 (Diss. De Legg. Solon. cap. 2. n° 1 et 2).

(4) D'ANTOINE Reg. du droit civil. pag. 155. — ASANDE De Reg. jur. ad leg. 27.

dorum illud observandum esse, *quod ad exemplum quodam modo* ejus legis scriptum est, quam Athenis Solon dicitur tulisse. Nam illic ita est : *ἐάν τις αἱμασίαν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύγῃ, τὸν ὅρον μὴ παραβαίνειν : ἐὰν τειχίον, πόδα ἀπολείπειν : ἐὰν δὲ οἴκημα, δύο πόδας : ἐὰν δὲ τάφον ἢ βόθρον ὀρύττῃ, ὅσον τὸ βάθος ᾖ τοσοῦτον ἀπολείπειν : ἐὰν δὲ φρέαρ, ὀργυιάν. Ἐλαίαν δὲ καὶ συκῆν ἐννεά πόδας ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου φυτεύειν. τὰ δὲ ἄλλα, πέντε πόδας* (1).

Hanc legem Soloneam Plutarchus (2) quoque refert : « Solon definivit admodum perite plantarum modum. Qui plantam in agro fixissent, hos voluit a vicino quinque pedibus abesse. Posteriores enim latius spargunt radices, nec omnibus sine noxa plantis admoventur ; praeterea intercipiunt alimenta et nonnullis humorem nocivum transmittunt. Permisit autem volentibus foveas et fossas aquarum fodere ; modo ea longitudine recedat ab alieno, quatenus ipse profundam fecerit (3) ». Nec tamen equidem video, quo pacto ex hac lege Graeca desumpta sit nostra ; igitur non assentior Cel. Toulliero, qui id asseverat (4). Nam primum Gajus (5) JCtus non refert ipsam legem XII Tabb. de finibus regundis, sed laudat tantum similem quandam Solonis legem, de eadem re latam, atque addit, ea quae a Duodecim de actione finium regundorum sancita sint, *quodam modo*, *ad exemplum* legis

(1) GOTHOF. pag. 126. — BOUCH. Vol. I. pag. 64 seqq. — ZACH. HUBER De Leg. Solonis cap. 1.

(2) In vita Sol. pag. 91. D.

(3) PETIT. Lib. V. tit. 1. n° 2. 4. 7. pag. 480 sqq.

(4) FOURNEL Traité du voisinage s. v. Arbre. Droit civ. franç. Vol. III. p. 245. n° 513.

(5) L. ult. fin. reg.

Soloneae, fuisse scripta : legem vero ipsam, quae in Duodecim contineatur, non refert; unde eam *incertam* esse dicunt omnes auctores (1), et recte quidem. Idem enim JCtus erat auctor legis ultimae Digestorum de collegiis et corporibus, et in eo loco, ut probavimus in § praecedenti, manifeste erravit. Non itaque magis ipsi fidendum esse videtur in nostra caussa, et maxime eapropter, quoniam legem, quam Atticae similem esse dicit, non ipsam dedit. Est enim axioma juris : *non creditur referenti, nisi constet de relato.*

Deinde premenda sunt ipsa JCti nostri verba, qui legem de finium ratione non fuisse eandem cum lege Attica profitetur; sed *quodam* tantum *modo* ad ejus *exemplum* scriptam (2). Unde clare patet, fuisse inter utramque legem quandam *differentiam.*

Tum, legem nostram jam ab ipso Numa rege sancitam fuisse, vero est simillimum. Cum enim Romulus sciens prudensque

(1) Bach. pag. 60. — Gothof. pag. 126. — Bouch. Vol. I. pag. 66 sq. — Terras. pag. 168, coll. cum Bouch. Vol. I. pag. 144 sq. — Cfr. Poth. pag. 132, in Praef. — Boulage pag. 198.

(2) Poth. pag. 135. Hoc loco tenenda sunt, quae profert D'Antoine (Règles de droit) pag. 70 ad Reg. 15 : « Des termes semblables ont été inventés par les jurisconsultes, pour modifier l'expression dans les cas, où il n'est pas permis d'assurer, qu'une chose est effectivement véritable ». Unde Bouchaldus (II. p. 82) : « Le jurisconsulte ne rapporte aucun terme de la loi décemvirale : il résulte seulement du passage de Caius, qu'à l'imitation de la loi de Solon, les Décemvirs avaient réglé l'espace, qu'un propriétaire devait laisser entre son terrain et celui du voisin, quand il voulait ou bâtir, ou creuser, ou planter ».

nullos constituisset agri Romani terminos, quibus agrum suum distingueret a vicinis; hoc vitium facile animadvertit Numa, rex justissimus, qui ne eodem vitio nomen regium suum macularet, prudenter arbitria fecit de *publicis et privatis agrorum terminis :* quapropter termino, tanquam Deo finium tutori, templum statuit jussitque sacra terminalia esse incruenta.

De qua re haec lege apud Plutarchum (1): « Primo, aiunt, illum fundasse Termini templum; terminus autem erat Limes, cui sacra faciunt *publice privatimque* pro finibus agrorum. Videtur autem rex partitus fuisse terram, cum Romulus noluisset proprietatis modum definire »; et apud Dionysium : *τῆς μὲν αὐταρκείας καὶ τοῦ μηδένα τῶν ἀλλοτρίων ἐπιθυμεῖν, ἡ περὶ τοὺς ὁρισμοὺς τῶν κλήσεων νομοθεσία.* Continentiae et justitiae exemplum praebet lex de finibus possessionum lata; voluit enim, ut singuli suis contenti, aliena vi dolove non invaderent. Legem de termino non movendo supra attulimus (2). Quae adhuc a nobis prolata sunt, confirmantur testimonio Ciceronis (3). Atque legimus etiam apud Dionysium (4), Servium Tullium legem tulisse de agro publice privatimque usurpato;

(1) In vit. Numae p. 70 sq. — DIONYS. II. p. 52.

(2) FEST. sub v. *Terminus*. — BACH. pag. 11. — PLIN. Hist. Naturalis XXXII. 2. — GUNTHER pag. 22 seq. — TERRAS. Part. II. § 6. pag. 43. — BONAMY pag. 33. — BOUCH. Vol. I. pag. 67. 68.

(3) L. I. II. 14. — MAJUS ad hunc locum edit. VILLEMAIN. Vol I. pag. 355 sq.

(4) IV. 216 — GUNTHER pag. 29.

unde saltem sequitur, legem, nisi a Numa, certe a S. Tullio repetendam esse.

Accedit communis hominum necessitas, quae leges postulat de finium ratione in plantandis arboribus aut fossis, juxta fundum alienum ducendis, certo constituenda. Unde eadem res apud omnes populos antiquissimos (e. g. Hebraeos) invenitur (1).

Tu vero jam vide, quae de eodem argumento disseruit Bonamyus (p. 46) : « Peut-on se persuader, que les lois, qui sont dans la septième et huitième table, sous les titres de *delictis* et *de juribus praediorum*, aient été empruntées des lois de Solon, plutôt que de celle de Numa ou d'Ancus Martius? Et les *Romains*, *à qui* Romulus n'avait permis, que deux exercices, ceux de la guerre et ceux de l'agriculture (2), *auraient-ils attendu jusqu'au temps des Décemvirs*, *à avoir des lois fixées sur ce qu'on doit observer parmi eux dans les contestations*, *qui pouvaient survenir au sujet des limites et des dégâts de terres* » ?

§ LXXI. « Si jurgant ad fines, finibus regundis Praetor arbitros tres addicito (3) ».

(1) *Deuter*. XIX. 14. XXVII. 17. — *Proverb*. XXII. 28. — JOSEPHUS Ant. Jud. c. 8. § 18. — DE PASTORET III. pag. 439. — BOUCH. Vol. I. pag. 115. — DEGHEWIET Inst. du droit Belg. Tom. II. Part. III. tit. 1. § 10. pag. 123.

(2) DIONYS. II. 8.

(3) CIC. De Legg. I. 21. — De Rep. IV, apud *Nonium Marcellum* sub verbo *Jurgium*, cap. 5. pag. 430. — BOUCH. Vol. II. pag. 85. — GOTHOF.

Quae plane desideratur in legibus Atticis. Verum quidem est, apud Athenienses de arbitris ad lites dirimendas constitutis sermonem esse (1) : in jure autem Attico arbitri non erant *judices*, a *Praetore dati*; sed solummodo *privati* homines, qui sententiam ferebant ex compromisso et consensu litigantium (2).

§ LXXII. Legem : « Si arbor in vicini fundum impendet, XV pedibus altius sublucator (3) » — refert Ulpianus (4) his verbis : « Si quidem arbor aedibus impendeat, succidi eam praecipitur. Si vero agro impendeat tantum, usque ad XV pedes a terra coërceri » : cui adde Pomponium (L. 2 eod.) : « Si arbor ex vicini fundo vento inclinata in tuum fundum sit, ex leg. XII Tab. de adimenda ea recte agere potes, jus ei non esse ita arborem habere »; de qua pariter in Solonis institutis nihil invenitur.

§ LXXIII. « Si glans in emem caduca siet, domino legere jus esto (5) ». Hujus legis sententia haec est : dominus fruc-

pag. 127. — BACH. pag. 60 seq. — GUNTHER pag. 57. — TERRAS. Part. II. § 10. pag. 169. — POTH. pag. 102, in Praef. — BOULAGE pag. 192 sq.

(1) DEMOSTH. Midian. p. 344. — PETIT. L. IV. tit. 5. n° 1. pag. 434.

(2) HERALD. V. 14. — ULP. ad Midian. p. 342.

(3) FEST. sub v. *Sublucare*. — L. 2 Dig. de arb. caedendis. — BACH. pag. 62 sq. — GOTHOF. pag. 127 sq. — BOUCH. Vol. II. Lib. II. pag. 96 seq. — TERRAS. pag. 171. — GUNTHER p. 57. — DIRKSEN p. 424 seq. — WARNKŒNIG Comm. § 205. — POTH. pag. 136 sq. — BOULAGE pag. 193.

(4) L. 1. § 9 Dig. de arborib. caed.

(5) BACH. pag. 62 seq. — PLIN. Hist. Naturalis XVI. 5. — Lex 136 Dig. V. S. — TERRAS. pag. 171 sq. — BOUCH. Vol. II. pag. 98. — GOTHOF.

tus ex arbore sua in fundum alienum procidentes colligere potest; cujus mentionem facit Plinius (H. N. XVI. 5): « Glandes opes esse nunc quoque multarum gentium, etiam pace gaudentium, constat. Cautum est praeterea lege XII Tab. ut glandem in fundum alienum procidentem colligere liceret ». *Glande* autem omnes fructus continentur (1).

Lex, rei naturae omnino consentanea! Si enim aliquis dominus est fructuum, potest eos vindicare apud omnem possessionem, et licet in fundum alienum ceciderint, pristini domini esse propterea non desinunt. Attamen lex abest a Solonis legibus. Addamus legem : « Si aqua pluvia manu nocet, Praetor arcendae aquae arbitros tres addicito noxaeque domino cavetor ». Legis interpretatio haec : Si ex opere manu facto aqua pluvia vicino nocere poterit, Praetor ad arcendam aquam, ne noceat, tres arbitros dabit et jubebit vicinum, qui opus fecerit, cavere de damno infecto, id est, dare cautionem, se reparaturum esse damnum, quod in vicinum redundare poterit (2). Eam non minus naturalem esse altera, ex principio juris sequitur : *melius est ab initio intacta jura servare, quam vulnerata caussa remedium quaerere.*

De ea vero non minus silent leges Atticae; sine dubio,

pag. 128. — POTH. pag. 137. — BOULAGE pag. 194. — THIBAUT Civil. Abhandlungen p. 1-16. — *Archiv.* für civil. praxis I. p. 116-119. — WARNKŒNIG Comment. jur. § 206.

(1) Ut legitur in L. 236. V. S. et L. unica § 1 Dig. de glande legenda.

(2) BACH. pag. 62 sq. — L. 22. Dig. de statu lib. — Lex 5 Dig. ne quid in loco public. — BOUCH. Vol. II. pag. 99 seqq. — CIC. Topic. 9. — GOTHOF. pag. 128. — TERRAS. pag. 166 seqq. — POTH. pag. 137 sq.

quia nemo aliter judicare aut sentire posse videbatur. Cur igitur Romani tulissent legem tam manifestam? Primo, quoniam haec est Romani populi proprietas, rem quamvis, licet manifestissimam, lege sancire, quam dubio relinquere. Deinde, quoniam de *legibus* SCRIBENDIS, non de *ferendis*, sermo erat: scribi autem debuerunt, quoniam *violentia* Patrum *naturalem* justitiam spreverat.

§ LXXIV. « Via in porrecto VIII pedum, in anfracto XVI pedum lata esto (1) ». Via distinguenda est ab actu et itinere. Iter significat jus eundi, ambulandi, ab homine usurpatum; non etiam *agendi pecus*, aut ducendi vehiculum (L. prim. Dig. de servit. praed. rust.): *actus* erat jus et eundi et agendi vel jumentum vel vehiculum; nec tamen onustum (Lex. 1 et 11 eod.): tandem *via* est jus et eundi et agendi et vehicula onusta per alterius fundum ducendi; igitur via complectebatur et actum simul et iter (2). Latitudo viae, qua se porrigit, VIII pedum est, et ubi flexa est, sedecim (3). Sed hu-

(1) VARRO De L. Lat. VI. 2. p. 68. — L. 13. § 2. 3. L. 8 Dig. de serv. praed. rust. — BOUCH. Vol. II. pag. 102 sqq. — GOTHOF. pag. 128 seq. — L. 6 Dig. quem servit. amitt. — TERRAS. Part. II. § 10. pag. 163. — POTH. pag. 138. — MERLIN Rep. de jur. sub v. *Servitude* § 10. Tom. XII. pag. 26. — BOULAGE pag. 195.

(2) VARRO Ling. Lat. IV. pag. 9. — HEINECC. Antiq. Lib. II. tit. 3. § 10 sq. — Idem ad Inst. § 408. — BOUCH. Vol. II. pag. 103 sq. — BYNKERSHOEK Obs. jur. Rom. IV. 7. p. 365. — HOTMAN Obs. II. 21. — RITTER De itiner. act. et viae diff. adject. Theoph. edit. *Reitzian.* pag. 1288. — CUJAC. Obs. XXII. 35. — GLUCK Comment. Tom. X. § 674-676. — THIBAUT Pandect. § 608. — SOMMER Archiv für civil. Praxis. Tom. III. n° 20. Tom. IV. n° 20.

(3) L. 8. Dig. de Serv. praed. rust. — VARRO l. l. VI. 2. pag. 48. —

jus nec flexae nec porrectae viae, nec legis vestigium ullum in jure Attico invenitur.

§ LXXV. Ultima lex Tabulae VIII haec est : « Si via amsegetes immunita escit, qua volet jumentum agito »; cujus sensum sic explicat Buchaldus : (Vol. II. p. 106) : « Que ceux, qui possèdent des champs limitrophes d'un chemin, soient tenus de faire au chemin quelqu'espèce de fortification; si l'un des propriétaires laisse le chemin ouvert du côté de son terrain, qu'il soit libre à chacun de profiter de cette ouverture, pour mener sur le terrain du propriétaire négligent du bétail, ou des bêtes de somme partout où il voudra » (1).

Nec tamen eandem omnes eodem modo interpretantur. Et Gravina quidem (2) legem sic vertit : « Si quelqu'un doit à un autre la servitude *via*, il doit avoir soin, que le chemin soit bien fortifié et bien entretenu pour la commodité du chariot; que s'il néglige de le faire, alors en vertu de la loi des XII tables le propriétaire du fond dominant a le droit de conduire un chariot sur le fond servant ». Aliter sentit Clar. Bouchaldus (Vol II. p. 107) qui, « cette loi, ait, se rapporte aux chemins publics. Les propriétaires de fonds de terres limi-

Heinecc. ad Instt. § 408. — Deferrière Diction. de Droit s. v. *Servit.* Vol. II. p. 935. — Cl. Warnkœnig Comm. Jur. R. § 292. — Hugo Rechts-Gesch. p. 141. — Puchta Civil. Abhandl. p. 77-166.

(1) Terras. pag. 163. — Cic. pro Caecina 19. — Fest. sub verbo *Amsegetes.* — Gravina ad XII Tab. cap. 33. — Gothof. pag. 130. — Bach. pag. 62 seq. — Gunther pag. 57 seq. — Bouch. Vol. I. pag. 106. — Poth. pag. 138 sq. — Boulage pag. 195 sq.

(2) Ad XII Tabb. c. 33.

trophes d'un chemin étaient obligés de faire au chemin quelque espèce de fortification : de là les anciens disaient souvent, *munire viam*, c'est-à-dire, accommoder un chemin, et le Préteur proposa un interdit de *via publica* et *itinere publico reficiendo* ». Quaenam verior sit legis explicatio, neque e Graecis, nec ex aliis legibus peregrinis efficitur : *quia lex Romanis priva fuit*.

§ LXXVI. *De hereditatibus et tutelis*.

« Paterfamilias uti legassit super pecunia tutela ve suae rei, ita jus esto (1) ».

Latissime igitur patuit haec testandi facultas : pater ex arbitrio de bonis disponere, filium exheredare aut heredem instituere potuit, quin ullus querendi locus liberis superesset. De ea re egregie Gibbonus : (pag. 61) : *Un monarque*, scribit, *domestique*, qui régnait sur la vie et la fortune de ses enfans, pouvait régler leur part selon le degré de leur mérite ou de son affection : il pouvait punir un indigne fils par la perte de sa succession et la honte de se voir préférer un étranger ». Atque licet filius optime de patre et republica

(1) Vocem *Paterfamilias* in ea lege spuriam esse plurimi contendunt : — ULP. tit. 11. § 14. — GAJUS Comment. II. § 224. — L. 120 Dig. de V. S. — CIC. De Invent. II. 50. — *Auct. ad Herennium* I. 13. — Cfr. BACH. pag. 48 sq. — GOTHOF. pag. 95. — Princ. Dig. ad leg. Falc. — TERRAS. Part. II. § 7. pag. 119 seqq. — BOUCH. Tom. I. pag. 486 sqq. — GUNTHER pag. 62. 63. — POTH. pag. 99 sqq. in Praefat. — BOULAGE pag. 144.

fuisset meritus, nihilominus successione privari poterat (1). Haec lex est sequela patriae potestatis, quae, hoc sensu, soli Romanae civitati propria fuisse videtur : nam jure Attico ante Solonem nemini licebat extra gentem et familiam suam heredem scribere; cujus ratio prostat apud Platonem (XI. p. 923); quia nimirum bona sint, non testantis, verum gentis et familiae.

Mutavit quidem Solon illud jus concessitque liberam testandi facultatem *civibus* (non adscitis et plebiscito civitate donatis), MODO NON EXSTARENT LIBERI MASCULI (2).

In hoc enim casu *filiis* relinquenda erat hereditas, nisi illi a magistratu ob pravos mores ea fuissent privati. Praeterea patris testamentum impugnari poterat, si ille aut morbi, aut senectutis, aut veneficii causa sanae mentis non fuerit; sive uxore suadente, aut necessitate aliqua, vel vinculorum taedio coactus fuerit (3).

Si vero filia tantum superstes esset, licebat bona sua testa-

(1) CIC. De Oratore I. 38. — PLIN. VI. 33. — VAL. MAX. VII. 7. — HEINECC. Lib. II. tit. 10. § 20. — LIBBRECHT de legitima p. 2. 3.

(2) PLUT. in Solone pag. 90. — DEMOSTH. cont. Steph. II. pag. 635. — PETIT. Lib. VI. tit. 6. n° 1. 3. pag. 577 sqq. — MEURSIUS in Themid. Attica Lib. II. cap. 13. — FABROT. Exercitat. 4. — TERRAS. pag. 17 et 18. — BOUCH. Vol. I. pag. 95. 490. — HEINECC. Lib. II. tit. 10. § 5, et ibi *Haubold*. — GRONOVII Thesaur. Vol. V. pag. 2029. — OTTON. Thes. IV. pag. 403. — BARTHEL. Vol. I. pag. 90. — MONTESQ. Esprit des Lois Lib. V. ch. 5. — DEMOSTH. ἐν τῷ πρὸς Λεπτίνην pag. 299.

(3) DEMOSTH. contr. Steph. p. 635. — PETIT. L. VI. tit. 6. n° 3. p. 578. 580.

tamento legare alteri; hac tamen lege, ut ille filiam superstitem *uxorem duceret* (1).

Ex his omnibus patet, quanta differentia intercedat inter jus decemvirale et Atticum. Apud Romanos enim nullis omnino limitibus circumscribitur facultas testandi; sola patris voluntas summa lex est : jure Attico circa has res patris voluntas nulla est. Sed Romae quoque illud jus ante Duodecim valuerat; ut constat ex testamentis *in procinctu confectis*, quae jam tempore *Coriolani* in usu fuere (2). Testamenti vero *in calatis comitiis*, auctore universo populo et collegio Pontificum jam sub regibus facti, idem meminisse videtur Plutarchus (3); ubi Tarrutius Anci Marcii temporibus Laurentiam dicitur τελευτήσας ἀπολεῖψαι κληρονόμον, quae enunciatio aliâs *hereditatem testamento delatam* indicat. Et ante ipsam adeo conditam Urbem testamenti factio, ex patria potestate, in Italia viguit. Procas enim, rex Albanus, Numitori filio, qui stirpis erat natu maximus, regnum vetustum Sylviae gentis legasse dicitur a Livio (I. 31.). Lucumonem quoque, Tuscum, Romuli seu Numae tempore, qui testamento praeterisset Posthumum nepotem, allegat idem (I. 3.). Quae cum ita sint, falluntur interpretes, qui testamenta exemplo juris *Attici* recepta fuisse opinantur (4).

(1) ISAEUS ἐν τῷ ὑπὲρ τοῦ Πύῤῥου κλήρου, pag. 42. 44. — PETIT. Lib VI. tit. 6. n° 5. pag. 582 sq. — BARTHEL. Vol. I. pag. 89. cfr. ISAEUS ἐν τῷ περὶ τοῦ Ἀριστάρχου κλήρου p. 81.

(2) PLUT. Coriol. 9.

(3) Quaest. Rom. 35.

(4) HERALDUS Rerum quotid. cap. ult. § 4. 9. — BOUCH. Vol. I. pag. 491. — HEINECC. Lib. II. tit. 10. § 1. 5. — PERIZON. ad leg. Voconiam pag. 134. — MÉMOIRES de l'Acad. des Inscript. Vol. XXXVII.

Praeterea lex nostra non majorem habet cum *Spartanis* institutis similitudinem. Nam Lycurgus, agro Laconico inter cives diviso, prohibuerat alienationem fundorum, ne agri tribubus et familiis, quibus in divisione contigissent, auferrentur. Pater testamento non potuit de agro disponere; sed tenebatur lege, ut eundem filio primogenito traderet (1).

Verba legis nostrae « *de pecunia tutelave suae rei* » patent latissime. Sensus enim eorum hic est : quamcumque legem pater familias in testamento suo dixerit, et quocumque modo disposuerit cum de agro, tum de reliquis rebus suis, tum vero etiam de ipsis rebus ac facultatibus liberorum, per substitutionem nimirum pupillarem, ita ratum post mortem futurum. Substitutio pupillaris in lege nostra fundamentum suum habet. *Suis* enim, patris, rebus etiam adcensebantur *filii-familias*, qui tanquam res mancipi in dominio juris Quiritium erant (2).

Sunt forte, qui dicant, eam legem ex Atticis institutis fuisse desumtam : Solonem enim tulisse legem hanc : « Si pater testamentum scripserit et liberis Masculis heredes substituerit, si ante annum vicesimum aetatis liberi decesserint, testamentum patris ratum esto (3) ».

(1) PLUT. in vita Lycurgi pag. 44. — HERACLIT. De Polit. in Antiq. Graec. Tom. VI. pag. 2823. — ARISTOT. De Rep. II. 329. — PLUT. in Agide et Cleom. pag. 797. — BARTHEL. Vol. IV. pag. 125 seq. — BOUCH. Vol. I. pag. 95. — GRONOVII Thesaur. Vol. V. pag. 2601. — HERODOT. V. 42.

(2) BYNKERSHOEK De jure occidendi lib. I. pag. 145. — HEINECC. Lib. I. tit. 9. § 1; Lib. II. tit. 15. § 2. — MEERMAN. De rebus mancipi § 103. 164. — BOUCH. Vol. I. pag. 492.

(3) DEMOSTH. contr. Steph. pag. 637. — PETIT. Lib. VI. tit. 6. n° 4. pag. 582, coll. cum pag. 50 sq.

Sed ex hac quoque lege nihil efficitur, quod nostram sententiam infringere possit: quia, primum, in annis numerandis uterque populus a se discedit. Apud Romanos enim pater non poterat filio substituere, nisi usque ad annum vicesimum (1). Deinde quia necesse non erat, ut Romani aliunde quaererent, quod habuere ipsimet.

Liberi enim, ut vidimus, ratione patris, non personae erant, sed res, et haec quidem ex ipsa lege Romuli (Dionys. VIII. 79); non igitur *sibi* acquirebant, sed *patri*, qui liberam habebat rerum omnium, quas liberi quocumque titulo acquisivissent, dispositionem adeo, ut eas liberis non solum, sed etiam peregrinis donare posset (2). Inde (in leg. 2 Dig. de vulg. et pupillari substitutione) dicitur: pupillarem substitutionem MORIBUS esse inductam (3); quae verba nostram sententiam insigniter confirmant: illorum vero, qui peregrinam originem quaerunt, penitus evertunt (4). Potuit igitur pater de Tutela liberorum disponere; et haec est tutela, quae testamentaria vocatur, tam vetusta, ut exemplum ejus tempore etiam regum reperiamus. Ancum enim Marcium filiis tutorem dedisse L. Tarquinium Priscum refert Livius (I. 46).

(1) HEINECC. Lib. II. tit. 15. § 4. — Ad Instit. § 559 seq. — VOET ad Pandect. Lib. XXVIII. tit. 6. n° 16. — HUBERUS ad Inst. Lib. II. tit. 15. n° 1 seqq. — MERLIN Repertoir sub vv. *Substitution directe*, § 2 seqq. Vol. XII. p. 273 sq.

(2) SENECA De Beneficiis VII. 4. — DIONYS. VIII. 79. — SUETON. in Tiberio 15. — SEXT. EMPIR. Pyrrhon. hypot. III. 24. — ARRIANUS Epictet. II. 10. — HEINECC. Lib. I. tit. 9. § 7. et L. II. tit. 9. § 1. — GIBB. pag. 40.

(3) CUJAC. Observ. VII. 6.

(4) HEINECC. Lib. II. tit. 15. § 4. Lib. II. tit. 10. § 5. 6.

Cum autem Tarquinius nec adgnatus fuerit, nec eo tempore leges de dativa tutela exstarent, illa tutela procul dubio testamentaria fuit (1).

§ LXXVII. *De successione legitima.*

« Ast si intestato moritur, cui suus heres nec escit, agnatus proximus familiam habeto. Si adgnatus nec escit, *Gentiles* (2) ». Romani in successione intestatorum id agebant, ut res familiaris apud familiam maneret, nec ad alias gentes transiret. Igitur non alios ad intestatorum hereditatem vocabant, quam eos, qui ejusdem essent gentis et familiae (3).

Primo intestatorum hereditas deferebatur *heredibus suis*. Vocabantur *heredes sui*, qui in potestate defuncti constituti erant, quique proximum potestatis locum obtinebant, *filii* et *filiae* (4).

Deinde, *sui heredes* erant *nepotes* et *neptes* e filiis, quos in potestate avus habebat; modo in potestatem patris non

(1) HEINECC. Lib. I. tit. 13. n° 1. 9 sq. — BOUCH. Vol. I. pag. 492. — Cfr. BONAMY p. 86.

(2) Collat. Legg. Rom. et Mos. XVI. 2. — CIC. De Inventione II. 50. — *Auctor ad Herennium* I. 13. — ULP. fragm. tit. 26 princ. — L. 9. § 2 Dig. de libert. et posthumis. — Leg. 162 et 195 Dig. de V. S. — § 2. Instit. de hered. quae ab intestato. — BOUCH. Vol. I. pag. 493 seqq. — GOTHOF. pag. 100. 101. — TERRAS. pag. 126 seqq. — POTH. pag. 101 sq. in Praefat. — BOULAGE pag. 145.

(3) BYNKERSHOEK Obs. II. 1. Vol. I. pag. 109 sq.

(4) GAIUS Comm. III. 1. — PERIZON. De Lege Vocon. pag. 133. — HEINECC. Lib. VII. tit. 1. § 3.

recidere deberent (1). Tum *uxor*, quae in manum convenerat, et nurus, quae in manu erat filii, quem quis in potestate habebat (2).

Jam sub regibus *heredes sui* primi omnium ab intestato succedebant (3); unde patet, legem vere Romanam fuisse. Tenenda praeterea est differentia inter Romanas leges et Atticas. Apud Athenienses enim primo ordine *filii* ad successionem vocabantur; quibus solum deficientibus admittebantur *filiae* (4); apud Romanos vero *filiae* quoque erant *heredes sui*, nec a filiis excludebantur, nullaque erat sexus ratio (5). Deficientibus *heredibus suis* vocabantur agnati.

Agnatos vero esse dicunt JCti *cognatos per virilis sexus personas cognatione conjunctas*, sive naturalis ille nexus sit, sive civilis, ut adoptio (6).

(1) GAJI Instit. III. 3. 6. — PAUL. Sent. R. IV. 8. 4. — TOULLIER Vol. IV. pag. 78.

(2) ULP. Fragmenta XXII. 14. — Collat. Legg. Rom. et Mos. XVI. 2. — PLUT. Quaest. 35. — GELL. XVIII. 6. — DIONYS. II. 25. — BOUCH. Vol. I. pag. 494. 532. — TERRAS. pag. 126. — HEINECC. Lib. I. tit. 10. n° 4. 6. Lib. III. tit. 1. § 1 seqq.

(3) DIONYS. II. pag. 95. — SCHULTING ad Ulp. Fragment. pag. 665. — TOULLIER Vol. II. n° 119. 120. 122. — MONTESQ. Esprit des lois, L. XXVII. cap. unic. — Errat autem insigniter GALUANUS De usufructu cap. 8. § 13 seqq. — Cfr. MACROBIUS Saturn. I. 10. — PLUT. Quaest. 35.

(4) BOUCH. Vol. I. pag. 494. — HEINECC. Lib. III. tit. 1. § 2. — PETIT. Lib. VI. tit. 6. n° 9. pag. 585. — GIBB. pag. 58. 147 sq.

(5) Vid. § 5 Inst. De exhered. liber. — Lex 14 Cod. de legit. hered. — PERIZON. l. l. p. 133.

(6) Principio § 1 et 2 Instit. de legit. adgnat. success. — BOUCH. Vol.

Nec tamen omnibus simul agnatis dabatur hereditas, sed ei tantum, qui tunc, cum certum erat, aliquem intestato decessisse, proximo gradu erat (1). Sin vero plures ejusdem gradus essent adgnati, omnes succedebant in capita, sive masculi essent, sive mulieres. Nullum enim XII Tabularum ratione sexus discrimen constitutum erat (2). Deficientibus agnatis succedebant *gentiles* (3).

Ad hanc vocem consule Buchaldum (4), cujus haec sententia est : « Chez les Romains chaque famille était distinguée par son nom : de là l'une s'appelait la famille *Cornelia;* l'autre la famille *Sempronia;* l'autre la famille *Tullia;* l'autre *Cincia*, et ainsi du reste; mais de même, que pour l'ordinaire, chaque famille (gens) se divisait en différentes branches (stirpes ou familias); de même à Rome une branche avait plusieurs lignées, dont chacune avait son surnom particulier. Nous lisons dans Festus au mot *gens : gens appellatur, quae ex multis familiis conficitur.* C'est ainsi que de la famille Cornelia naquirent les branches des Scipions, des Lentulus, des *Sulla*, des *Cinna*, des *Cossus*, des *Dolabella.* Comme les branches d'une famille se subdivisaient elles-mê-

I. pag. 501. — GAJUS I. 155. Comm. III. § 10. 21. — PUTTMANNUS De Interpretation. et Observ. cap. 10. — HEINECC. Lib. III. tit. 2. § 1. — TERRAS. Part. II. § 7. pag. 127 sq. — GOTHOF. pag. 99 sq. — POTH. pag. 102. — BONAMY p. 87. — WARNKOENIG Comment. Juris Rom. § 50.

(1) HEINECC. L. III. tit. 2. § 3. — GAJUS Comm. III. 11. 13.

(2) § 3. Instt. de legit. adgn. tutela. — PAULI S. R. I. 4. 8. 22. — BOUCH. I. p. 504. — HEINECC. L. III. tit. 2. § 4.

(3) GAJUS Comm. III. § 17.

(4) Vol. I. p. 501 sq.

mes quelquefois en nouvelles souches ou lignées, il fallait aussi les distinguer par une autre espèce de surnom, qui appelait *agnomen*. C'est ainsi que la famille Virginia avait plusieurs branches; de là les surnoms, *cognomina*, des Tricostus, des Rufus; d'où naquirent les surnoms, *agnomina*, des Rutilus, Coelimontanus. Ainsi les Romains usèrent de beaucoup de noms, dont le premier, qui était propre à la personne, s'appelait *praenomen*; le second, qui était commun à toute la famille, s'appelait *nomen*; le troisième, qui désignait telle branche de cette famille, s'appelait *cognomen*, et le quatrième enfin, qui, pour l'ordinaire, marquait une souche de cette branche, ou qui indiquait quelqu'action éclatante, comme celui d'Africanus, qu'on donna aux Scipions : ou qui marquait, soit quelqu'habitude, soit quelque défaut du corps, comme ceux de Cicéron, de Balbus, etc. : ce quatrième nom, dis-je, s'appelait *agnomen*. C'est ainsi, que dans le nom d'Aulus-Virginius-Tricostus-Coelimontanus, Aulus était le nom propre et personnel à ce Romain; Virginius était le nom de famille (nomen gentilitium); Tricostus était le surnom (cognomen), qui désigna la branche de la famille Virginia, d'où Aulus était issu; et enfin Coelimontanus était l'autre espèce de surnom (agnomen), qui marquait une certaine souche ou lignée de cette branche. Il est maintenant aisé de voir, quels sont ceux, qui furent appelés agnats, et ceux, qu'on nomma gentils. Tous ceux, qui étaient de la même branche s'appelaient agnats : par exemple tous les Scipions étaient les agnats de P. Cornelius Scipion : mais tous ceux, qui étaient issus de la même famille Cornelia, tels que les Lentulus, les Cossus, les Sulla, les Cinna, les Dolabella, étaient les gentils de ce P. C. Scipion. De là Cicéron, in Topic. c. 6, dit: gen-

tiles sunt, qui inter se ejusdem nominis sunt, qui ab ingenuis oriundi sunt, quorum majorum nemo servitutem servivit, qui capite non sunt diminuti — et Festus, au mot Gentilis : gentilis dicitur et ex eodem genere ortus, et is qui simili nomine appellatur, ut ait Cincius : gentiles mihi sunt, qui meo nomine appellantur. Il paraît donc, que tous ceux, qui portaient le même nom de famille, étaient *gentils* (1) ». Si res ita se habeant, manifestum est, in successionibus ab intestato legem XII Tabularum a domo ad familiam, a familia ad gentem processisse, ne bona, si cognati succederent, in aliam gentem transferrentur (2). Cui rei leges Atticae prorsus adversabantur. Nam secundum eas, si quis sine liberis decedebat, vocabantur primum *germani fratres* et *fratrum legitimi filii*; sin vero nulli erant fratres, aut e fratribus nati, hoc jure gaudebant *sorores* SORORUMque LIBERI, hereditate ex aequo divisa.

Cum vero nullae essent sorores sororumve liberi, caeteri *fraterni* hereditatem sibi vindicare poterant (3), ita tamen, ut mares et qui e maribus erant nati, in eodem cognationis gradu praeferrentur, ac genere adeo remotiores, usque ad *sobrinorum paternorum* filios. Hac cognatione paterna deficiente ad *maternam* res transiit atque ad hereditatem vindicandam vocaban-

(1) HEINECC. Lib. III. tit. 2. § 2. — POTH. pag. 102.

(2) BYNKERSH. Observ. II. 1. — HEINECC. Lib. III. tit. 3. § 7. — BOUCH. Vol. I. p. 501. — BONAMY pag. 89. — GIBB. pag. 55. 60.

(3) DEMOSTH. ἐν τῷ πρὸς Μακάρτατον p. 607. — PETIT. Lib. VI. tit. 6. n° 9. pag. 585 seq. — BOUCH. Vol. I. p. 96.

tur, eodem ordine et jure, cognati materni; in quibus tamen cognationibus constanter paternis et maternis *mares* praeferebantur. Aliter apud Athenienses res se habuit: nam deficientibus defuncti liberis, fratribus eorumque natis atque sororibus, *non adgnati* praeferebantur, ut in XII Tabulis, sed sororum filii, qui ad cognatos pertinuere, adgnatos excludebant; cum apud Romanos sororum filii, utpote *cognati*, agnatis *postponerentur* (1). Porro in legibus Atticis fratres eorumque liberi sorores excludebant; contra, secundum Duodecim, fratres et sorores *aequis partibus* ad successionem vocabantur (2). Praeterea distinctio ex jure Attico, qua etiam in cognationibus maternis et paternis masculi feminis praeferebantur, apud Romanos non valebat. Duodecim enim, ut optime observat Justinianus (in § 3. Instit. de legitima agnat. successione), nullam differentiam statuerant inter agnatos et *agnatas*; sed omnes agnati, sive masculini illi fuerint, sive feminini, et cujuscumque tandem gradus, ad successionem pervenerunt (3). Aliter fiebat ex legibus Atticis, ubi, exceptis tamen successionibus dividendis inter fratrem et alterius fratris natos, inter sorores defuncti sororumque liberos, semper *mares* e maribusque nati feminis anteponebantur, sive ejusdem

(1) ISAEUS ἐν τῷ ὑπὲρ τοῦ Ἀπολλοδώρου κλήρου, p. 65 sq. — PETIT. pag. 586. — BOUCH. Vol. I. pag. 500. 504. 533 et 534. — BONAMY p. 90. — BOULAGE pag. 151. 152.

(2) ULP. Fragmenta tit. 26, principio. — Coll. Legg. Rom. et Mos. — tit. ult. § 4. — § 3 Inst. de legit. agnat. tutel.

(3) § 5. Instit. de exhered. lib. — L. 9 Cod. Theod. de bonorum proscrip. — L. penult. et ult. Cod. de legit. heredit. — PAULUS S. R. IV. 8. 3. 22. — GIBB. pag. 58. 59. — BOUCH. Vol. I. pag. 504. — HEINECC. Lib. III. tit. 2. § 4.

gradus, sive etiam genere remotiores, usque ad sobrinorum paternorum filios (1). Porro ille successionis ordo Romanis proprius erat, quo vocabantur gentiles, sive omnes, qui eodem nomine utebantur (2).

Insuper apud Romanos, quum mater non haberet liberos in potestate, ex XII Tabulis matris intestatae hereditas non ad illos pertinebat; suos enim heredes feminae non habebant. Vicissim mater, quae agnata non censebatur, nisi in manum convenisset, nullum jus habebat in hereditatem liberorum (3). Contra Athenienses diverso prorsus jure utebantur. Praeterea tenendum est, ex legibus Atticis, deficiente paterna cognatione, maternam vocari. Ex XII vero Tabulis adgnati quidem admittebantur, nunquam vero cognati (4). Nam praeter heredes *suos*, *adgnatos* et *gentiles*, nullus jure decemvirali succedendi ordo prostat. Porro apud Romanos uxor, quae in manum convenerat, loco filiae erat et succedebat cum liberis defuncti (5). Secus apud Athenienses, qui matri-

(1) S. PETIT. pag. 586. — BARTHEL. Vol. I. pag. 89. 90.

(2) HEINECC. Lib. III. tit. 2. § 2. — GIBB. pag. 59. — LIV. X. 7. — BOUCH. Vol. I. pag. 501 seq. — BONAMY p. 88. — TERRAS. pag. 127 sq.

(3) Princip. Instit. de SCto Tertulliano. — HEINECC. Lib. III. tit. 4. § 1. Lib. III. tit. 3 principio. — ULP. Fragmenta XXVI. 7. 8. — DELVAUX De Repraesent. ex jure Rom. et Hodierno Lov. 1826. pag. 15. — BONAMY p. 87 sq. — GRAVINA De Leg. et Senatusc. p. 312.

(4) TERRAS. pag. 126. — GOTHOF. pag. 99 sqq. 168 sq. — BOUCH. Vol. I. pag. 506. — BONAMY p. 87 sqq. — Princip. Instt. de success. cognat. — HEINECC. Lib. III. tit. 5. § 1. — GIBB. pag. 60.

(5) DIONYS. II. 26. — PLUT. Quaest. Rom. 35. — MACROBIUS Saturn. I. 10. — GELL. XVIII. 6. — BOUCH. Vol. I. pag. 532 sqq. — Cfr. CIC. Topic. cap. 3 sq. — TACIT. Annal. IV. 16. — TOULLIER Vol. II. n° 119 sq. 122.

monium per conventionem in manum ne nomine quidem habebant. Denique nulla etiam ratione leges XII Tabularum de ordine succedendi cum Laconicis institutis cohaerebant. Apud Spartanos enim filius primogenitus hereditatem sibi vindicabat, reliquis penitus exclusis (1).

§ LXXVIII. « Si libertus intestato moritur, cui suus heres nec escit, ast patronus patronive liberi escint, ex ea familia in eam familiam proximo pecunia adduitor ». Superius jam vidimus summam necessitudinem, quae inter patronos et libertos intercedebat. Lex, de qua agimus, illius necessitudinis argumentum esse potest. Quemadmodum enim ingenuis primo loco heredes sui, secundo adgnati succedebant, ita ad libertorum successionem primo loco heredes sui, secundo patroni patronorumque liberi vocabantur (2).

Patroni enim eodem apud Romanos jure censebantur, ac agnati (3). Liberto igitur succedere non potuit patronus, si ipsi heredes fuere *sui*, qui erant liberi naturales et adoptivi, ut etiam uxor, quae in manum convenerat. His vero deficientibus licebat quidem liberto, testamento facto, patronum

(1) HERACL. de Polit. in Ant. Graec. Tom. VI. pag. 2823. — BARTHEL. Vol. IV. pag. 126.

(2) ULP. Fragmenta XXVIII 1. XXIX. 1. 6. — PAUL. S. R. Lib. III. tit. 2. § 1 princip. et § 3. Inst. de success. libert. — Coll. Legum Roman. et Mos. tit. ult. § ult. — L. 195. § 1 Dig. de V. S. — GOTHOF. pag. 101 sqq. — BOUCH. Vol. I. pag. 507 seqq. — GAJUS Comm. III. § 40 seqq. 49. — TERRAS. pag. 129 seqq. — HEINECC. Lib. III. tit. 7. § 2. tit. 8. § 1. — BACH. p. 48. 49. — POTH. pag. 102 sq. — BOULAGE pag. 145. 146.

(3) CUJAC. Obs. XX. 34. — VINNIUS ad princ. Inst. de succ. libert.

praeterire : si vero intestatus decessisset, patronus patronive liberi ad successionem vocabantur (1). Cum liberti et patroni ab Urbis primordiis essent, probabile est, hoc jus omni tempore apud Romanos fuisse observatum, nec vero ex solis legibus XII Tab. repetendum. Caeterum lex huic similis nullibi in jure Attico invenitur.

§ LXXIX. Si vero paterfamilias, quod ad tutelam attinebat, intestatus decessisset, i. e. nullum testamento tutorem nominasset, hoc statuerunt Duodecim : « Si paterfamilias intestato moritur, cui impubes suus heres escit, agnatus proximus tutelam nancitor (2) ». Adgnati igitur ipsa legis auctoritate ad tutelam vocabantur. Valebat enim regula : *ubi successionis est emolumentum, ibi et onus tutelae esse debet.* Unde, cum agnati ab intestato succedendi jus haberent, iis tutelae gerendae cura imposita est.

Athenienses alio prorsus jure utebantur. Solon enim agnatos, qui succedendi spem habebant, a tutela prohibuerat, ne hereditatem capere, quam eam exspectare mallent; ne cupiditate ducti in pupilli vitam machinarentur. Quapropter co-

(1) § 3 Instit. de successione libert. — BONAMY pag. 95 seqq. — BOUCH. Vol. I. pag. 508. — HEINECC. Lib. III. tit. 8. § 2. — GRAVINA De Legib. pag. 287.

(2) ULP. tit. 11. § 3. — Lex 1 princip. — L. 5 Dig. de leg. tut. principio et § 2 Digest. de leg. agnat. tutel. — GOTHOF. pag. 105. — HEINECC. Lib. I. tit. 13. § 4. — BOUCH. Vol. I. pag. 517 seqq. — TERRAS. pag. 131. — BACH. pag. 50 sq. — POTH. pag. 105 in Praefat. — GAJUS Comm. I. § 155. — BOULAGE pag. 147.

gnatis tutelam committere maluit, quin tamen ex iis proximos eligeret, sed eos, quos Archontes idoneos judicassent (1).

Quum autem ab Atheniensibus legem repetere nequiverint, adversarii nostri eam a Lycurgo mutuatam dicunt. Apud Herodotum enim (I, 63) legitur, Lycurgum fuisse patruum et simul tutorem Leoboti Spartanorum regis (2). Cui sententia adversatur: Primum hoc, quod Lycurgus tutelam jam gesserat, antequam leges Spartanis scriberet (3); neque constat, eum in iis legibus tutelae gerendae munus agnatis commisisse: deinde, quod Lycurgus, tanquam patruus Leoboti Spartanorum regis, illius simul tutor fuit, unde non sequitur, idem jus in *privatorum* tutela fuisse observatum. Tum, quia ex eo, quod Lycurgus tanquam patruus tutelam gesserit, non consequens est, apud Spartanos ad tutelam *adgnatos* in *genere* fuisse vocatos. Porro, quia, ut superius vidimus, tutela testamentaria Romae jam sub regibus nota

(1) TERRAS. pag. 18. 131. — BOUCH. Vol. I. p. 184. 185. — DIOGENES LAERTIUS in vita Solonis, Segm. 56. — BLACKSTONE Commentaries on the Laws of England, Lib. I. Th. 17. — LOTH De Tutel. Lov. 1825. pag. 34. — BONAMY pag. 88. — GELL. I. 13. — VINNIUS ad Lib. I. tit. 15 Instit. de legitim. agnator. tutel. — DEMOSTH. cont. Steph. pag. 626. — S. PETIT. Lib. VI. tit. 7. n° 1. p. 591 seq. — BOUCH. Vol. I. p. 518. — POTH. p. 105.

(2) STRABO Geograph. X. pag. 482. — PLUT. in Lycurgo pag. 40. — PAUSANIAS in Lacon. III. pag. 160. — JUSTINUS III. 2. — CRAGIUS De Rep. Laconica II. 2. — BARTHEL. Vol. IV. pag. 94. — SCHUBART De fatis jurisp. Rom. § 24. — HEINECC. Lib. I. tit. 13. § 5. — BOUCH. Vol. I. p. 54. 518 seq. — TERRAS. p. 131. — BONAMY p. 88. — BALDUINUS ad XII Tab. c. 38.

(3) PLUT. Lycurg. p. 40 sq. — BARTHEL. Vol. IV. p. 94 sq. — BOUCH. Vol. I. p. 54 sq.

erat (1). Unde probabile est, aliquid saltem ibi quoque de tutela legitima fuisse sancitum, unde repetenda sit lex nostra. Nam nihil magis verae rationi et juris principiis consentaneum est (2), quam ut is, qui propter aetatem vel intellectus imbecillitatem se ipse defendere nequeat, tutoris auctoritati committatur : quod jus apud omnes gentes antiquas receptum fuerat (3).

Si vero concesserimus, Romanorum et Spartanorum leges de ea re latas quodammodo sibi similes fuisse; nondum sequeretur, Decemviros Laconica instituta petiisse. Romani enim (Etrusci) et Spartani (Dores) ex eodem stemmate descendebant; qua cognatione illa similitudo legum facile explicari potest. Praeterire ceterum nolo, illos etiam peregrinorum fautores, Bouchaldum, alios, de nostra lege sibimet dissentire. Ille namque (Vol. I. p. 54 sq.) diserte edixit, hanc legem ex moribus ipsis Romanorum, nec vero ex Lycurgi institutis originem duxisse; in loco autem alio (p. 519) asseveravit, eandem a Decemviris e Spartanis legibus fuisse tralatam. Nec etiam desunt, qui dicant, eam *Charondae* deberi. Hi non minus perperam. Nam Charondas sejunxit educationem a bonorum cura, quarum illam cognatis, hanc

(1) Liv. I. 34. 46. — Heinecc. Lib. I. tit. 13. § 1. — Bouch. Vol. I. pag. 54 sq. — Terras. pag. 121. — Loth De Tut. praef. pag. 1. — Dionys. IV. cap. 9.

(2) Gibb. pag. 52 sq.

(3) Selden De Uxore Heb. II. 3. — Puffendorf de jure Naturali et Gent. IV. 4.

agnatis tradidit; ne illi tollendorum pupillorum, nec hi dissipandae rei familiaris eorum ullam haberent causam (1).

§ LXXX. « Si furiosus aut prodigus exsistat, ast ei custos nec escit, *adgnatorum gentiliumque* in eo pecuniave ejus potestas esto (2). »

Decemviri igitur ea lege ordinis succedendi rationem habuerunt volueruntque, ut personae bonorumque prodigi ac furiosi administratio committeretur iis, qui ab intestato hereditatem sibi vindicare possent. Cum autem leges Romanae de hereditatum dividendarum ratione ab Atticis prorsus aliena sint, legem quoque nostram Soloneam non esse patet. Praeterea curatio furiosorum et prodigorum jam ante leges XII Tabularum viguisse videtur. Ulpianus enim (L. 1 Dig. de curatore furiosi) refert: «*Lege XII Tabularum* prodigo interdicitur bonorum suorum administratio, quod MORIBUS quidem AB INITIO introductum est.» Cum eo consentit Cicero (De Senect. 7), his verbis: Nostro *more* male rem gerentibus, patris bonis interdici solet». Quam sententiam confirmat Paulus (S. R. III. tit. 4. §. 7), qui, MORIBUS, ait, bonis interdicitur. Quod cum intelligi non possit de moribus XII Tabularum receptis (Ulpianus enim loco

(1) DIODOR. SICUL. XII. pag. 81. — HEINECC. Lib. I. tit. 13. § 5. — BONAMY pag. 88 sq — BOUCH. Vol. I. pag. 518.

(2) CIC. De Invention. II. 50. — Auctor ad Herennium II. 50. — CIC. Tusculanae Disp. III. 5. — FEST. sub verbo *Nec*. — ULP. fragm. XII. 2. § 3 Inst. de curat. — L. 1 Dig. de curat. furiosor. — BOUCH. Vol. I. pag. 91. 522. 523 seqq. — GOTHOF. pag. 105 sqq. — TERRAS. pag. 132. — VARRO De Re Rustica I. 2. — COLUMELLA X. 1. — HORATIUS Satyrar. II. 3. — HEINECC. Lib. I. tit. 23. § 2 seqq. — POTH. pag. 106 sq.

IX. 36

laudato legis originem tribuit *moribus*), procul dubio jam sub regibus dati fuerunt curatores furiosis et prodigis (1).

Legibus Atheniensium constitutum erat, ut qui rem familiarem disperderet, infamis esset (2); i. e. a foro arceretur et festis publicis et templis aut fanis (3). Nulla autem lege prodigus a bonorum administratione cohibebatur. Exstat quidem lex, qua nonnulli utuntur ad sententiam suam probandam, quae haec habet (4): τοὺς Ἀρεοπαγίτας κολάζειν τοὺς ἀσώτους. — Sed hoc loco non agitur de prodigis. Verbum ἄσωτοι indicat eos, qui in conviviis se intemperanter gesserunt; nec etiam hac lege illi jure bona administrandi privati sunt (5).

De furiosis quidem et insanis, verum est, eos Attico jure bonis interdici potuisse; quod Sophocli, a filiis in judicium vocato, tanquam *desipienti*, accidit (6). Verum supra jam

(1) BOUCH. Vol. I. pag. 90. 524. 525. — J. A Costa ad § 1 Instit. de jure natur. et § 3. — SCHULTING ad *Pauli* S. R. III. 4. § 7. pag. 341. — GOTHOF. pag. 106. 171. — HEINECC. Lib. I. tit. 23. § 2. — TERRAS. pag. 83.

(2) DIOGEN. LAERT. in vita Solonis, Segm. 55. — ATHEN. IV. 19. — DIOGEN. LAERT. IX. 39. — HERODOT. II. 177. — BARTHEL. Vol. I. pag. 89. — BONAMY pag. 92. — TERRAS. pag. 18, in fine. — BOUCH. Vol. I. pag. 90. — MEURS. Them. Att. Lib. II. cap. 10.

(3) SAM. PETIT. Lib. VIII. tit. 3. n° 2. pag. 665 seq. — BONAMY pag. 83. 92. — BOULAGE pag. 153.

(4) ATHEN. IV. 19. pag. 168. — PETIT. Lib. VII. tit. 11. n° 5. pag. 648 sq. — DIOGEN. LAERT. I. 55. IX. 39. — HERODOT. II. 77. — MEURS. Themis Att. Lib. II. cap. 10.

(5) BOUCH. Vol. I. pag. 90 sq.

(6) PLATO De Legg. IX. pag. 928. — CIC. De Senectute cap. 7. — ARIS-

vidimus, legem hanc pariter sub regibus viguisse. Deinde bonorum illius, qui interdicebatur, administratio committebatur adgnatis, iisque deficientibus, gentilibus; quae res ab jure Attico abhorret. Tum, quemvis populum, incultissimum licet, modo non ipse insaniat, natura duci, ut furioso ejusque bonis curatorem constituat.

§ LXXXI. Sequuntur leges de successione dividenda, ubi prima occurrit haec : « Nomina inter heredes pro portionibus hereditariis ercta, cita sunto : caeterarum familiae rerum *ercto non cito*, si volent heredes, erctum citum faciunto : Praetor ad erctum ciendum tres arbitros dato ». Cujus legis sensus hic est : actiones et obligationes defuncti ipso jure inter heredes dividuntur pro portionibus hereditariis.

Si heredes caeterarum rerum divisionem instituere velint, Praetor tres arbitros ad eam divisionem dabit (1). Igitur heredes non nisi pro rata alios convenire, aut ab aliis conveniri poterant. Quod ad ceteras res attinuit hereditarias, adita hereditate, inter ipsos coheredes communio quaedam erat :

TOPH. Nub. vers. 843. — XENOPH. Ἀπομνημονευμάτων I. p. 568. — PETIT. Lib. II. tit. 4. n° 21. p. 245 sq.

(1) ERCTUM significat *indivisum*, et ERCTUM CITUM *indivisum dividere*. — — FEST. s. v. *Erctum*. — De nostra lege conferatur CIC. De Oratore I. 56. — APULEJUS Metarmorph. VI. p. 441. — HEINECC. Lib. III. 27. § 7. — SERVIUS ad *Virg*.. Aeneid. VIII. 642. — BOUCH. Vol. I. pag. 513 seqq. — GOTHOF. pag. 103 sq. — L. 25. § 9 et 13 Dig. familiae erciscund. — Lex 6 Cod. eodem. — L. 26 Cod. de pactis. — L. 1 Cod. si unus ex pluribus hered. — L. 1 Digest. familiae erciscund. — TERRAS. pag. 130 sq. — POTH. pag. 103 sq. — BOULAGE pag. 146 sq.

licebat tamen cuivis heredum, ex illa communione discedere; in quem finem dabatur actio familiae erciscundae; qua instituta Praetoris erat, tres arbitros dare, qui portiones facerent et ortas inter coheredes controversias ex aequo componerent (1). Haec lex Romanis propria fuisse videtur : apud Athenienses saltem hoc tantum sancitum erat (2) : « Omnes legitimi filii hereditatem paternam ex aequo inter se dividunto »; quod igitur nullam similitudinem cum Romana lege habuit. Nam primo, de divisione ipso jure actionum et obligationum defuncti inter heredes, quae inprimis in XII Tab. notanda est, non loquitur lex Attica. Deinde, in Attica sermo non est de ratione, qua ceterae res dividendae sint, nec de tribus arbitris a Praetore dandis. Tum, lex Graeca jubet tantum, quo modo filii legitimi hereditatem inter se dividere debeant; Duodecim vero loquuntur de *omnibus heredibus*, de jure, quod contra singulos heredes creditores hereditarii habeant, atque de ratione, qua ab iisdem coheredibus debitores defuncti convenire possint. Denique principium legis Atticae adeo naturale est, ut idem Romanis non minus, quam omnibus gentibus reliquis contingere posset.

§ LXXXII. « Cum nexum faciet mancipiumve, uti lingua nuncupassit, ita jus eto. Si inficias ierit, duplione damnator ». Legem Cl. Bouchaldus Gallice sic vertit (Vol. I. p. 582 sq.) : « Lorsque quelqu'un engage sa chose, ou l'a-

(1) BOUCH. Vol. I. pag. 516. — HEINECC. Lib. III. tit. 28. § 7. 8. — GRAVINA De XII Tab. p. 326.

(2) ISAEUS ἐν τῷ περὶ τοῦ Φιλοκτήμονος κλήρου p. 58. — PETIT. Lib. VI. tit. 6. n° 7. pag. 584.

liène, que ce qu'il aura enoncé, que ce dont il sera convenu fasse droit; s'il nie ensuite ce qu'il a dit, qu'il soit condamné à payer le double (1) ». Cum hic sermo sit de *mancipio*; de *rebus mancipi* et *nec mancipi* quaedam dicenda sunt.

Dominium apud Romanos duplex usurpabatur : distinguebatur enim dominium, quod legibus et jure civili plenam habuit vim, et quod quis ex *jure Quiritium* sive *mancipio* rem suam dicere eamque vindicare potuit, et dominium, quod quis habebat, quando res ei tantum *in bonis esse* videbatur. Antiquissimo enim jure et XII Tab. lege non quisque, qui rem acquisiverat, eamque suam esse dicebat, hoc etiam dominium nactus esse credebatur, ut jus suum coram magistratu contra extraneum persequi posset : sed civis tantum Romanus, qui rem non exceptam legitimo modo sive solemnioribus juris civilis actibus sibi paraverat et in *mancipio* habebat, verus illius dominus ex JURE QUIRITIUM habebatur.

Jus itaque Quiritium, (mancipium) solenni modo ritu acquirebatur legibus constituto, h. e. *mancipatione*, in jure *cessione adjudicatione*, *usucapione*. Est autem mancipatio *traditio*, *more Romano solenni et civili* facta, ad quam vero requirebatur, primo libripens pubes et civis Romanus aeneam libram tenens; deinde quinque testium praesentia; tum praesentia ejus, qui vel quod mancipabatur, si homo esset aut

(1) CIC. De Officiis II. 16. — De Orat. I. 57. — FEST. sub. v. *Nuncupata*. — GOTHOF. pag. 107 seqq. — BACH. pag. 52 seq. — TERRAS. Part. II. § 8. p. 133 seq. — GUNTHER p. 55 sq. — BOUCH. Vol. I. p. 584. — POTH. pag. 107. 108. — BOULAGE pag. 154 sq.

res mobilis. Quarto pretium sive verum sive imaginarium. Denique, solemnia verba, rem mancipio dantis : « Mancupo tibi hunc hominem vel hanc rem »; accipientis : « Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse aio, isque mihi emtus est hoc aere, hac aeneaque libra (1) ». Quod reliquum est, saepe clausulae et conditiones mancipationi utrimque adjici solebant, quam rem mancipii lex apud veteres *nuncupationem* appellabat.

Ex his una omnibus momentis orta est distinctio inter res mancipi et nec mancipi. Igitur res mancipi (mancipii) eae fuisse videntur, quarum dominium ex *jure Quiritium* transferri non poterat, nisi solemni ritu (mancipatione); sine hac enim mancipatione res non erat in dominio Quiritario; sed tantum in bonis acquirentis, et a domino vindicari potuerunt, donec earum possessio civilis per usucapionem in dominium ex jure Quiritium transferretur.

Res vero *nec mancipi* eae fuere, quae sola traditione transferri potuerunt, sine mancipatione, ita ut etiam plenum dominium sive jus Quiritium is, cui tradebatur, acciperet (2).

(1) Gaji Commentarii II. 24. — Heinecc. I. 12. § 6. 7 et 9. — Bouch. Vol. I. pag. 589. — Plin. Histor. Natur. XXXIII. 3. — Horatius II Epist. II. vers. 158 sq. — Varro De Lingua Latina VI. pag. 82. — Creuzer pag. 64 et 65.

(2) Hugo Civilistisch. Rechts-Magazin Tom. II. p. 37 sq. — Idem in Historia juris Romani § 203. 206. — Warnkœnig Instit. Jur. Rom. Priv. pag. 108-110. — Sigon. De Ant. Jur. Civili Rom. I. 11. pag. 150. — Brisson. Ant. Rom. IV. 22. 78. — Gibb. pag. 143 seqq. — Gaji Comment. II. 25.

Omnis itaque alienatio rerum mancipi fiebat per aes et libram, id est emancipatione; sed duplici consilio, sive ut dominium juris Quiritium transferretur, sive res illa obligaretur tantum, e. g. ut quis ea jus pignoris vel simile haberet. Ex priori casu res dicebatur *mancipio dari*; posteriore *jure nexi transferri* (1). Ex quibus omnibus facile intelliguntur verba legis XII Tab. « *Cum nexum faciet mancipiumve*, *uti lingua nuncupassit*, *ita jus esto* ». Ibi nempe de alienatione rerum (id est, venditione vel oppigneratione) sermo est, solemni ritu mancipationis, quae ex testimonio Gaji (Comm. I. § 119) est proprium jus civium Romanorum; quod igitur, sine dubio, jam sub regibus vigebat (2).

40. I. 54. — THEOPH. ad Inst. I. 5. § 4. — ULP. Fragment. tit. 19, coll. tit. 1. § 16. — J. TH. ZACHARIAE Diss. De reb. mancipi et nec mancipi conjectur. Part. II. Lips. 1807. — BOUCH. Vol. I. pag. 583 seqq. 588 seqq. — VICO p. 54 sq. in nota. — HUBER. ad Lib. II. tit. 1 Inst. n° 38. p. 121. — BYNKERSHOEK de rebus mancipi cap. 9. pag. 131. — DUPONT De Praescriptione Leod. 1823. pag. 10. — HEINECC. Lib. II. tit. 1. § 17 sqq. — SCHULTING ad Ulpiani fragm. XIX. 3. pag. 620. — WARNKOENIG Comm. Jur. Rom. § 207.

(1) FESTUS sub voce *Nexum*. — BYNKERSHOEK De rebus mancipi I. pag. 105. — GAJUS II. 16 seqq. — VARRO De Ling. Latin. VI. 5. p. 58. — GRONOVII Epist. 302 ad *Claud. Salmasium*. — BURMANN Tom. II. p. 549. — BOUCH. Vol. I. pag. 592. — CIC. Topic. 5. — HEINECC. Lib. II. tit. 1 § 20. De eadem re conf. cl. BALLHORN-ROSEN über Dominium, Lemgo 1822. — WARNKOENIG Comment. Jur. Rom. § 351. — VON SAVIGNY Das Recht des Besitzes § 24.

(2) DIONYS. HAL. II. 27. — GOTHOF. pag. 108. — BOËTIUS Lib. III. Comment. in Topic. *Ciceronis* Lib. III. — BOUCH. Vol. I. pag. 594, coll. cum 477. — GOTHOF. pag. 93 sq. — Hoc eruitur ex libro, qui inscribitur: *Vaticana jur. Rom. fragm.* Bruxellis 1824, p. 13 sq. ubi legitur: *mancipationem*, et *in jure cessionem* CONFIRMANT leges XII Tabb.

Frustra itaque nostra lex apud Athenienses quaereretur, qui mancipationis actus solemnes alios et singulares plane habuisse videntur (1). Non magis nostra lex cum Spartanorum institutis quadrat. Ex lege enim Lycurgi alienationes fieri omnino nequibant (2).

§ LXXXIII. « Statu Liber emtori dando, liber esto ». Statu liber erat servus, qui destinatam in tempus vel conditionem habebat libertatem (L. 1 Dig. de statu lib.). Solebant enim Romani servos manumittere per testamentum, certis conditionibus positis, v. g. si servus heredi decem dederit (L. 29. § 1 Dig. de statu liber.); ut tamen, pendente conditione, heres eum venumdare posset (L. 16 et 25 Dig. de statu liber.); in quo casu servus, soluto emtori pretio constituto, in libertatem se vindicare non nequibat (3). Nam hujus modi servus libertatis conditionem retinuit (4). Haec lex plane Romana, nec in legibus Atticis, neque Laconicis invenitur. Potuerunt quidem apud Athenienses servi libertatem consequi, numerata domino pro capite pecunia (5). Verum

(1) PLUT. Opusc. II. pag. 176. — GIBB. p. 61. 149.

(2) ARISTOT. De Rep. II. p. 329. — GRONOV. Thes. V. p. 2601. — BARTHEL. Vol. IV. p. 125.

(3) ULP. Fragmenta tit. 2. § 4. — L. 29 Dig. § 1. de statu lib. — FEST. sub v. *Statu libero*. — BOUCH. Vol. I. pag. 596 seq. — GOTHOF. pag. 109. — HEINECC. Lib. I. tit. 3. § 8. — TERRAS. Part. II. § 8. pag. 134-136. — GIBB. pag. 134. — HUGO Hist. juris § 61. p. 79. — POTH. pag. 109 sq. — BOULAGE pag. 155.

(4) L. 25 Dig. de statu lib.

(5) PETIT. Lib. II. tit. 6. n° 6. p. 259. — DIO CHRYSOSTOM. Oratio XV. p. 241. — PLAUTI Casina Act. II. 5. — XENOPH. De Athen. Republic. p. 548.

inter eam legem et Duodecim magnum intercessit discrimen. Primum enim in lege Attica agitur de *omnibus* servis; in lege Duodecim solum sermo est de *statu liberis*. Deinde lex Attica Romanis institutis prorsus repugnat eo, quod Romae servi libertatem non consequebantur invito domino, nec caput pecunia redimere poterant (1).

§ LXXXIV. « Res vendita transque data emptori non acquiritur, donicum satisfactum escit »; i. e. ut JCti dicunt, debere, ut transferatur dominium in emtorem, pretium solutum, aut saltem fidem de eo datam esse (2). Meminit legis Justinianus (§ 41 Instit. de rerum divisione), ubi legimus : « Venditae vero res et traditae non aliter emptori acquiruntur, quam si is venditori pretium solverit, vel alio modo ei satisfecerit veluti expromissore vel pignore dato ; quod quamquam cavetur lege XII Tab., tamen recte dicitur et jure gentium, id est, jure naturali id effici (3) ».

Haec res e moribus Romanorum facile explicatur : jure enim antiquissimo, ut vidimus, dominium non fere alienabatur, nisi per mancipationem : mancipationis autem pars est pensatio sive ponderatio pretii, quae non semper fuit imaginaria,

(1) HEINECC. L. I. tit. 4. § 9. — BONAMY p. 96. — Cfr. QUINTIL. Inst. Orat. V. 10. VII. 4. Ejusd. Declam. 311.

(2) L. 5. § 18 Dig. de tribut. act. — L. 18 Dig. de contrahend. emption. — BOUCH. Vol. I. pag. 597 seq. — BACH. pag. 52 sq. — GOTHOF. pag. 110. — TERRAS. pag. 137 sq. — GUNTHER pag. 56. — POTH. pag. 110. — BOULAGE pag. 155 sq.

(3) DEFERRIÈRE ad § 41 Instit. Vol. II. pag. 90 sq.

praesertim quoties praesenti pecunia vendebatur. Aliquod itaque pretium vel pretio simile quicquam in solemni ritu mancipationis adesse debebat (1), ita ut hac pretii ponderatione neglecta mancipatio esset imperfecta dominiumque maneret penes venditorem; unde, non soluto pretio aut fide data acceptaque, emptor non fiebat dominus (2). Postea cum traditio juris gentium mancipationi aequaretur, ad ejus exemplum in traditione similiter pretium requirebatur. Ex mancipatione (3) igitur, quae solis Romanis propria est et a primis civitatis Romanae temporibus repetenda (Dionys. II. 27), facile explicatur lex nostra.

Apud Athenienses idem jus observatum fuisse non ignoramus; sed ex adversariorum modo sententia (Bouchaldus Vol. I. p. 134) : « Les Décemvirs avaient devant les yeux le droit attique (4), les lois de Charondas et de Platon (5), qui ordon-

(1) GAJUS I. 119. — HEINECC. Lib. I. tit. 12. § 9. — VITRUVIUS Architect. I. 4. — Inscript. ap. GRUTERUM, Miscell. pag. 292. — L. ult. Cod. de donat. — CUJAC. Observ. X. 37. XIX. 31. — ANT. AUGUSTIN. Emend. II. 7. — BOUCH. Vol. I. pag. 591 sq. — HORAT. II Epist. II vers. 158 sq. — VARRO De Lingua Latina IV. 39. — FEST. sub v. *Rodus*. — Mém. de l'Acad. Vol. XLI. pag. 43-45.

(2) CATO De Re Rust. cap. 149. — VARRO De Re Rustica II. 2.

(3) De ea re in summo errore versatur ROGERUS, in Commentario Instit. ad tit. de rerum divisione pag. 122 sq. Recte autem STAPPARTSIUS De Rei Vindicatione, quae mercat. est (Lovanii 1825) pag. 5, et CL. HOLTIUS ad § 41 Instit. De Rer. Divisione, statuerunt. — Cfr. HEINECC. Lib. III. tit. 23. § 6.

(4) THEOPHRASTUS apud *Stobaeum*, Serm. 145, p. 459.

(5) PLATO De Legg. XI. Ceterum cfr. hunc locum Buchaldi cum alio ejusdem auctoris (Vol. I. p. 75), ubi vir Cl. denuo sibi parum constat.

nent, que le vendeur, en livrant sa chose, en reçoive le prix sur le champ et sans aucun délai. Aussi chez les Grecs, lorsque l'acheteur ne payait pas le prix convenu, la vente était nulle; et si le vendeur, qui lui livrait sa chose, s'en rapportait, pour le paiement du prix, à la bonne foi de l'acheteur, il n'avait aucune action en justice pour demander ce prix, comme s'étant fait lui-même ce tort. Aussi les Grecs ne vendaient-ils jamais à crédit : de là ces proverbes : Graeca fide mercari (1), praesenti (2) pecunia vendere, oculata die vendere (3); c'est-à-dire vendre argent comptant » — haec, dico, sententia non probat, Romanos eam legem ab Atheniensibus accepisse; quia, primum, apud Romanos emtio venditio, in qua pretium non solvebatur, non erat nulla, sed dominium tantum non transferebatur, nisi pretio soluto; venditor autem actione venditi poterat cum emtore convenire de solutione pretii. Contra apud Graecos, si res praesente pecunia non vendebatur, contractus nullus erat, atque si venditor rem tradebat antequam emtor solverat pretium, ad illud petendum nullam habebat actionem.

Deinde, apud Romanos secundum Duodecim, si fides habita fuisset de pretio, dominium transferebatur; secus in jure Attico, ex quo pretium necessario solvi debuit.

Tum, lex Romana ex ingenio aliarum legum, qnae solis

(1) PLAUTUS in Asinar. Act. I. Sc. III. vers. 47.

(2) PLAUT. in Menaechmis Act. V. Sc. IX. vers. 97. — BOUCH. Vol. I. pag. 390.

(3) PLAUT. in Pseudolo Act. I. vers. 67.

Romanis propriae sunt, i. e. ex veteri mancipatione, ut superius vidimus, explicari potest.

Porro, si argumentum quoque ex mancipatione ductum minus valeret, adsunt alia momenta, quibus opinio adversariorum deletur.

In emtione nimirum venditione venditor non tradit rem, nisi ut habeat pretium; unde si illud non solvatur, aut propter aliam causam ipsi non satisfiat, ille voluntatem rei dominium transferendi habere non creditur; ideoque dominium quoque non transfertur (1). Quae cum ita se habeant, penitus adstipulamur Justiniano (§ 41 Inst. de rer. divis.), qui eam legem ex jure naturae profectam esse asserit; quod certe non magis domesticum apud Graecos, quam apud Romanos fuit; ut THEOPHILUS quoque testatur (Paraphr. ad § 41 Inst. de rer. divis.).

§ LXXXV. « Usus auctoritas fundi biennium : caeterarum rerum annuus usus esto (2) ».

(1) HUBERUS ad Lib. II. tit. 1 Inst. n° 39. pag. 121 sq. — VOETIUS ad Lib. XIX. tit. 1 Dig. n° 11. — VINNIUS ad § 41 Instit. de rerum divis. — SIMON VAN LEEUWEN Cens. for. Part. I. Lib. IV. cap. 19. n° 20. — POTH. Traité des Obligations n° 42; Traité du contrat de vente Part. V. cap. V. cap. 1. Art. 2. n° 322 (in Oper. Omn. Vol. I. pag. 588 sq.). — WARNKŒNIG Comment. jur. Rom. Priv. § 236 sqq. — L. 55 Dig. de oblig. et act. — Lex 19 Dig. de contrahend. emtione. — BOUCH. Vol. I. pag. 185.

(2) CIC. Top. 4. — Pro Caecina 19. — GAJUS II. 42. 54. — ULP. XIX. 8. — DIRKSEN Zur Critik der XII Tafeln-fragm. pag. 407 sq. — DUPONT

Hanc quoque legem ab illis Graecam dici, per se clarum est eo magis, quia quaedam in ea inter leges utriusque populi similitudo inesse videtur. Plato enim (1) *praescriptionem* statuit : cujus sententiam sic exponit Bouchaldus (2) : « Il est constant, que Platon admet l'usucapion dans sa république. A l'égard des possessions douteuses, dit-il, il y aura un terme préfix, au delà duquel celui, qui aura joui pendant cet intervalle, ne pourra plus être inquieté. Il ne peut point y avoir de doute chez nous pour les fonds de terre et les maisons. Quand aux autres choses, si celui qui en a la possession, s'en sert dans la ville, dans la place publique, dans les temples, sans que personnes les revendique et que cependant le maître de la chose prétende l'avoir fait chercher pendant ce tems, quoique l'autre, de son côté, n'ait jamais affecté de le récéler ; après qu'un an se sera passé de la sorte, l'un jouissant de la chose, l'autre la cherchant, il ne sera plus permis de la répéter. Si le possesseur de la chose ne s'en servait point à la ville, ni dans la place publique, mais seulement à la campagne et ouvertement et que celui, à qui cette chose appartient, ne s'en soit point aperçu dans l'espace de cinq ans, ce terme écoulé, il ne sera plus en son pouvoir de la révendiquer. Si le possesseur faisait usage de la chose en ville dans

pag. 10. — BOUCH. Vol. I. p. 598 seq. — BACH. pag. 52 seq. — GOTHOF. pag. 110 sq. — *Principium* Instit. de usucap. — TERRAS. pag. 139. — WARNKŒNIG Comment. Jur. Rom. § 244. — BALLHORN Ueber das Dominium pag. 233. 295. — PUCHTA pag. 25. 43. — GIBB. pag. 57. 144 seq. — POTH. pag. 111 sq. — BOULAGE pag. 156 sq.

(1) De Legg. XII. p. 691.

(2) Vol. I. pag. 601.

sa maison seulement, la prescription n'aura lieu qu'au bout de trois ans, et au bout de dix, s'il n'en usait qu'à la campagne, dans l'intérieur de sa famille : enfin s'il ne s'en servait qu'en pays étranger, il n'y aura jamais de prescription, et la chose reviendra à son premier maître, en quelque temps qu'il la trouve ». Idem se stipare conatur testimonio Isocratis (1), ubi legimus : Spartanos constituisse praescriptionem, tanquam modum acquirendi apud gentes receptum, eoque jure rejecisse eos, qui Messeniorum agrum vindicare voluerunt. Sic enim ille : « Sed nec illud vos fugit, quod possessiones et privatas et publicas, quando multum tempus praeteriit, in dominio et patrimonio nostro habendas esse existimant » (2).

In quo loco Isocratem aiunt ad leges Atticas respexisse. Mihi vero haec argumenta tam vana esse videntur, ut ea vix refutatione digna existimem. Nam Plato non disseruit de legibus *Atticis*, sed *proposuit* leges ipse rei publicae, quam sibi effinxit. Porro, si apud Spartanos illa lex aeque ac Athenienses fuit; eodem modo sequeretur, Solonem seu Athenienses eam a Lycurgo repetiisse.

Praeterea Plato scripsit *post* Decemvirorum tempora; unde mihi placeret, adfirmare, illum eam a Romanis habuisse, si ulla unquam esset similitudo inter legem τῶν Duodecim et legem illam Platonicam. Plato enim usucapionem in sua republica

(1) Archidam p. 208. — Bouch. Vol. I. pag. 601, in fine.

(2) Heinecc. Lib. II. tit. 6. § 1. — Dupont de Praescriptionibus pag. 9, in nota.

admisisset, sed eam in solis rebus *mobilibus*, quas si quis iis manifeste in urbe *per quinquennium* usus fuisset, usucapione usurpandas jusserat. Sin vero ruri clam possedisset rem usque ad decennium, vindicari eam posse statuit: extra territorium autem, adversus possessorem perpetuam auctoritatem fore concessit (1).

Quod attinet ad Isocratem, haec in promtu habemus: Primum, incertum esse, auctorem loqui de jure Attico; deinde, Isocratem quoque vixisse *post* Decemviros.

Tum, oratorem disseruisse de praescriptione, quae *post longum tempus* oriretur (ἣν ἐπιγένηται πόλυς χρόνος), quod repugnat Duodecim Tabulis. Denique sententiam adversariorum refutari etiam a Gajo (II. 41), qui haec perhibet: « Nam si tibi rem mancipi neque mancipavero, neque in jure cessero, sed tantum tradidero, in *bonis quidem tuis* ea res efficietur, ex jure Quiritium vero mea permanebit, donec tu eam possidendo usucapias: semel enim impleta usucapione proinde pleno jure incipit, id est, et in bonis et ex jure Quiritium, tua res esse ac si esset mancipata vel in jure cessa.« Usucapione itaque confecta, ex jure Quiritium dominium acquiritur; quod certe indicat modum acquirendi ex Romanis moribus ortum. Praeterea constat ex Gaji loco laudato, tempore legis nostrae usucapionem non fuisse simpliciter modum acquirendi rem, *a non domino* nobis traditam, possessione certi temporis, uti apud reliquos populos; sed eam praecipue ob caussam introductam fuisse, ut naturale sive bonitarium rerum do-

(1) DUPONT pag. 10.

minium in proprietatem ex jure Quiritium transformaretur (1).

Denique tenendum, usucapionem ipsismet adeo Hebraeis fuisse notam. Jephta enim praescriptione se ac gentem suam tuebatur adversus regem Ammonitarum (2), hoc argumento suffultus : « Postquam populus Israël habitavit in cunctis civitatibus juxta Jordanem per trecentos annos; quare tanto tempore nihil super has repetitione tentastis? Igitur non pecco in te, sed tu contra me ».

Ex Duodecim tamen nonnullae res usucapi non potuerunt. Nam, primum, usucapiendi jus *Peregrinis* denegabatur, his verbis : « *Adversus hostem aeterna auctoritas esto* (3) ». *Hostis* autem est *peregrinus* (4); ratio vero legis manifesta est : cum enim usucapio esset modus acquirendi juris civilis, solis civibus Romanis contingere potuit, eodem modo, quam mancipatio, aut in jure cessio. Peregrini utebantur quidem

(1) HEINECC. Antiquitates Romanae Lib. II. tit. 1. § 22. 29. — GAJUS II. § 40-44, 65. — VAZEILLE Traité des préscript. suiv. le nouv. code françois pag. 11. — THEMIS Tom. V. Lib. 21. — WARNKŒNIG Instit. Jur. Rom. § 242. — Idem Commentar. Juris Rom. Priv. § 244. — DUPONT l. l. p. 10. — GIBB. p. 57, et WARNKŒNIG ad eumdem pag. 144 sq. — VAN SWINDEREN l. l. pag. 39 seqq.

(2) Lib. Judicum XI. 26 sq. — HEINECC. ad Instit. § 439. — DUPONT p. 9.

(3) BACH. pag. 42 sq. — BOUCH. Vol. I. pag. 438 sq. — GUNTHER pag. 69. — TERRAS. pag. 113. — GOTHOF. p. 88. — HEINECC. Lib. II. tit. 6. § 3.

(4) VARRO De Ling. Latina IV. p. 6. — CIC. De Officiis I, 12. — L. 234 Dig. de verb. sign. — STEPHANUS in fragm. veter. poët. pag. 107. — FEST. sub v. *Hostis*. — BOUCH. Vol. I. pag. 438. 603.

jure gentium, nec vero jure civili, ideoque jus usucapionis ipsis non erat (1). Sed ea lex ita Romana est, ut ejus ne vestigium quidem inveniatur in Attico jure. Deinde res furtiva etiam usucapi non poterat secundum Duodecim; qui sanxerant hoc : « *Furtivae rei aeterna auctoritas esto* (2) »; quae verba non ita intelligenda sunt, ac si fur usucapere non posset, (hic enim mala fide possidebat); sed nemo omnino posset, licet bona fide aliquid a fure emerit, usu capere. De qua re audiamus Gaium (II. 49.) : « Res furtiva itaque non solummodo a fure usucapi nequit (haec in mala fide versatur), sed ne ab aliis quidem bonae (3) fidei possessoribus usucapi potest ». Bouchaldus (Vol. I. 444) quoque de eadem re sententiam tulit secundum locum Gaji modo laudatum. Sed idem ille auctor in eodem volumine (p. 605) contrariam profert; unde mirifice sibi ipse dissentit; quam rem ille saepissime patiebatur.

Huc quoque lex pertinere videtur : « *Intra quinque pedes aeterna auctoritas esto* », i. e. spatium quinque pedum,

(1) GAJUS II. 45. — BOUCH. Vol. I. pag. 604. — HEINECC. Lib. II. tit. 1. § 22 et tit. 6. § 3. — WARNKŒNIG Comment. Jur. Rom. § 34.

(2) BOUCH. Vol. I. pag. 403. — GOTHOF. pag. 88. § 2 Inst. de usucap. — Leg 33 Dig. eod. — TERRAS. pag. 109. — WARNKŒNIG Comment. Jur. Rom. Privat. § 246. — GAJUS II. 45. 49 sq. — GELL. XVII. 7. — BACH. pag. 40 sq. — POTH. pag. 86. 87.

(3) VOETIUS Lib. XLI. tit. 3. n° 14. — HUBERUS ad Instit. Lib. II. tit. 6. n° 8. Vol. I. pag. 150 sq. — TUYDENUS ad Instit. Lib. II. tit. 6. cap. 7. § 2 sq. Instit. de usucapion. Errat HEINECC. (Lib. II. tit. 6. § 4); recte WARNKŒNIGIUS § 246 (in Comment. laud.). — ZOËSIUS ad Digestorum Lib. XLI. tit. 3. n° 25 seqq.

quod inter agros confines erat ad accessum et circumductum aratro, usucapi non poterat (1). Quae lex aeque ac praecedens, in Graecorum institutis nullibi reperitur. Tu tamen vide, quae de eadem lege scripsit Bouchaldus (Vol. II. p. 84) : « Les Décemvirs voulurent, qu'entre les champs de deux voisins on laissât un espace de cinq pieds pour aller et venir à pied et à cheval, et pour tourner la charrue. Ils voulurent encore, que la propriété de cet espace de cinq pieds n'appartînt pas plus à l'un des voisins qu'à l'autre, et ne pût se prescrire par l'un de deux voisins sur l'autre. Sans cet espace, on ne peut tirer du fonds de terre aucun avantage : le fonds de terre devient absolument inutile, si l'accès de ce fonds n'est pas libre ». Praeterea in XII Tabulis sanciebatur : « Fori bustive aeterna auctoritas esto (2) : vestibulum itaque sepulcri et ipsum sepulcrum pariter jure usucapionis acquiri non poterant. Sepulcra enim habebantur sacra, quia diis manibus vel diis inferis dedicata erant (3). Res autem sacrae in privatorum dominio aut commercio esse nequibant (4). Quod attinet ad leges Atticas, nostra ibi non invenitur. Nova caussa, cur usucapio fieri non posset, memo-

(1) Gothof. pag. 126. — Terras. pag. 168. — Bouch. Vol. II. pag. 83 seqq. — Cic. De Legg. I. — Gunther pag. 57. — Bach. pag. 60 sq. — Poth. pag. 134 sq.

(2) Cic. De Legg. II. 23. — Idem Philipp. IX. 6. — Bouch. Vol. II. pag. 305. — Terras. pag. 198 sq. — Gothof. pag. 138. — Fest. sub v. *Forum*. — Bach. pag. 68 sq. — Gunther pag. 52 seq. — Creuzer pag. 387 seq. — Dirksen pag. 692. 696. — Poth. pag. 158 sq.

(3) Heinecc. L. II. tit. 1. § 6. — Bouch. Vol. I. p. 305. — Gunther l. l. III. 1. — Gruter. Inscr. p. 867. n° 5.

(4) L. 12 § 1 Dig. de Religios.

ratur in Gaji Commentariis, nuper repertis, (II. § 47): « Item mulieris, quae in adgnatorum tutela erat, res mancipi usucapi non poterat, praeter quam ab ipsa, auctore tutore, tradita esset, idque lege XII Tabularum cautum erat ». De qua lege, ad usucapionem rerum mancipi ad mulierem pertinentium, prohibendam lata, ne verbulum quidem invenitur in legibus Atticis. Verum mulierum perpetuam tutelam e jure Atheniensium in Romanum redundasse quidam opinantur (1).

Athenis enim in quolibet negotio factitando mulieribus adhibendi erant tutores adeo, ut contrahere non possent, sine illis, ultra modum hordei (2), nec agere, vel conveniri sine ipsomet; unde illa formula praeconis in judiciis Atticis: *ἡ δεῖνα καὶ ὁ κύριος* (3). Licet hoc verum sit, tamen non minus constat, hanc tutelam Atheniensium a Romana plane diversam fuisse. Jure enim Attico propter consilii defectum mulieri tutor dabatur, igitur in favorem ejus; apud Romanos haec tutela introducta fuerat in favorem ipsorum agnatorum, qui ad tutelam vocabantur. De qua re vide Gajum (Comm. I.

(1) GRAVINA De Legg. et SenatusCtis pag. 550. — SCHILTER ad Pand. XXXVIII. 227. p. 691. — WARKOENIG Instit. Jur. Privat. Rom. § 40. — HEINECC. Lib. I. tit. 13. n° 15. — Vaticana juris Romani fragmenta pag. 1. 77. — POTH. pag. 171 sq.

(2) DIO CHRYSOST. Orat. 75. — MEURS. Them. Attica II. 9. — SALMASIUS De modo usurarum cap. 10. pag. 425.

(3) OTTO Dissert. IV. cap. 1. § 6. — De tutela mulierum apud Athenienses confr. CIC. pro Flacco 30. — GUIL. BUDAEUS Comment. Ling. Graec. pag. 44 seq. — PFEIFFER Ant. Graec. IV. 5. pag. 616. — S. PETIT. Lib. IV. tit. 2. n° 1. p. 402.

§ 190 seqq.) : « Feminas vero perfectae aetatis in tutela esse, fere nulla speciosa ratio suasisse videtur ; nam quae vulgo creditur, quia levitati animi plerumque decipiuntur et aequum erat, eas tutorum auctoritate regi, magis speciosa videtur, quam vera. Mulieres enim, quae perfectae aetatis sunt, ipsae sibi negotia tractant et in quibusdam caussis, dicis gratia, tutor interponit auctoritatem suam, saepe etiam invitus auctor fieri à Praetore cogitur » (et § 191) : « Unde cum tutore nullum ex tutela judicium mulieri datur ; at ubi pupillorum pupillarumve negotia tutores tractant, eis post pubertatem tutelae judicio rationem reddunt ». Idem (§ 192) : « Sane patronorum et parentum legitimae tutelae vim aliquam habere intelliguntur, eo quod hi neque ad testamentum faciendum, neque ad res mancipi alienandas, neque ad obligationes suscipiendas auctores fieri coguntur, praeter quam si magna caussa alienandarum rerum mancipi obligationisque suscipiendae interveniat ; *eaque omnia ipsorum caussa constituta sunt, ut quia ad eos intestatarum mortuarum hereditates pertinent, neque per testamentum excludantur ab hereditate, neque alienatis pretiosioribus rebus susceptoque aere alieno minus locuples ad eos perveniat hereditas* (1) ».

Cum igitur ex Attico jure adgnati arcerentur a tutela mulieris, apud Romanos vero in horum favorem eadem fuisset introducta, (ne scilicet mulier in eorum detrimentum bona distraheret), nostra lex Attica esse nequit. Praeterea solis eam

(1) CIC. pro Flacco 34; pro Caecina 25. — ULP. Fragment. XI. 25. 27. — HEINECC. Lib. I. tit. 13. § 16 sqq.

Romanorum moribus propriam fuisse, constat testimonio Gaji (Comment. I. § 193), ubi haec leguntur : « Apud peregrinos non similiter ut apud nos in tutela sunt feminae, sed tamen plerumque quasi in tutela sunt (1) ». Accedit, ut tutela Romana ab ipsa Urbis origine recepta esse videatur. Legimus enim apud Plutarchum (Numa p. 66 in fine) : « Numa tribuit Vestalibus ingentes honores, inter quos testamenta, vel superstite patre, nuncupandi jus, et *sine tutore liberum suarum rerum arbitrium*, *ut quibus tres sunt liberi* ». Huc etiam pertinet Gajus (Comm. I § 145). Unde patet, mulieres jam eo tempore sub tutela fuisse. Quod ulterius probatur collatione loci Plutarchei cum loco Catonis apud Livium (XXXIV. 2) : « *Majores nostri* nullam, ne privatam quidem, rem agere feminas sine auctore voluerunt, in manu *esse parentum*, *fratrum*, *virorum* ». Eodem modo loquitur Cicero (pro Murena 12) : « Mulieres omnes propter infirmitatem judicii *majores* in tutorum potestate esse voluerunt (2) ». Praeterea, ut hoc addamus, non apud Athenienses tantum, sed apud plurimas gentes alias mulieres in tutela fuisse testatur Gajus (I. § 193); unde ex hac umbra similitudinis legum XII Tabularum et Atticarum nihil omnino sequitur. Quod vero reliquum est, haec perpetua mulierum tutela e patriarchali vita orta est, ex qua mulieres non personae, sed res habebantur, patrisfamilias potestati plane subjectae (3), in quo solo fuerunt quasi contentae.

(1) MEURSIUS Att. Lect. III. 24. — GIBB. pag. 54.

(2) BOUCH. Vol. I. pag. 627.

(3) DELWARDE pag. 36. 39. 40 et 132.

§ LXXXVI. « Mulieris, quae annum matrimonii ergo apud virum remansit, nec trinoctium ab eo usurpandi ergo abescit, usus esto ». Hujus legis sensus hic est : mulier, quamvis sine legibus viro juncta, si uno anno sine usurpatione, i. e. interruptione, trinoctii apud unum virum fuerit, usucapta esto (1).

Mulier itaque, quae unum annum cum viro consueverat, et tribus noctibus a viro non abfuerat, videbatur usucapta et possessione quaesita. Quemadmodum igitur usucapio erat modus acquirendi juris Quiritium, ita uxor usu in dominium Quiritarium, sive plenum mariti, seu in ejus potestatem, i. e. in manum ejus veniebat, ita ut si tres tantum noctes a marito abesset, interrumperetur singulis annis usucapio (2). Sic igitur uxor vel in potestate patris vel in tutela agnatorum manebat, sine quorum auctoritate in manum convenire non poterat (3).

De nostra lege ea teneas velim, quae celeberrimus Creu-

(1) BACH. Hist. jur. pag. 52 sq. — PIRMEZ pag. 12. 18. — GOTHOF. pag. 111. — TERRAS. pag. 140. — BOUCH. Vol. I. pag. 616 seqq. — GUNTHER pag. 54 sq. — BONAMY pag. 70. — HEINECC. Lib. I. tit. 10. § 1. — MERULA De Legg. Rom. cap. 3. § 5. p. 64 seqq. — POTH. p. 112 sq. — BOULAGE pag. 156 sq.

(2) GELL. III. 2. XVIII. 6. — CIC. pro Flacco 34. — ARNOBIUS adversus Gentes IV. p. 83. — MACROBIUS Saturn. I. 13. — SERVIUS ad *Virgil.* Georg. I. 31. — BOËTHIUS ad *Ciceronis* Top. 3. — HEINECC. Lib. I. tit. 13. § 16, edit. *Haubold.* pag. 173, in nota. — VANDERTON p. 83.

(3) CIC. ad Att. I. 5. — GAJUS I. 195. — CIC. pro Flacc. 34. — HEINECC. I. 13. § 17.

zerus (l. l. p. 66.) protulit : « Erklærung des Wortes *usus* in dieser Bedeutung, mit Rücksicht auf den Ausdruk *usu capere* (Grupen. l. l. § 3-10. p. 266 sqq.). Begriff dieser Ehe und Verhæltniss der Frau als Object einer *usucapio*; deshalb Erfordernisse von Seiten der Frau und ihres Vaters, wie von Seiten des Mannes; Wirkung dieser usucapio (acquisitio dominii pleni legitimi et Quiritarii): Beschrænkung dieser Ehe durch das Zwœlftafelgesetz; Unterbrechung derselben durch das *trinoctium* (1) ». Hujus quoque rei origo repetenda est ex vita patriarchali. Mulier enim considerabatur tanquam res; cum vero is, qui re mobili per unum annum utitur, sive ejus possessionem habet, illius dominium ex jure Quiritium usucapione acquirat; idem quoque dicendum est de eo, qui per annum cum muliere consuetudinem habuit. Unde Gibbonus (p. 45) : « La femme se trouvait bien clairement comprise dans la classe de chose et non dans celle de personnes, puisqu'à défaut de titre originaire on pouvait la réclamer, ainsi que les autres meubles d'après l'usage et la possession d'une année entière (2). »

§ LXXXVII. « Si qui in jure manum conserunt, secundum eum, qui possidet; ast si qui quem liberali caussa manu

(1) De eadem re confr. ULP. Fragm. XIX. 8. — GAJUS I. § 111. — GRUPEN. l. l. cap. 6. pag. 261 seqq. 266 seqq. — CREUZER pag. 65. 66. — BOUCH. Vol. I. pag. 638 sq. — VAN SWINDEREN l. l. pag. 40. — HEINECC. Lib. I. tit. 10. § 14. — GANS in Scholiis ad Gajum. Berolini 1821. pag. 145. — VANLEYNDEN ad Topic. *Ciceron.* cap. 1. § 1. pag. 20.

(2) WANNAAR l. l. pag. 41. — POTH. ad XII Tab. VI. cap. 5. — VANDENVELD. pag. 37. — Cfr. BONAMY p. 70 sq.

adserat, secundum libertatem vindicias dato ». Orta nimirum controversia de dominio alicujus rei, movebatur quaestio : quisnam litigantium, pendente lite, rem possidendi jus haberet; quam ob causam statuerunt Decemviri, rem esse relinquendam penes eum, qui ante litem eam possedisset. Si vero agebatur de libertate, i. e. de quaestione, utrum aliquis liber esset aut servus; caussa libertatis potior habebatur; ideoque secundum eam vindicias dari voluerunt Duodecim (1). Quae lex Romanis cognata est, ut jam efficitur verbis « *Siqui in jure manum conserunt* ». Ratio enim illa, qua dominus rem suam vindicare solebat, vim redolebat et agrestes mores gentis militaris. Stabat enim festuca armatus uterque litigantium, eamque rei, de qua agebatur, manu jam prensae et correptae, simul uterque imponebat, quasi eam sibi vi et armis asserturus : festuca autem, ut scribit Gajus, utebantur quasi hasta, signo justi dominii; quoniam quae hostibus ademissent, ea maxime sua esse credebant : quapropter eodem signo utebantur in bello indicendo (2). Unde patet, verba laudata legis, et voces « *vis civilis et festucaria* » de quibus loquitur Gellius (XX. 10) aliosque ritus rei vindicationis priscorum Quiritium (i. e. *hastatorum*) vitam referre. Exinde

(1) BACH. pag. 54 seq. — GUNTHER pag. 67. — TERRAS. Part. II. § 8. pag. 141. — GOTHOF. pag. 111 seq. — BOUCH. Vol. I. pag. 640 sqq. — CIC. pro Murena 14. — ASCONIUS PEDIANUS ad *Ciceron.* in Verrem 145. — LIV. III. 45. — POTH. pag. 113 sq. — BOULAGE pag. 157 sq.

(2) GAJUS IV. § 16; et I. § 119. — QUINTIL. Instit. Orat. VIII. 5. 5. — GELL. XX. 9 sq. — BOUCH. Vol. I. pag. 641 seq. — STAPPAERTS l l. pag. 5. — GUNTHER pag. 67 seq. — HEINECC. Lib. IV. tit. 6. § 24. — OVIDIUS Amor. I. Eleg. IV. 40. — VIRGIL. Aeneid. X. 419, ibique SERV. — MARTIAL. Epigram. I. 53. vers. 6 seqq.

simul sequitur, legem nostram jam ante Decemviros viguisse; quod etiam constat ex lege 2. § 24 Dig. de origine juris; ubi dicitur : « Initium fuisse secessionis dicitur Virginius quidam, qui (cum animadvertisset Appium Claudium contra jus, quod IPSE EX VETERI IURE *in XII Tab. transtulerat*, vindicias filiæ suæ abdixisse et secundum eum, qui in servitutem ab eo suppositus petierat dixisse; captumque amore virginis omne fas ac nefas miscuisse), indignatus quod VETUSTISSIMA *juris observantia* in persona filiæ suæ defecisset (utpote cum Brutus, qui Romæ primus Consul fuit, vindicias secundum libertatem dixisset, in persona vindicis Vitelliorum servi cet. (1). »

Ipse adeo Dionysius (2) dicere non dubitat, eamdem legem non solum apud Romanos, sed apud omnes peræque populos valuisse; et hoc quidem cum sana ratione consentaneum est. *Liber* enim homo tamdiu est, donec contrarium sit probatum. Hæc quidem de posteriori legis parte. Idem de priori valet. Qui enim rem possidet, non tenetur, ut restituat petenti eandem rem, nisi hic jus suum argumentis effecerit (3). Præterea valet juris principium : « *In pari caussa*

(1) Hoc confirmatur a DIONYS. XI. pag. 712 sq. — LIVIO III. 45. 56. — Cfr. BOUCH. Vol I. pag. 59 sq. — GOTHOFR. pag. 111 sq. coll. cum p. 64. — TERRAS. pag. 141. — MÉMOIRES de l'Acad. Vol. XLI. pag. 32 sq.

(2) L. XI. 5. 712 sq. — Cfr. § 2 Inst. de Jur. Person. — HEINECC. ad Inst. § 80. — PAULUS Apost. ad Corinth. I. 7, 20.

(3) L. 2 Dig. uti possid. — L. 2 Cod. de condict. ob turpem causs. — VON SAVIGNY Recht des Besitzes § 2, 4. pag. 5. 21. — *Themis* Tom. III. pag. 446. 448. — WARNKŒNIG Comment. Jur. Rom. § 103. 108. Idem in Analyse du traité de la possession d'après les principes du droit Rom. par M. DE SAVIGNY. Liége 1824. 8.

melior est conditio possidentis (1) ». Unde licet verum esset, quod scribit Bouchaldus (I. p. 643): « Nous lisons dans Thucydide, que les Athéniens et les Lacédémoniens firent quelquefois entre eux des conventions conformément à cette ancienne formule du droit: uti possidemus, ut possideamus interea, dum judicio disceptabimus » — nihil tamen inde sequeretur contra nostram sententiam; quia qui ratione utitur, Atheniensis ille an Romanus sit, invenire eam non potest tantum, sed debet etiam; quia omnino jam lata fuerat ante Decemvirorum tempora; quia praeterea ne constat quidem, eamdem legem in jure Attico fuisse (exemplum enim a Buchaldo allegatum non ad jus *privatum*, sed ad jus quoddam gentium pertinet); quia de vindiciis quoque, secundum libertatem dandis, nihil invenitur in jure Attico; quia denique eadem lex vigebat apud alios populos, ut in legibus Zaleuci et apud veteres Germanos (2).

§ LXXXVIII. Si vindiciam falsam tulit, Praetor rei sive stlitis arbitros tres dato: eorum arbitrio fructi duplione decidito » — h. e. si quis mala fide possessionem nactus sit, Praetor tres arbitros dato, qui eam rem decidant, et ex eorum arbitrio malae fidei possessor fructus in duplum praestare cogatur (3). Haec quoque lex in malae fidei possessores statuta

(1) Leg. 125 et 128 Dig. de Reg. Jur. — Deferrière ad Juris regul. p. 27 seq. — Asande ad leg. 20 de reg. jur. — Heinecc. ad Institut. § 1286.

(2) Polybius Hist. XII. 7. pag. 999. — L. 84 apud Lindenbrog. in Cod. leg. ant. pag. 385. — Bouch. Vol. I. pag. 59 et 648. — Gothofr. p. 173. — Pothier pag. 163 sq.

(3) Festus sub v. *Vindiciae*. — L. 19 Dig. de usuris rei judic. — Bouch.

ad dolum et astutiam amovendam, in legibus Atticis non prostat.

§ LXXXIX. « Si quis rem, de qua litis siet, in sacrum dedicassit, duplione decidito » — i. e. rem, de qua controversia est, in sacrum dedicare ne jus esto : qui dedicaverit dupli poena mulctator. De qua re loquitur Gajus lege ultima Dig. de litigiosis) ubi haec leguntur : « Rem de qua controversia est, prohibemur in sacrum dedicare, alioquin dupli pœnam patimur. Nec immerito, ne liceat eo modo duriorem adversarii conditionem facere. Sed duplum utrum fisco an adversario praestandum sit, nihil exprimitur; fortassis autem magis adversario, ut id veluti solatium habeat pro eo, quod potentiori adversario traditus est (1). » Eodem modo loquitur Terrassonus (p. 204) : « Les Décemvirs défendirent ces sortes de consécrations, parcequ'elles ne pouvaient être que très-préjudiciables aux deux parties et fort injurieuses envers les dieux. En effet, dès qu'un fonds était une fois consacré, le propriétaire n'en était plus le maître et la consécration finissait toutes les disputes, en ce qu'elle enlevait également une terre, soit à celui, qui voulait l'usurper, soit à celui, qui par événemens en aurait été déclaré légitime propriétaire ». In hoc autem loco non immorabimur, quoniam nihil ejusmodi reperitur apud Athenienses seu reliquas Graeciae gentes.

Vol. II. pag. 373. — BACHIUS pag. 72 sq. — GUNTHER pag. 67 sq. — TERRAS. pag. 204. — GOTHOF. pag. 139 sq. — BOULAGE pag. 229 sq.

(1) BOUCH. Vol. II. pag. 371 sq. — FESTUS sub. v. *Puri*. — GUNTHER pag. 67 sq. — TERRAS. pag. 204. — GOTHOF. pag. 139. — POTHIER pag. 162 seq.

§ XC. Pervenimus ad legem summae notae : « Tignum junctum aedibus vineaeve ne concapet ne solvito. Ast qui junxit, duplione damnator : tigna quandoque sarpta donec demta erunt, vindicare jus esto ». Tenendum est, voce *tigni* omnem omnino materiam notari, qua aedificia fiunt (1). Quibus praemonitis, paucis dicamus de sensu legis. Qui igitur in suo solo ex aliena materia aedificavit, ipse intelligebatur dominus aedificii; quia omne, quod solo inaedificatur, solo cedit jure accessionis; nec tamen eapropter is, qui materiae dominus erat, desinebat esse dominus ejusdem ; ut tamen nec vindicare eam posset, nec ad exhibendum de ea re agere, ne aedificia ex hac caussa diruerentur atque his ruinis adspectus Urbis deformaretur. Idem valuit de tigno vineis juncto.

De hac lege haec profert Bouchaldus (I. p. 653) : « Les Décemvirs ne voulurent pas, que tout ce qui est compris sous l'expression générale de *Tignum*, s'il était une fois joint, soit à un bâtiment, soit à une vigne, pût être revendiqué. Le motif de cette défense fut d'empêcher que les ruines des maisons abattues ne rendissent désagréable l'aspect de la ville, et qu'on ne troublât la culture de la vigne ». In eum tamen, qui junxit, dabatur actio de tigno juncto ad duplum praestandum ; si aliqua ex caussa dirutum esset aedificium, poterat materiae dominus eam vindicare et ad exhibendum de ea re agere, si is, qui aedificaverat, in mala fide versabatur : dupli enim solutio tantum erat poenae furti praestatio. Si vero bona fide fundi dominus alienis materiis aedificaverat, aliter

(1) § 29 Inst. de rer. divis. — L. 62 Dig. de V. S. — L. 7 Dig. ad exhibendum.

se res habuit : nam duplum solvendo tunc emtor materiarum factus esse videbatur. Si vero duplum non obtinuerat, materiarum dominus, sublato aedificio, eas vindicare potuit (1).

§ XCI. *De Divortio.*

« Si vir mulieri repudium mittere volet, caussam dicito harumce unam » (2). Divortium maritis quidem permiserat Romulus, non uxoribus (3); quod jus deinceps translatum, Duodecim etiam tempore viguit (4) : jure autem Solonis

(1) WARNKŒNIG Comment. juris privati § 224. — L. 23. § 2 Dig. de usucapion. et usurp. — HUBER ad Instit. Lib. II. tit. 1. § 29. — TUTDENUS ad eumdem locum cap. 41. 43. — POTH. Traité du droit de dom. et de propriet. n° 178. (Opp. Omn. II. p. 159-426). — BACH. pag. 54 sq. — GUNTHER pag. 67 seq. — BOUCH. Vol. I. pag. 653. — GAJI Instit. II. 75. — FEST. sub v. *Tignum*. — L. 7. § 10 Dig. de acquir. rerum dom. — L. 62 Dig. de V. S. — L. 98. § ult. Dig de solut. — L. 1. 2 Dig. de tigno juncto. — L. 6. 7 Dig. ad exhibendum. — § 29 Inst. de Rer. divis. — L. 23. § 6 Dig. de Rei vindic. — DEFERRIÈRE ad Instit. Lib. II. tit. 1. § 29. Vol. II. pag. 58 sq. — GOTHOF. pag. 112 sqq. 114-173 sq. — L. 63 Dig. de donat. inter vir. et uxor. — TERRAS. pag. 142. — POTH. pag. 114 sqq. — BOULAGE pag. 158 sq.

(2) VICTORIUS Variae Lectiones II, 2, et MEURSIUS Var. Lectt. V. 8. — PERIZONIUS Anim. Hist. cap. 9. pag. 371 seqq. — NONIUS IV. 152. — HEINECC. Ant. Rom. Adpend. Lib. I. cap. 1. § 44. — TERRAS. Part. II. § 8. pag. 140. 142. — L. 43 Dig. ad leg. Jul. de adulteriis. — CIC. Philipp. II. 28. — GOTHOF. pag. 114. — BACH. pag. 54 sq. — GUNTHER pag. 54 seq. — BOUCH. Vol. I. pag. 654. — POTH. pag. 117 seq. — BOULAGE pag. 160.

(3) PLUT. in Romulo 22. pag. 31, in fine. — GELL. X. 23. — MONTESQ. Esprit des lois Lib. XVI. chap. 16. — MERLIN Répertoire de jurisp. sub v. *Divorce*, Tom. III. pag. 716. — WANNAAR pag. 35 seqq.

(4) PLAUT. Mercat. Act. IV. Sc. VI. — CREUZER pag. 63. — BOUCH. Vol.

divortium non marito tantum, sed etiam uxori concedebatur (1). Cujus rei ratio apud Romanos facile agnoscitur ex ipsamet matrimonii natura. Nam matrimonio, quod usu fiebat, maritus possessione mulieris tanquam rei mobilis dominium acquirebat. Dominus igitur juri suo valedicere potest, mulier, cujus dominium ex jure Quiritium acquisivit maritus, quae igitur a viri potestate liberari nequit, non potest.

Idem valet de aliis modis matrimonii contrahendi, quibus uxor in manum convenit; de *confarreatione* igitur et de *coëmtione* (2). De qua re consule Gibbonum, qui (p. 47) haec profert: « Dans les premiers siècles, un père de famille était le maître de vendre ses enfans, et sa femme se trouvait comprise dans le nombre des enfans. Armé d'un pouvoir despotique, il pouvait la condamner à mort, ou par clémence se borner à la chasser de son lit et de sa maison; mais à moins que le mari, déterminé par sa propre convenance, ne voulut user du privilége du divorce, l'esclavage de la femme malheureuse était perpétuel et sans espérance. On a donné de grands éloges à la vertu des Romains qui, durant plus de

I. pag. 125 sq. — Rubrica legis 42 Dig. ad leg. Jul. de adult. — LIV. XXXIV. 6. — GRUPEN. § 26. pag. 177 seqq. — HEINECC. l. l. Adpend. Lib. I. cap. 1 § 46. — BOUCH. Vol. I. p. 97.

(1) MONTESQ. Esprit des Lois Lib. XVI. cap. 15 sq. — WANNAAR pag. 25 sqq. — BARTHEL. Vol. I. Introd. Part. II. sect. 1. p. 88, et Vol. II. cap. 20. — TERRAS. pag. 51. — Cfr. POLLUX VIII. 3. — PLUT. in Alcibiad. pag. 195. C. — ANDOCIDES in Alcibiad. pag. 30. — ISAEUS ἐν τῷ ὑπὲρ τουτ. Πύῤῥου κλήρου p. 45. — PETIT. Lib. VI. tit. 3. pag. 558 seq. — DEMOSTH. Orat. I. in Metor. pag. 523 seq. — BOUCH. Vol. I. pag. 658 seq. — BONAMY pag. 74.

(2) Cfr. WANNAAR l. l. p. 37.

cinq siècles, ne firent aucun usage de ce privilége si séduisant; mais ce fait même montre l'inégalité d'une liaison, dans laquelle *l'esclave ne* POUVAIT *renoncer à son tyran;* et *où le* tyran ne VOULAIT point *abandonner* son esclave ».

Quae cum ita sint, leges Romanas de divortio ab Atticis ejusdem argumenti differre constat. Praeterea Romanis maritis sine caussa sontica non licebat, repudium mittere uxoribus, praeter hos casus gravissimos: propter *venenum liberis datum;* propter *adulterium*, propter *liberorum claviumque subjectionem* (1). Hoc quidem eruitur e loco Plutarcheo (in Romulo 22). Quae vero de *suppositione clavium* ille refert, ea de clavibus cellae vinariae intelligenda ideoque ad delictum ebrietatis referenda esse a Plinio docemur (H. N. XIV. 13), qui, matronam, ait, quod loculos, in quibus erant claves vinariae cellae, resignavisset, a suis inedia mori coactam esse (2). Mulieribus enim Romanis vini usus non contigit (3). Quod igitur delictum apud Graecos censebatur levissimum, idem Romanis pro summo crimine erat, ita ut mulier ebria vel occidi posset a marito (4).

(1) PLUT. in vita Romuli cap. 22. — TERRAS. Prat. I. § 7. pag. 51. — PIRMEZ pag. 17. — WANNAAR pag. 36.

(2) PIRMEZ De Marito tori viol. vind. pag. 17, in nota. — TERTUL. adversus Gentes capit. 6. — BONAMY pag. 72. — GELL. X. 23. — VAL. MAX. VII. 3. n° 9. — SERV. ad *Virg.* Aeneid. I. vers. 737. — BOUCH. Vol. I. p. 659-662-663. — L. BOSIUS p. 233.

(3) ATHEN. Deipnosophist. X. — AELIANUS II. 38. — BASIL. apud *Valderum* (1535) pag. 211. 217. — BOUCH. Vol. I. pag. 662 seq.

(4) Lib. II. pag. 95.

Tu vero de ea re lege, quae prostant apud Dionysium, qui (1) narrat : Mulierem, quae deliquisset, judicem laesum habuisse, poenaeque magnitudinis arbitrum ; de eo vero cognovisse maritum cum cognatis, si adulterium commisisset, vel vinum bibisset : Romulum enim hoc utrumque, ut muliebrium delictorum gravissimum, puniri jussisse, quia stuprum desperatae audaciae, ebrietatem vero stupri originem esse judicaverit. « Ex lege igitur Romuli maritus ab uxore divertere non poterat, nisi propter ebrietatem, adulterium et venenum liberis datum (2). Haec autem lex regia migrasse videtur in Duodecim, secundum quas divortium justum solum fieri potuit addita caussa (3), ut Cicero quoque testatur (Philipp. II. 28) : « Nolite, nolite quaerere ; frugi factus est : mimam illam suam suas res sibi habere jussit ex XII Tabulis. *Causam addidit*, exegit ». Unde intelligitur, cur veteres auctores semper illas caussas adjecerint. Sic Naevius (ap. Festum s. v. *Sonticum*) ait : sonticam esse oportet caussam, quamobrem perdas mulierem (4) ». Accedebat adeo, Censorum auctoritate, jusjurandum, quo confirmaretur, divortium ex justa caussa esse factum (5). Quod si absque justa

(1) DIONYS. II. p. 95 sq. Exempla sunt apud PLIN. H. N. XIV. 13. — LACTANT. Div. Inst. I. 22. — ARNOB. adv. Gent. V. p. 99.

(2) GELL. X. 23. — MARTIAL. Epigramm. V. 4. — PIRMEZ pag. 9. 10. 17, 31 sq. 35. — BOUCH. Vol. I. pag. 125 sq. 659-663 seqq. — GIBB. pag. 46. 136. — GUNTHER p. 17. — CUJAC. Observat. VI. 25. — WANNAAR p. 36.

(3) *Nota :* Non solebat antiquitus uxori dari repudium, nisi caussa cognita in concilio cognatorum. — VAL. MAX. II. 1. 4. 8. — POTH. p 127 sq.

(4) VARRO apud *Nonium* II. 73. — HEINECC. Adpend. Lib. I. cap. 1. § 44.

(5) GELL. XVII. 21. — BONAMY pag. 73.

caussa et sontica factum a marito esset, Romulea lege bona mariti partim Cereri sacra facta sunt (1). Plane aliter se res habuit apud Graecos. Solon enim non certam divortii caussam indixerat, sed marito uxorem dimittere permiserat ob quamvis et levissimam causam et ex suo prorsus arbitrio; in cujus rei gratiam mulieri quoque licuit, a viro divertere, quin hoc jus ulla ratione esset restrictum. Recte de ea re disserit Merlinus (2): « Solon permit aux femmes d'Athènes, de quitter leurs maris, et aux maris de répudier leurs femmes; il n'exprima aucune cause de répudiation, parce que la volonté de l'une ou de l'autre des parties en formait seule une suffisante. Romulus voulut restreindre la faculté du divorce, permis chez les Athéniens arbitrairement du côté de la femme et du mari, dans des bornes et à des occasions prescrites. Il fallait que la femme, pour être répudiée, eût commis un adultère, préparé du poison, ou falsifié les clefs (3). « Praeterea ab uxore adultera sub poena infamiae divertere debuit maritus ex legibus Atheniensium (4): secundum Duodecim vero propter adulterium uxorem repudiare *poterat* quidem, nec vero debuit maritus. Ex qua re patet, jus Romanum non solum ante Decemviros, sed etiam post eorum leges ab Attico

(1) PLUT. in Rom. cap. 22. — WANNAAR pag. 37. — BOUCH. Vol. I. pag. 125.

(2) Répertoire de jurisprudence sub v. *Divorce*, Sect. I. n° 2. Vol. III. pag. 716.

(3) BRUNINGS pag. 70. — WANNAAR pag. 26 sq. 36. — BOSIUS pag. 209. — POLLUX XXXIII. Segment. 47.

(4) BOSIUS pag. 210. — DEMOSTH. in Neaeram pag. 529. — AESCHINES contra Timarchum pag. 26. — PIRMEZ pag. 8. — PETIT. Lib. VI. tit. 4. n° 5. pag. 565. — TERRAS. pag. 18. — WANNAAR pag. 26.

maxime fuisse diversum (1). Verum quidem est, apud utrumque populum viro divortium fuisse permissum, sed, ut vidimus, lex de eo lata Romulea fuit. Praeterea repudium non apud Graecos solum, sed apud Hebraeos quoque facere licuit, ut claris verbis divinus legislator (2): « Si acceperit homo, ait, uxorem et habuerit eam et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam foeditatem; scribet libellum repudii. Et dabit in manus illius et dimittet eam de domo sua ». Quae lex Mosaica plane congrua est cum XII Tabulis. Ex Hebraeorum enim legibus, ut apud Romanos, a marito divertere non potuisse uxorem (3), expressis verbis testatur Josephus (4): *ἀνδρὶ μὲν ἔξεςι ἀπολύεσθαι τὸν γάμον, ὃ δὲ γυναῖκι.* Unde consequitur, jus Mosaicum et Romanum Attico contrarium esse. Ceterum res facile explicatur ex vita patriarchali. Mulier tanquam res, non persona, potestati illimitatae patrisfamilias

(1) Leges enim Romuli de facultate repudiandi soli marito concessa cum causis, quibus divortium licitum esset, in XII Tab. receptae sunt, ut jam vidimus. Male itaque Merlinus (Répertoire de jur. sub v. Divorce) ait: « La lois des douze tables étendit le pouvoir de divorcer à d'autre circonstances, que ne l'avait fait la lois de Romulus. — Confr. Terras. pag. 51. 52. — Bouch. Vol. II. pag. 659. 667. — Montesq. Esprit des lois XVI. 16. — Brower de jure connub. II. 31.

(2) V. Mos. 24, 1. — Evang. Matth. V. 31. XIX. 7. — Marc. X. 4. — Chrysostom. in Homel. 17 Ev. *Matth.* — Buxtorf. De Spons. et Divort. pag. 99 seqq. — Carpzov. Part. II. Quaest. 63. n° 9 seqq. — Merlin sub v. *Divorce*, Vol. III. pag. 711-717. — Wannaar pag. 19 seqq. — Deferrière sub v. *Divorce*, Tom. I. pag. 706.

(3) Judicum XIX. 1. — Malach. II. 16. — De Pastoret IV. p. 25 seqq. — Gothof. pag. 176. — Terras. pag. 52.

(4) Antt. Hebr. XV. 7. § 9.

subjecta est; ille autem rem suam *emancipare* et juri suo valedicere, haec a DOMINI SUI imperio se liberare non potest.

Apud Spartanos divortium ne nominabatur quidem et dissolutio nuptiarum nullis legibus sancita reperitur, omni modo illicita (1).

§ XCII. *De rebus creditis.*

« Si quid endo deposito dolo malo factum escit, duplione luito (2) ». Depositarius igitur, qui dolo malo aliquid in deposito egerat, *actione depositi directa* in duplum conveniri poterat. Romani enim turpe atque impium esse censebant in hoc contractu fidem fallere: nam furi similis videbatur depositarius dolosus (3). Cum igitur Athenis in depositi contractu daretur actio, quae dicebatur δίκη παρακαταθήκης (4); continuo hanc legem illi Atticam dixere; sed hoc perperam. In jure enim Attico actio nulla dabatur in duplum. Ceterum sana ratio satis monet, depositarium dolosum posse conveniri; ex qua communi omnibus ratione similitudo legis satis patet. Unde nemo mirabitur, eamdem legem apud Hebraeos quoque sancitam esse, quae sic habet (5): « Si quis commen-

(1) GRONOVII Thesaurus Vol. V. pag. 2605. — WASSAAR pag. 28-32.

(2) BACH. Vol. I. pag. 42 et 43. — GOTHOF. pag. 89. — BOUCH. Vol. I. pag. 408. — TERRAS. pag. 110. — Coll. Leg. Rom. et Mosaic. tit. 10. § 7. — PAULUS S. R. II. tit. 12. § 11. — POTH. pag. 88. 89. — BOULAGE pag. 125.

(3) L. 13 Dig. depos.

(4) POLLUX VIII. 6. Segm. 31.

(5) II. Mos. XXII. 7-9.

daverit amico pecuniam aut vas in custodiam et ab eo, qui susceperat, furto ablata fuerint; si invenitur fur, duplum restituet : si latet fur, dominus domus applicabitur ad deum et jurabit, se non extendisse manum in rem proximi sui, et se furti non fuisse participem, sive agatur de bove, sive de asino, sive ove, vel alia re. Lis deferatur ad judicem et si contra depositarium sententia feratur, tenebitur duplum domino reddere. » Quae dupli poena, a Mose constituta, apud Solonem desideratur (1). Quum autem de Graeca origine totius legis dubitarent; alii verba saltem *dolus malus* e Graecis desumpta contendunt (2), quibus usurpabatur *δόλος κακός*; apud Homerum (3) : *καὶ σὺ κακοῖσι κεκασμένε*. Quo testimonio usus, Bouchaldus scribit : « Les Grecs avaient donné aux décemvirs l'exemple de joindre au mot (*δόλος*) l'épithète (*κακός*) ». Falsa sententia : est enim differentia inter fraudem, qua quis utitur ad alios circumveniendos, fallendos aut decipiendos, et fraudem, quam quis committit bona mente, et v. g. defensionis causa : haec enim fraus nemini nocet, sed bono etiam consilio agit, plane naturalis est. Unde distinctio inter *dolum bonum* et *dolum malum* ex ipsa ratione oritur cujusvis hominis (4).

(1) Bouch. Vol. I. pag. 114. 409. — Heinecc. Lib. III. tit. 15. § 31.

(2) Bouch. Vol. I. pag. 411.

(3) Ilias IV. 339.

(4) Qu. Curtius IV. 13. § 1. — Instit. de vi. bon. rapt. — Aristot. Ethic. VI. 13. — L. 3. § 1 de injur. — L. 1. § 2 et 3 Dig. de dolo malo. — Terent. Eunuch. Act. III. Sc. III. v. 8. — Cic. De Off. III. 14. — Lex 7. § 9 Dig. de pact. — Noodt de form. emend. dol. mal. in contrahendis negot. admiss. apud vet. Lib. sing. cap. 2 (Tom. I. Oper. pag. 370). — Bouch. Vol. I. pag. 412 seqq.

§ XCIII. « Si quis unciario foenore amplius foenerassit, quadruplione luito (1) ». Sensus legis difficultatem nullam habet; quid autem sit *unciarium foenus*, de ea re quondam inter auctores magna lis erat, nunc, auctore Cel. Hugo, composita : is enim manifestum fecit, illud fuisse, quod nostrates dicunt « 10 pour cent dans une année de douze mois (2) ». Legis nostrae meminit Tacitus (3) his verbis : « Vetus Urbi foenore malum et seditionum discordiarumque creberrima caussa; eoque cohibebatur antiquis quoque et minus corruptis moribus. Nam primo XII Tab. sancitum, ne quis unciario foenore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletium agitaretur » — et Cato in prooemio de Re Rustica : « Majores nostri sic habuerunt et ita in legibus posuerunt furem dupli condemnari; foeneratorem quadrupli. Quanto pejorem civem existimaverint foeneratorem quam furem, hinc licet existimare ». Apud Athenienses vero effrenata erat foenerandi licentia, ut patet ex lege Solonis, ubi dicitur : usurarum modus esto, quem stipulatus fuerit foenerator (4): unde mirum

(1) BACH. pag. 42. 43. — BOUCH. Vol. I. pag. 417 seqq. — TERRAS. pag. 110 seqq. — GOTHOF. p. 90.

(2) HUGO Magazin für Civilistisch. Recht. Tom. V. p. 180-184. — NIEBUHR Tom. II. pag. 431. — WARNKŒNIG in edit. *Gibbonis*, pag. 152 seq. — MONTESQ. Esprit des lois XXIV. ch. 22, et XXII. ch. 22. Tom. II. pag. 36. Tom. III. pag. 478. — GRONOVIUS de pecunia veteri Lib. III. cap. 13. pag. 213. 227. — NOODT in Oper. Tom. II. pag. 175. 268. — DUPUY Mémoir. de l'Acad. Tom. XXVIII. p. 734 seqq. — GRAVINA de origine juris civilis cap. 47. — BOUCH. Vol. I. pag. 418 seqq. — POTH. p. 89. — MERLIN sub v. Interet, § 2. p. 400. Vol. VI. — BOULAGE p. 125 sq.

(3) *Annalium* VI. 16. — HEINECC. Lib. III. tit. 15. § 7.

(4) LYSIAS ἐν τῷ κατὰ Θεομνήστου cap. 6. — PETIT. Lib. V. tit. 4. n° 1. p. 498.

non est, cur Demosthenes (1) foenus, quod Athenis in usu erat, nominet μεγάλους τόκους; Ulpianus vero πόλλούς τόκους (2). Usitatissimus vero foenerandi modus erat centesima usura, quae τόκος ἐπὶ δραχμῇ dicebatur, i. e. ut pro mina singulis mensibus drachma penderetur (3). Inde facile concluditur, terminos foenori apud hunc populum fuisse nullos. Allegat quidem Petitus ille (4) legem, ab Ulpiano (p. 481) laudatam: εἰσι γὰρ ἰδιωτικοὶ νόμοι, οἷον μὴ λαμβάνειν πολλοῖς τόκοις. Probavit autem Salmasius (5), illam non legen fuisse, sed pertinuisse ad ἔθος, quod privati ipsimet inter se constituissent (ἰδιωτικοὶ νόμοι). Insuper lex a Petito laudata nec a Solone lata, nec tempore Decemvirorum Athenis in usu fuit, sed circa finem fere temporis Timocratici invaluit. Immodicas ceterum usuras Atheniensium omnes fere auctores perstringunt (6); qui simul perhibent, ex jure Attico impune exortas esse usuras quamcrudelissime. Ut igitur naturale erat usuriam pravitatem lege coërcere, ita manifestum est, legem Romanam jam a Servio Tullio fuisse latam (7).

(1) In prima Olynt. pag. 3, edit. *Wolfius*.

(2) Ad primam Olynth. pag. 20. Tom. V. edit. *Wolf.* — BOUCH. Vol. I. pag. 97.

(3) PETIT. L. V. 4. n° 1. p. 468. L. VI. tit. 2. n° 1. p. 550.

(4) Lib. V. tit. 4. pag. 501.

(5) De modo usurar. pag. 94.

(6) S. PETIT. lib. V. tit. 4 n° 1. pag. 498 et 500. — BOUCH. Vol. I. pag. 97. — GIBB. pag. 68.

(7) Vid. BONAMY p. 44. — GUNTHER p. 29.

§ XCIV. *De obaeratorum conditione.*

« Aeris confessi rebusque jure judicatis triginta dies justi sunto, post deinde manus injectio esto, in jus ducito; ni judicatum facit, aut quis endo eo in jure vindicit, secum ducito, vincito aut nervo aut compedibus, quindecim pondo ne majore, aut si volet minore vincito : si volet, suo vivito, ni suo vivit, qui em vinctum habebit, libras farris endo dies dato; si volet, plus dato. Ni cum eo pacit, LX dies endo vinculis retineto : interibi trinis nundinis continuis in comitium procitato, aerisque aestimiam judicati praedicato. Ast si plures erunt rei, tertiis nundinis partis secanto : si plus minusve secuerint, se fraude esto; si volent trans Tiberim peregre venumdanto (1) ». De qua lege dicamus uberius.

Debitoribus confessis et judicatis XXX dies concedebantur, intra quos pecuniam conquirerent, qua satisfieret creditoribus. Hi dies vocabantur justi, intraque eos nihil contra debitorem jure agi poterat. Qua igitur aequitate ducti legem jusserunt Decemviri, ne tam cito alia duriora media in miserum debitorem adhiberentur. Diebus vero his elapsis, in jus rapi potuit debitor; non ut de debito iterum judicaretur (2); sed ut addiceretur creditori.

(1) TERRAS. pag. 113 sqq. — BOUCH. Vol. I. pag. 459 seqq. — GOTHOF. pag. 90 seqq. — BACH. pag. 42 sqq. — GUNTHER pag. 59 seq. — GELL. XV. 13. XX. 1. — SENECA De Beneficiis III. 8. — POTH. pag. 91 sq. — BOULAGE pag. 127-137.

(2) Res enim judicata pro vera habebatur : L. 207 Dig. de reg. jur. — ASANDE ad eam legem (Op. Omn. p. 138).

Jam vero in jus raptis duae patebant elabendi viae : sive enim quod judicatum erat faciendi, sive reperiundi vindicem seu expromissorem, qui pecuniam pro addicto solveret. Quod si vero nec solvi, nec reperiri vindex posset, addicebatur obaeratus creditori, a quo nervis compedibusque ligabatur, quorum tamen onus XV pondo majus esse non debuit. Ex legibus igitur Decemviralibus debitori licuit nervo vincire creditorem, i. e. nexum facere, in vincula et carcerem conjicere, ad operas serviles cogere. Quae lex plane ex jure veteri translata est : morem enim saeviendi in debitorum corpora jam sub Servio Tullio viguisse constat ex Dionysio (IV. 9), qui regem inducit ita loquentem :

« Qui in posterum pecuniam a foeneratoribus accipient, hos non patiar ob suum aes alienum abduci in vincula (nervum), sed legem feram, ne quis foenerator in corpora libera jus habeat, satis esse existimans foeneratoribus, si bona debitorum possideant » ; quod idem testatur Livius (II. 23. 24 27); ubi hoc modo exponuntur seditiones, quae *ante XII Tabulas* Romae ortae fuerant : « Civitas secum ipsa discors intestino inter patres plebemque flagrabat odio, maxime *propter nexos ob aes alienum*. Fremebant se foris pro libertate et imperio dimicantes, domi a civibus captos et oppressos esse..... magno natu quidam cum omnium malorum suorum insignibus sese in forum projecit. Obsita erat squalore vestis, foedior corporis habitus pallore ac macie perempti, ad hoc promissa barba et capilli efferaverant speciem oris : noscitabatur tamen in tanta deformitate et ordines duxisse ajebant ; aliaque militiae decora vulgo miserantes eum jactabant : ipse testes honestarum aliquot locis pugnarum, cica-

trices adverso pectore ostentabat. Sciscitantibus, unde ille habitus? unde deformitas? cum circumfusa turba esset prope in concionis modum, Sabino bello, ait, se militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruerit, sed villa incensa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquo suo tempore imperatum aes alienum fecisse, id cumulatum usuris, primo se agro paterno avitoque exuisse, deinde fortunis aliis, postremo velut tabem pervenisse ad corpus, ductum se ab creditore, non in *servitium*, sed in *ergastulum* et *carnificinam* esse: inde ostentare tergum foedum recentibus vestigiis verberum. Ad haec visa auditaque clamor ingens oritur; non jam foro se tumultus continet, sed passim totam urbem pervadit: *nexu vincti*, solutique se undique in publicum proripiunt, implorant Quiritium fidem ». Has igitur leges vetustissimas esse, nemo dubitabit (1), verum facile sibi persuadebit, Decemviros easdem lege tantum scripta confirmasse.

Dies justi, intra quos post sententiam latam debitori pecuniam conquirere licebat, et quae sunt reliqua, a Servio Tullio constituti fuerant, teste Dionysio (IV. p. 21 sq.). Cum enim antea Patricii eos, qui debitum ex contractu non exsolvebant, statim atque pro lubitu in servitutem abducerent, rex plebeiorum corpora libera praestare voluit eo, ut aes alienum confessum esse, et a judicibus reos auditos et inducias et vin-

(1) Hoc etiam testatur DIONYS. II. 10. V. 13, et LIVIUS II. 3. 33. 34. — Cfr. BOUCH. Vol. I. pag. 440, coll. cum 182. — TERRAS. Part. II. § 1. pag. 83.

dices concessos juberet (1). Quod plane aliter constitutum videmus Solonis legibus, qui cavebat, ne nexu corporis in servitutem abducendi pecunia mutua daretur, seu ut illius verbis dicamus : ἐπὶ τοῖς σώμασι μηδένα δανείζειν (2). Verum igitur est, ante Solonem aqud Athenienses jus nexum faciendi debitorem viguisse, sed Decemviris non opus fuisse, ut illud peterent, cum, ut vidimus, eadem lex sub regibus sancita esset (3), et apud alios, ut apud Aegyptios, valeret (4).

Praeterea in nexi positum erat arbitrio, suone vivere, an a creditore ali mallet : si hoc elegerit, quotidie dari ei oportebat libram farris, i. e. pultem farream, qua Romani tum frequentius, quam ipso pane utebantur (5); quae lex a Solone ferri nequibat, cum sublato nexu corporum non amplius de ratione, qua debitorem creditor alere deberet, sermo esse posset. Pariter debitor, secundum Duodecim, LX dies nexus erat in privato creditoris carcere, ac interea singulis nundinis

(1) GUNTHER pag. 29 sq.

(2) HEINECC. Lib. III. tit. 30. § 3. — BONAMY l. l. pag. 67 — BARTHEL. Vol. I. p. 77. — PLUT. in Solone pag. 85 seq. — DIODORUS I. Biblioth. pag. 50. — PETITUS Lib. V. tit. 4. n° 5. pag. 507 sq. — PLUT. ἐν τῷ περὶ τοῦ. μὴ δεῖν δανείζεσθαι p. 826.— Interpr. Graecus Comici de Neb. ad v. 17 et 752. — DIONYS. V. 23. — BOUCH. Vol. I. pag. 97. 107. 176 seq. — SALMASIUS De modo usur. c. 17.

(3) MACIEIOWSKI p. 38. — NIEBUHR I. p. 257. 402. 404. — ZONARAS II. 1. — DIONYS. VI. 3 sqq.

(4) DE PASTORET Vol. II. pag. 239.

(5) PLIN. Hist. Natur. XVIII. 8. — VAL. MAX. II. 5. 5. — HEINECC. Lib. II. tit. 30. § 4. — BOUCH. Vol. I. pag. 451. — GELL. XX. 1. — JUVENALIS Satyr. XIV. vers. 170 seqq. — TERRAS. pag. 115.

producendus in forum, proclamandumque per praeconem, quantum pecuniae deberet, ut quis forte tam tristi spectaculo commotus pro eo expromitteret aut solveret. Si autem nec solvere quisquam pro eo ausus esset, nec ipse obaeratus intra hos LX dies transegisset, debitorem creditor morte afficere potuit, aut, si mallet, eum venumdare trans Tiberim. Sin autem plures essent creditores, tertiis nundinis debitoris corpus secari et inter creditores dividi potuit (1). In hac vero re quidam auctores nobiscum plane dissentientes negant, sectionem de *corpore* debitoris intelligendam esse; sed eam fuisse sectionem bonorum asserunt (2). Quae sententia ut repugnat nobis, ita oppugnat omnino veterum auctorum testimonio. Nam Quintilianus (Inst. Or. III. 6): « Sunt quaedam, ait, non laudabilia natura, sed jure concessa, ut in XII Tabulis debitoris corpus inter creditores dividi licuit, quam legem mos publicus repudiavit ». In eandem sententiam discedit Tertullianus (Apol. 4.), qui haec perhibet: « Sed et judicatos in partes secari leges erant: consensu tamen publico crudelitas postea erasa est, et in pudoris notam capitis poena conversa est bo-

(1) BOUCH. Vol. I. pag. 172 sqq. 453 seqq. 456 et 458 seqq. — GUNTHER pag. 59 sq. — TERRAS. pag. 116 sq. — HEINECC. Lib. III. tit 30. § 4.

(2) DE RAAD Diss. de statu cond. et jur. deb. obaer. apud Rom. (in Oelrichii Thes. Novo Vol. III. Tom. I). — HEINECC. Lib. III. tit. 30. § 4. pag. 609. — HOFFMAN hist. jur. Rom. Tom. II. pag. 181. — BYNKERSHOEK Obs. jur. Rom. Lib. I. cap. 1. — BOUCH. Vol. I. pag. 177 seqq. 180. 457-459. — GUNTHER pag. 60. — GRUTER ad LIV. VIII. 28. — ANNAEUS ROBERT Rer. Jud. II. 6. — HERM. CANNEGIETER De sect. debit. (in Dissertat. L. B. 1744. X). — TAYLOR Comm. ad Legem Decemvirorum de inope debitore in partes dissecando (in Fellenbergii Jurisp. antiq. Tom. I). — HERALDUS ad jus Attic. Lib. IV. c. 4 sq.

norum adhibita proscriptione : suffundere maluit hominis sanguinem quam offundere ». Gellius denique (XX. 1) eodem modo loquitur : apud eum enim disputat adversus XII Tabulas Favorinus : « De immanitate illa secandi partiendique humani corporis, si unus ob pecuniam debitam judicatus addictusque pluribus, non libet meminisse et piget dicere. Quid enim videri potest efferatius, quid ab hominis ingenio diversius? quam quod membra et artus inopis debitoris brevissimo laniatu distrahebantur, sicut nunc bona distrahuntur? ». Cui respondet Caecilius, de re conveniens, licet legem nunquam applicatam fuisse dicat. Sic autem ille perorat : « Eam capitis poenam sanciendae fidei gratia honorificam, atrocitatis ostentu, novisque terroribus metuendam reddiderunt : nam si plures forent, quibus reus esset judicatus, secare corpus addicti sibi hominis permiserunt (Decemviri)...... nihil profecto immitius, nihil immanius, nisi, ut re ipsa apparet, eo consilio tanta immanitas poenae denunciata est, ne ad eam unquam perveniretur; addici namque nunc et vinciri multos videmus, quia vinculorum poenam deterrimi homines contemnunt; dissectum esse antiquitus neminem equidem neque legi neque audivi, quoniam saevitia ista poenae contemni non quita est ». Hic igitur excusat legis crudelitatem, quam ceterum legibus Duodecim permissam fatetur.

Corporis igitur sectio verbotenus usurpanda est; quam sententiam confirmat principium Romanis receptum : « *Qui non habet in aere, luat in corpore* ». Certe, debitor enim erat *res* creditoris, qui ea potuit uti ex arbitrio : si vero plures essent creditores, singulis satisfieri debebat; igitur res una inter plures dividi; quod in corpore humano non aliter fieri,

quam sectione potuit. Nam si de hominis *opera* singulis praestanda sermo fuisset, Duodecim non usi fuissent voce *secare*. Fieri etiam potuit, ut debitor operae praestandae plane esset impar; ita ut praeter corpus nihil esset. De *bonorum* vero *divisione* sermonem esse non posse, cum ex *verbo* eruitur (nemo enim dicit *secare* bona), tum exinde, quoniam ubi bona nulla sunt, dividi omnino nequeunt. Lege autem utique satis agendum erat; non minus, quam hodie fieri videmus, ut latro aut homicida virgis seu ense caedatur. Est tamen argumentum irrefragabile in ipsis verbis legis nostrae « *si plus minus ve secuerint, se fraude esto*, quae non nisi de corporis sectione commode intelligi possunt, ut ipse fatetur Bouchaldus (Vol. I. p. 181. 459) : « Si l'on prend le mot *secare* dans sa propre signification, alors ces dernières paroles du fragment présentent un sens clair; savoir, que si l'un des créanciers prend une plus grosse part du cadavre mis en pièces, que celle qui doit lui appartenir à raison de la quotité de sa créance, qu'il soit néanmoins impuni. Les Décemvirs ont pu, dans une pareille conjecture, permettre quelque chose au ressentiment et à l'indignation des créanciers et ne leur point faire un crime de ce qu'ils avaient excédé la part du cadavre, qui leur revenait : mais si le mot *secare* est pris dans un sens figuré, en sorte, qu'il signifie une vente, qui se fait à l'encan, le produit de la vente a dû se distribuer entre les créanciers proportionnement à la quotité de la créance de chacun; et si l'un d'eux prend une plus grande part, que celle qui lui doit revenir, il fait nécessairement tort aux autres; et c'est une injustice, que des législateurs ne peuvent autoriser en la laissant impunie (1) ».

(1) Nostram sententiam pariter defendunt GIBBONUS pag. 73. 155. —

Omnino Romani non ejusmodi fuere, ut a naturali verborum significatione recederent et metaphorice *in ferendis legibus* loquerentur; praesertim illo tempore ingenuae et nativae antiquitatis (3). Si vero legem ipsam intueamur et tempus, quo ea lata est, nullam in ea crudelitatem deprehendimus, modo nostram nostri temporis humanitatem non in illam aetatem ferream transferamus. Exemplo esse populi orientis possunt, qui in hostes etiam captos eodem modo saevire solebant. In libro enim II Regum (XII. 31) haec legimus: « Populum civitatis Rabbath adducens *serravit* David, et circumegit super eos *ferrata carpenta : divisitque cultris* et *traduxit in typo laterum;* sic fecit universis civitatibus filiorum Ammon ». Ratio, qua apud Judaeos utebantur creditores in debitores, exponitur in Evangelio Matthaei (XVIII. 24. 25): « Cum debitor non haberet, unde redderet, jussit eum dominus ejus venumdari et uxorem ejus et filios et omnia, quae habebat » — et ibidem (vers. 34): iratus dominus tradidit eum tortoribus, quoad usque redderet universum debitum ». In quo loco non obliviscendum est, Evangelistam Romanos mores exprimere.

Fuere autem Romani illi non delicatuli homines, qui sanguinem horrerent seu quavis crudelitatis specie et umbra fre-

Merlin sub v. Droit Naturel. Tom. IV. pag. 370. — Leyserus Meditationes ad Pandect. I. 2. — Hauboldus Observ. jur. Rom. I. 16. — Winss. De Dolo et Culpa pag. 119. — Vanderton pag. 89. — Terras. pag. 116 sq. — Bouch. pag. 173 seq. Vol. — I. J. W. Neuhaus De Obaeratis debitorib. § 2-6. — Poth. pag. 93. 94.

(1) Bouch. Vol. I. pag. 181, 182 et 459.

merent. Quam rem probavit Brutus ille, qui pater filios ipse supplicio tradidit (1); non secus Metius Albae rex, quem quadrigis religatum in diversas partes distraxere : pariter lex illa, quae patri jus vitae et necis in filios dedit (2); quae certe non minus sunt crudelia illis. Nec etiam injusta quidem lex vocari potest, nec inhumana : qui enim a pluribus creditoribus pecuniam accepit, ut eos facilius falleret, seu qui pecuniam ab iis acceptam libidine aut alea absumsit, restituendo impar factus (3), non certe injuria capite punitur (4).

Si vero probaverimus, idem quoque recentioribus *imperii* Romani temporibus factum fuisse, quod illi in Decemviris reprehendunt, nemo praeterea desiderabit argumenta validiora. Est autem manifestum, debitores, qui libidine seu alia morum pravitate solvendo impares facti fuissent, capitis supplicio fuisse adfectos (secund. L. 1 Cod. Theod. qui bonis ex leg. Jul.). Pariter Am. Marcellinus (XXVII. 7) refert : a Valentiniano Caesare morte punitos debitores, qui propter paupertatem aes alienum creditoribus solvere non potuissent. Ex hodierno etiam Codice poena operarum perpetuarum afficitur is, qui in via publica assem furatus sit (art. 383 Cod. penal.); capite punitur, qui unum solummodo manipulum in agro combusserit (art. 434); summo supplicio afficitur, qui qualemcumque monetam adulteraverit (art. 132). Haec vero

(1) LIV. II. 5. — DIONYS. V. 2.
(2) DIONYS. III. 8. fin. — GELL. XX. 1.
(3) DIONYS. II. p. 97 sq.
(4) Quam rem optime probat BOUCHALDUS Vol. I. pag. 174 seq. qui sibi ipse dissentit, ut videbis in Vol. I. p. 181 sq. 458. — Cfr. SENECA De Beneficiis VII. 16.

hactenus : eadem enim lex in Atticis institutis non invenitur, et Romanis priva est moribus.

§ XCV. *De judiciis.*

« Si in jus vocat atque eat, ni it, antestamino : igitur em capito. Si calvitur pedemve struit, manum endo jacito. Si morbus aevitasve vitium escit, qui in jus vocabit, jumentum dato : si nolet, arceram ne sternito ». Hinc colligitur, in jus vocationem privata auctoritate factam fuisse ita, ut actores obviam sibi reos monerent, ut ipsos in jus sequerentur ; si vero vocatus frustraretur aut moraretur ; iis qui proximi adstabant, denunciabatur testimonium : vocans enim adclamabat : *licet antestari?* et affirmantium auriculas memoriae caussa tangebat. Facta hoc modo antestatione, licebat auctori reum tergiversantem quocumque vellet modo, obtorto etiam collo, in jus rapere. Si vero imbecillitas aut morbus aetasve senilis eum impedirent, quominus sequi posset actorem, dabatur vectabulum sive vehiculum; ut tamen, qui in jus vocaverat, non teneretur vocato sternere plaustrum undique tectum et munitum (1). Lex Attica non

(1) TERRAS. Part. II. § 3. pag. 94. 95. 96. — GUNTHER pag. 63 seqq. — GOTHOF. pag. 78 sq. 153 seqq. — HEINECC. Lib. IV. tit. 6. § 14. — BOUCH. Vol. I. pag. 242 seqq. 262 seqq. et 183. — BACH. Hist. jur. pag. 36 sq. — GELL. XX. 1. — VARRO De Lingua Latin. IV. n° 31. — CIC. De Legg. II. 4. — *Auctor ad Herennium* II. 13. — HORATIUS Satyr. I. Satyr. IX. 74. — NONIUS cap. 1, sub v. *Calvitur.* — L. 233 Dig. princ. de verb. signif. — CUJAC. Observ. Lib. X. cap. 10. — FEST. sub v. *Struere.* — BRISSONIUS De Form. V pag. 366. — PORPHYRION Schol. ad locum *Horatii* modo laudatum. — BOULAGE pag. 91. 92. — VANDERTON p. 67. — POTH. Praef. p.

permisit (saltem hoc nullibi legitur) reum aegrotum, seu annis pene confectum, jumento impositum ad tribunal judicis trahere. Praeterea apud Athenienses in jus vocatio non manus injectione, sed per apparitores fiebat, et hoc quidem auctoritate magistratus (1). Sunt tamen, qui opinentur, idem jus de manus injectione sancitum fuisse in legibus Atticis, ex quibus igitur ad Romanos transierit; in quorum numero Petitus est, cui haec placent (2) : « Fiebat etiam aliquando in jus vocatio manus injectione. Lucianus δικαστηρίοις ἕπου, μιαρὲ, πρὸς τὸ δικαστήριον. ΑΛ. μὴ ἄρχε με. Ita apud Terentium in palliata Apollodori fabula, Phormione (Act. V. 7, 89 sqq.):

D. In jus eamus. Ph. In jus? huc, si quid lubet!
D. Adsequere, ac retine, dum ego huc servos evoco.
Ch. Etenim solus nequeo: accurre huc. Ph.
Una injuria 'st
Tecum. Ch. lege agito. Ph. Altera est tecum, Chreme
D. Rape hunc.

Et paullo post idem Demipho:

— Nisi sequitur, pugnos in ventrem ingere.
Ph. Vel oculum exclude ».

Hanc igitur Petiti sententiam his argumentis refellere conabimur: I Terentius non loquitur de jure Attico; nec plane video, quid ex hoc scriptore ducat Petitus ad sententiam

73 sq. — PLAUT. in Asinaria Act. II. Sc. IV. vers. 74. — PLIN. in Panegyric. cap. 36, coll. cum BOUCH. Vol. I. pag. 253. — PLAUT. in Rud. Act. III. Sc. V. vers. 45. — NIEUPORT De Rit. Rom. Sect. III. cap. 1. § 1 et 2.

(1) SAM. PETIT. Lib. IV. tit. 2. n° 1. pag. 401. — DEMOSTH. cont. Steph. pag. 165.

(2) Lib. IV. tit. 2. n° 1. pag. 402 seq.

suam confirmandam. Terentius enim, licet Graecos secutus, tamen potuit rationem habere juris, quod Romae vigebat. II Lucianus et Terentius a Petito laudati vixerunt multo post tempora XII Tabularum (1); unde ex iis non constat, manus injectionem fieri potuisse ex legibus Atticis tempore Decemvirorum. Contrarium plane eruitur ex Aristophane (2); ubi *in jus vocatio per apparitores fit et magistratuum modo auctoritate;* quae sententia confirmatur a Demosthene (3); in nullo autem loco dicitur de vi in reum licita. Romanis vero in jus vocatio manus injectione et obtorto collo jam sub regibus in usu fuisse videtur; legimus enim apud Livium (I. 26) Horatium in jus fuisse RAPTUM, et Dionysius (4) loquitur de ejusmodi violentis in jus vocationibus, quae ab initio regni Servii Tullii locum habuissent. Quod nemo mirabitur: violentia enim eo est major, quo rudior natio, igitur quo ea est antiquior: eo major etiam, quo magis privatis litigantibus conceditur: hoc autem eo accidit frequentius, quo minus sit certis legibus constituta civitas. Jura enim ipsamet oriuntur ex jure, i. e. statu, naturali, qui est status violentiae. Actor igitur vim vi repellere debet: reus aggressori comparandus; advocatis aliis privatis perdomitus, nervis ligandus est, ne aufugiat. Quae privatis fuerant in usu, eadem deinceps lege confirmabantur. Quod qui ex adversariis nostris sentiebant, sal-

(1) WEYTINGH Hist. Graecorum et Rom. Lit. pag. 78 sq.

(2) Aves v. 1422. Vesp. v. 1397.

(3) Contr. Steph. p. 165. — Cfr. Scholia ad ARISTOPHAN. loc. laud. — ULP. ad Oration. contra Stephan. pag. 144. — SUIDAS sub v. κλητήρ. — HESYCHIUS et HARPOCRATION sub eadem. — PETITUS Lib. IV. tit. 2. n° 1. p. 401. — BOUCH. Vol. I. pag. 187.

(4) Lib. IV; vide BOUCH. Vol. I. pag. 262.

tem *antestationem* ex jure Attico petitam fuisse contendunt (1): quoniam apud Athenienses, cum quis in jus vocaretur, advocarentur testes (κλητῆρες seu κλήτορες). Inter hos autem et antestationis testes magna intercedit differentia. Apud Romanos enim iis, qui adstabant, denunciabatur testimonium tum tantum, cum reus frustraretur, aut moraretur : in jus vero *vocatio* a solo *actore* fiebat; cum apud Athenienses fieret per *praecones* ET advocatis in *omni casu* testibus : hi igitur testabantur, reum *in jus vocatum* esse ; Romani vero, eum *noluisse ad judicem sequi, ideoque* ab actore *in jus fuisse tractum*.

§ XCVI. « Si ensiet, qui in jus vocatum vindicit, mittito. Assiduo vindex assiduus esto : proletario cui qui volet vindex esto. Endo via rem uti paicunt orato ». Igitur in jus raptus dimittebatur, si quis ejus personam defenderet : *vindex* enim erat *defensor*, qui oblata fidejussione reum prehensum liberare potuit. Proletario vindex esse quisque civis potuit : locupleti vero non nisi locuples (2). Cujus rei ratio tam manifesta est, ut explicatione nulla indigeat (3).

Ceterum lex est Romanis priva. Fuere quidem proletarii

(1) BOUCH. Vol. I. p. 264. — GOTHOF. p. 155. — POTH. Praef. p. 14 sq.
(2) FEST. sub voce *Vindex*. — GOTHOF. pag. 158. — L. 22. § 1 Dig. de in jus vocando. — GELL. XVI. 10. — CIC. Topic. 2. — FEST. sub v. *Assiduus*. — BOUCH. Vol. I. pag. 283 seqq. — GOTHOF. pag. 80. 157 sq. — TERRAS. pag. 97 seq. — HEINECC. Lib. IV. tit. 6. § 18. — BACH. pag. 36 seq. — GUNTHER pag. 64 seq. — POTH. Pand. Justin. Praefat. pag. 76. — BOULAGE pag. 93. sq.
(3) Explicuit BOUCHALD. Vol. I. p. 289.

Romani non alii, quam θῆτες Atheniensium, qui in utraque civitate a summis honoribus et imperio arcebantur (1), verum tempore Decemvirorum omne discrimen inter θῆτας et reliquos cives Athenis jam erat sublatum (2), cum omnes aequo jure fruerentur : unde eorum conditio toto coelo differebat a conditione proletariorum ejusdem temporis. Quod reliquum est, distinctio Romana per Classes aeque praecedebat Duodecim, ut supra monuimus (3).

Reus ab actore prehensus dimittebatur, si, dum in jus irent, esset transactum. Solebant enim reus et actor nonnunquam transigere in via : ad quam rem illa verba legis attinent (4). Volunt autem hanc quoque legem ex Atticis institutis repetere nonnulli (5); quum ibi sancitum esset : « *Quaecumque alter cum altero volens cum volente coram testibus pactus fuerit, rata sunto* (6). » Verum nonne potest cuilibet homini, modo

(1) PLUT. in vita Solonis pag. 87 sq. — GELL. XVI. 10. — DIONYS. IV. 5. — GOTHOF. pag. 158. — HARPOCRATION sub voce θῆτες. — DELWARDE pag. 235 sq. — POTH. pag. 16, in nota.

(2) BARTHEI. Vol. I. pag. 110 seq. — PETIT. Lib. II. tit. 3. n° 5. p. 203. — ARISTOT. Politicor. II, in fine.

(3) CIC. De Rep. II. 22. — Idem Top. 2. — LIV. I, 42 sq. — GELL. XIX. 8. — DELWARDE pag. 227 sq. 236. — DIONYS. IV. 13. 27. — GUNTHER pag. 27. — PLAUT. Miles glorios. Act. III. Sc. I. v. 157. — BOUCH. Vol. I. pag. 288. — TERRAS. pag. 98. — CREUZER pag. 95 sq. — NIEBUHR Tom. I. pag. 267 sq.

(4) TERRAS. Part. II. § 3. pag. 99. — BOUCH. Vol. I. pag. 290 seqq.

(5) HEINECC. Lib. IV. tit. 6. § 18.

(6) DEMOST. ἐν τῷ πρὸς Φαίνιππον p. 596. Id. contra Evergum et Mnesibulum pag. 648. — PETIT. Lib. IV. tit. 4. n° 11. pag. 428.

ille mente sanus sit, oriri cogitatio, litem transactione *componi* posse?

An vero lex Attica loquitur de transactione, quæ inter reum et actorem fiebat, cum in jus ibatur? An ex lege Romana *testes* requirebantur? Nonne cujusvis prudentia, ne dicam aequitas, eam legem suadere debuit? Dicant vero illi; quisnam hanc legem docuerit J. Christum Salvatorem? qui tamen haec statuit (1): « Cede quamprimum adversario tuo, quando cum illo in jus abis, ne forte adversarius te judici, hic ministro tradat, adeoque in vincula conjiciat. »

§ XCVII. « Ni ita paicunt, in comitio aut in foro ab ortu ante meridiem causam conscito, cum perorant ambo praesentes. Post meridiem praesenti stlitem addicito ».

« Sol occasus suprema tempestas esto ». Cujus legis sensus hic est : Si neque vindex aliquis sit, neque de lite in via fuerit transactum, in comitio aut in foro Praetor caussam cognoscito, ante meridiem, cum ambo litigantes praesentes perorant. Post meridiem, si unus modo litigantium adsit, judex litem addicat (2). Ex qua igitur lege meridianis horis

(1) Evang. MATTHAEI V. 25. — Cfr. Evang. LUCAE XII. 58. — GOTHOF. pag. 158 seq. — HEINECC. in not. Lib. IV. tit. 6. § 18. — POTH. pag. 94.
(2) GELL. XVII. 2. — *Auctor ad Herenn.* II. 13. — QUINTIL. Instit. Orat. I. 6. — PLIN. Hist. Nat. VII. 60. — MACROB. Saturn. I. 3. — CENSORIN. de die natal. cap. 24. — VARRO De Ling. Lat. V. pag. 44, et VI. p. 74. — FEST. sub v. *Supremum*. — BOUCH. Vol. I. pag. 296 seqq. — TERRAS. Part. II. § 3. pag. 99 sqq. — GOTHOF. pag. 81 sq. — POTH. pag. 77 et 78, in Praefat. Pandect. Justin. — BOULAGE pag. 95 seq.

judicium ferri non potuit ; quae restrictio Atheniensi incognita fuit. Dubium tamen oritur de sensu verborum *praesenti litem addicere;* atque nonnulli opinantur, ex his verbis *absentem caussa cadere;* cum aliis videatur, Praetorem tantum praesenti *actionem dare judiciumque constituere debuisse*. Licet itaque plerumque judicium non nisi cominus, consistentibus litigantibus et praesentibus, constitueretur, tamen in ea caussa *μονομερῶς* id fiebat. Qui priori sententiae adhaerent, nostram legem ex Attico jure traductam credunt; ex quo nimirum arbitri contra eum, qui a lite aberat, sententiam ferebant (1). Quod mihi quidem perperam usurpatum esse videtur. Nam lex Attica solum pertinet ad arbitros, sive ad eos, qui ex compromisso, i. e. ex litigantium consensu, ideoque privata auctoritate electi, ad litem dirimendam vocabantur; Romana vero ad ipsum Praetorem, qui auctoritate publica jus dixit. Nec etiam constat, legem Atticam jam tempore Decemvirorum Athenis viguisse : Demosthenes enim, qui de ea loquitur, vixit posterius. Non magis incerta est interpretatio, qua nititur similitudo inter legem Romanam et Atticam; unde non constat, ex XII Tabulis reum, qui post meridiem a judicio abfuisset, caussa cecidisse. Si vero me audis, interpretationem falsam esse mihi videtur, secundum Macrobii et Livii testimonia (2); unde vere dixisse videtur

(1) Demosth. in Midiana pag. 341. 344. — Ulp. ad eamd. Oration. pag. 342. — Demosth. contra Timotheum pag. 659. — Petitus Lib. IV. tit. 5. n° 3. pag. 435. — Gothof. pag. 160. — Poth. pag. 18, in Praefat.

(2) Macrob. Saturn. I. 16. — Liv. XXVII. 16. Add. Tacit. Annal. II. 14. — Vid. etiam VI Tab. Fragm. 9 et 10. VIII. Tab. Frag. 4. 7. — Gothof. pag. 160. — Bouch. Vol. I. pag. 302. — Raevardus ad Leges XII Tabb. cap. 7.

Bouchaldus, (Vol. I. p. 302) : » *praesenti litem addicere*, ne signifie ici autre chose qu'admettre le procès, que donner action à la partie présente et régler la procédure ». Si vero res aliter se haberet, hanc legem ab Atheniensibus petere Romanis non opus erat; qui enim a judicio abest, tacite causam suam nullo niti fundamento fatetur, ideoque quodammodo propria sententia damnatur; si itaque Romani statuerint, eum in illo casu caussa cadere, hoc praeceptum principiis juris et rei naturae omnino esset consentaneum, igitur a peregrinis gentibus non quaerendum.

Lex ceterum Romana, ex qua cum sole occidente judicia solvebantur, pariter in jure Attico observabatur. Haec enim sunt legis verba : *ὁ ἥλιος ἔπι τῶν ὅρων ἡ ἔσχαλη ὥρα ἐσῖω.* (1). Quapropter denuo Graeculi nostri ad Athenienses confugiebant; licet ipsamet ratio, qua lex illa nititur, in moribus et opinione omnium fere populorum antiquorum inveniatur. Ex eorum enim sententia dies tempus *ordinis* erat, diis jucundum et ad res publice gerendas faustum : nox vero tempus nefastum, quo mali daemones rem teneant; quo igitur nihil auspicato fieri possit. Hanc legem inprimis convenire in meditabundam et tristem Etruscorum indolem, nemo non videt; et omnino orienti et orientalium ingenio propriam esse. Quapropter nemo mirabitur, si eandem apud Hebraeos quoque reperiat (2).

(1) STOBAEUS Serm. I. pag. 19. — DEMOSTH. in Midian. pag. 344, et ibi ULP. — TERRAS. Part. II. § 3. pag. 100. — PETIT. Lib. IV. tit. 4. n° 9. pag. 425. et tit. 5. n° 3. p. 435. — GOTHOF. pag. 160. — BOUCH. Vol. I. pag. 304. 311 seqq., coll. cum TERRAS. pag. 100 sq.

(2) MISCHNA de Synhed. cap. 4. — MAIMONIDES De Synhed. cap. 3. § 2. — DE PASTORET Vol. IV. pag. 249 sq. — SELDEN. de Synh. II. c. X. § 2.

§ XCVIII. *Vades*, *Subvades*.

« Extra quam si morbus sonticus, votum, absentia Rei Publicae ergo, aut status dies cum hoste intercedat. Nam si quid horum fuit unum judici arbitrove reove, eo die diffensus esto ».

Postulata igitur, impetrata editaque a Praetore actione, actor certa verborum conceptaque formula vadabatur reum, i. e. vades sive sponsores petebat promissuros fore, ut certo die se in jure sisterent. Actor autem, qui provocabat reum, vadari; reus vades dare vel vadimonium promittere, vas spondere dicebatur. Non vero vas spondebat tantum, reum certo die locoque adfuturum, sed etiam si haud adfuturus esset, certam spondebat deserti vadimonii poenam, quam tamen non ipsa litis aestimatione majorem esse oportebat (1). Si igitur die statuto in judicium non veniret reus, poena promissa exigi poterat, nisi morbo ille gravi esset correptus; seu voto, seu absentia reipublicae caussa impeditus; sive si constitutus esset dies cum peregrino. Si quid enim ejusmodi fuerit et obvenerit judici, vel arbitro, vel reo, judicii dies differendus erat (2). Quarum omnium rerum ne umbra qui-

(1) Terras. Part. II. § 4. pag. 102. — Bach. pag. 38 seq. — Gunther pag. 64 sq. — Gothof. pag. 82. — Fest. sub v. *Vadim.* — Contius Lect. I. 9. — Acron *Horatii* Schol. ad Serm. I. Saty. I. v. 11. — Bouch. Vol. I. pag. 325 seqq. — Coll. Legg. Rom. et Mos. II. 6. — Cic. pro Quinctio 7. — Epist. ad Quintum fratrem II. 15. — Heinecc. Lib. IV. tit. 6. § 20. — Gell. VII. 1. — Varro De Ling. Lat. V. pag. 339. — Poth. Pandect. Justin. pag. 79 sqq. — Boulage pag. 98 sq.

(2) Bouch. Vol. I. pag. 328. — Gell. XVI. 4. XX. 1. — Terras. Part. II. § 4. pag. 103. — Gothof. pag. 82. 83. 161 sq.

dem occurrit in legibus Atticis; quum nostra lex ex ipsis adeo Numae temporibus repetenda esse videatur, innuente quidem Festo sub voce *Reus* (1).

§ XCIX. « Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito (2) ». De sensu legis disputant auctores; quorum alii opinantur : *trinundino obvagulatum ito ante aedes illius, qui testimonium in judicio dicere recusaverit.* Alii vero ita usurpant : *qui laborat inopia testium ad suum jus probandum, tertiis nundinis obvagulatum ito ante domum adversarii.* De qua posteriori explicatione haec inveniuntur apud Bouchaldum (Vol. I. p. 339) : « La partie, qui ne pouvait fonder sa demande sur aucune preuve, se transportait jusqu'à trois fois devant la maison de sa partie adverse, et là, en présence de témoins, s'exhalait en injure. Par exemple, si je prétendais, qu'il y avait dans votre maison une chose, qui réellement m'appartenait, ce dont néanmoins je ne pouvais alléguer aucune preuve, et si, vous ayant redemandé cette chose une ou deux fois, vous refusiez absolument de me la rendre, les Décemvirs semblaient m'autoriser dans ce cas, où, faute de preuves, il était inutile de vous poursuivre en justice, à me présenter trois fois devant votre maison, et là, de vous redemander ma chose en proférant contre vous mille injures » — et alio

(1) GOTHOF. pag. 64. 83. — BOUCH. Vol. I. p. 88. — TERRAS. Part. I. § 8. p. 63.

(2) BACHIUS pag. 38 seq. — GUNTHER pag. 66 seqq. — BOUCH. pag. 336 seqq. — TERRAS. pag. 103. — GOTHOF. pag. 83 sq. 163. — FEST. sub v. *Portum* et *Vagulatio.* — POTH. pag. 82, in Praefat. — BOULAGE pag. 100 sq. 109 seqq.

loco (p. 340) rationem hujus legis explicat idem auctor : « Il n'arrive que trop souvent au barreau, que la partie, qui a le bon droit, manque de preuves; or il est bien dur, faute de preuves, de perdre son procès; et c'est une dernière ressource, que la loi a voulu menager à ceux, dont la prétention est plutôt destituée de preuves que du bon droit ». Quae explicatio melior esse videtur : legimus enim apud Plautum (1) :

« Ita me bene amet laverna, te jam, nisi reddere
Mihi vasa jubes, pipulo huc differam
Ante aedes ».

Pipulum autem, sive *pipulus*, sumitur pro convicio : unde pipulo aliquem differre nihil aliud est, quam ipsum conviciari (2).

Ex hoc igitur loco manifeste patet, eum, qui aliquam rem sibi debitam ab adversario impetrare, et testibus, vel aliis argumentis, jus suum probare impar esset, potuisse se sistere ante debitoris aedes, et huic convicia dicere, sive ipsi malam fidem publice exprobrare. Altera interpretatio nulla auctoritate nititur (3). Si res ita se habeant, constat in jure

(1) Aulular. Act. III. Sc. II. v. 31 sq.
(2) PLAUT. Mercator, Act. II. Sc. III. v. 73 seqq. — Idem in Persa Act. IV. Sc. IV. v. 20. — Tab. VII. L. 4. — BACH. pag. 58 sq. — GOTHOF. pag. 118. — *Mémoir.* de l'Acad. Tom. XLI. pag. 98 seq. — BOUCH. Vol. I. pag. 212. 340. 343, et Vol. II. pag. 27 seq. — TERRAS. pag. 151. — POTH. pag. 82. 123. — BOULAGE pag. 170.
(3) RAEVARDUS ad XII Tabb. cap. II. — GRAVINA ad easd. cap. 70. — BOUCH. Vol. I. pag. 338 sqq. — TERRAS. Part. II. pag. 103. § 3.

Attico nullam similem legem inveniri et ideo ex eo a Decemviris nihil fuisse desumtum.

Licet autem ex hac interpretatione nulla sit inter Atticam et Romanam legem similitudo; tamen secundum priorem nonnulli forte ansam nanciscuntur peregrinae originis statuendae, quoniam apud Athenienses obvagulatum irent ante aedes illius, qui testimonium in judicio defugeret (1). Omnes autem auctores, qui legem XII Tabularum rite intellexerunt, de eo, qui testimonium dicere nolebat, illud usurpant. Ex hoc igitur fonte illi sententiam suam hauserunt (2), quam nemo antiquorum probat. Quodsi vero obvagulatio utrique populo usitata fuerit; hinc nihil sequeretur. Cum enim boni civis sit, testimonium dare rei sibi cognitae, ille, qui hoc officium praestare sacrum recusat, illo opprobrio adfici meretur, publico vituperio dignus. Sic enim illo tempore *opinio*, quam vocant, *publica* se manifestavit. Apud Romanos vero hac re magna pars existimationis civis continebatur, ut testimonium diceret; et qui eam rem recusaverat, se civis existimatione indignum ipse declaravit (3). Qui autem Romanus, cujus res

(1) PETIT. Lib. IV. tit. 7. n° 11. p. 447. — DEMOSTH. in Timoth. pag. 659. — POLLUX VIII. 6. Segm. 37. — SUIDAS sub v. ἐκκλητεύειν et ἐκκλητευθῆναι. — HARPOCRATION sub eadem. — AESCHINES adv. Timarchum pag. 28. — BOUCH. Vol. I. pag. 338. — SIGONIUS de Rep. Ath. III. 4.

(2) SALMASIUS ad jus Att. et Rom. cap. 30. pag. 817. — BOUCH. Vol. I. pag. 337 sq. — URSINUS ad *Festum* sub v. *Vagulatio*. — THEOPH. MARCILIUS Interpretat. Leg. XII Tabb. cap. 6. — CUJAC. Observ. VII. cap. 15. — MERULA De Leg. Rom. cap. 22. § 6. p. 238 seqq. — ANTON. AUGUSTIN. ad *Festum* sub v. *Vagulatio*. — TURNEBUS Adversariorum 13-26.

(3) MOLITOR De minuta existim. ap. Romanos p. 96 sq.

totae ad *civitatem* referebantur, officia neglexit ipsi a civitate imposita, IGNOMINIA plecti solebat (1).

§ C. Jam si leges Graecorum ulterius inspiciamus, facta cum Romanis comparatione magis magisque corroboratur sententia nostra. Atque, ut inde ordiamur, ex lege Solonis mulier conjugi impotenti nupta, potuit rem habere cum proximo mariti adgnato (2); quae lex plane orientalis, licet absurdissima vocaretur a Plutarcho (in Solone p. 89); tamen apud Spartanos quoque ex Lycurgi institutis sancita fuerat (3). Contra Romanorum mores severi et ab omni vitae lascivia alieni abhorrebant ab ejusmodi lege, tanquam ethices praeceptis contraria. Non secus secundum leges Atheniensium sororem ex eodem patre (nec vero ex eadem matre) natam, uxorem ducere licebat (4); cum apud Romanos, tum ex jure veteri, tum ex XII Tabulis matrimonia non iniri possent inter eos,

(1) NIEBUHR Oper. laud. Vol. II. pag. 179 seqq. — MAREZOLL. Ueber die Bürgerliche Ehre pag. 97 seqq. — VANGEUNS De Infamia. Traject. ad Rhenum 1823, pag. 23 seqq. — MOLITOR pag. 41. — VANDERTON p. 69 sq. — JARCKE Darstellung des Censorischen Strafrechts : Bonn 1824. pag. 14 seqq.

(2) BARTHEL. Vol. I. pag. 89. — BOUCH. Vol. I. pag. 82. — PETIT. Lib. VI. tit. 1. n° 13. pag. 542. — SALMASIUS de usurarum modo cap. 4. pag. 170. — BONAMY pag. 73. — TERRAS. pag. 18.

(3) PLUTARCH. in vita LYCURG. pag. 49. XENOPH. de Rep. Laced. pag. 676. — BONAMY pag. 85.

(4) SAM. PETIT. Lib. VI. tit. 1. n° 8. pag. 537 sq. — BARTHEL. pag. 90. — CORN. NEPOS in Prooemio cap. 4; in vit. Cimonis cap. 1. — MINUTIUS FELIX in Octav. cap. 31. — PHILO JUDÆUS De Leg. Special. pag. 779. — ARISTOPH. in Nebulis vers. 1374, et ibi Scholiast. — PLUTARCH. in vita Themistoclis pag. 128; in vita Cimonis pag. 481. — ATHENÆUS XIII. pag. 589. — TERRAS. pag. 18.

qui sanguinis cognatione erant conjuncti; nulloque pacto licitae essent nuptiae inter fratres et sorores (1). Ex jure Attico is, qui proxima cognatione conjungebatur cum vidua, eam seu ducere debuit, seu ipsi dotem dare (2).

Quae lex ita adversabatur cum moribus tum juri Romanorum, ut ejus ne vestigium quidem inveniatur in Duodecim. Porro Solon sanxerat legem, qua cavebatur, ne praeter dotem ultra tres vestes et vasa aliquot, non magni pretii, sponsa ad maritum deferret (3): apud Romanos ejusmodi prohibitio nullo modo valebat. Ex legibus Solonis, qui in seditione non alterius utrius partis fuerit, ignominiosus erat; (4); quae lex, utpote a Patriciorum voluntate et studio abhorrens, in XII Tabulis nequaquam sancita est.

§ CI. Collatis legibus XII Tabularum omnibus cum institutis Atheniensium et Spartanorum — licet nonnullae Romanorum cum hisce aliquam similitudinem ostenderent — tamen adparuit, Duodecim non peregrinae originis fuisse: sive quoniam ex ipsa natura humana, quae in omnibus gentibus habitat, eaedem promanaverunt; seu ex more patriarchali Etrusco

(1) PLUT. Quaestion. Rom. cap. 6. pag. 265. — BOUCH. Vol. I. p. 98 sq.
(2) DEMOST. ἐν τῷ πρὸς Μακάρτατον pag. 607. — TERENTIUS Phorm. Act. I. Sc. II. v. 75, et Act. II. Sc. III. vers. 33. — DIODOR. XIII. pag. 298. — BONAMY. pag. 74. — BOUCH. Vol. I. pag. 98. — POLLUX III, 30 — PETIT. Lib. VI. tit. 2. n° 2. pag. 551 seqq. — ARIST. Politic. II. 7.
(3) PLUT. in Solone pag. 89. D. — PETIT. Lib. VI. tit. 2. n° 1. pag. 548 seq. — BOUCH. Vol. I. pag. 98.
(4) PLUT. in Solon. pag. 89. A. — Idem ἐν τῷ πολ. τῶν ζωῶν p. 965. De sera numinis vindicta p. 550. C. — GELL. II. 12. — CIC. ad Atticum X. 1. — BOUCH. Vol. I. pag. 99. — ARISTOTEL. Polit. IV. 12. — BARTHEL. Vol. I. pag. 82. — PETIT. VIII. 4. pag. 670.

— Patricio — repetendae sunt; seu partae ex ipsa Romanorum propria et severa indole, illi cummaxime aetati conveniebant; sive apud alias, et eas vel orientales, Hebraeas et Medicas gentes, inveniuntur pariter; a quibus sive mores majorum, sive traditiones omnibus gentibus communes, ad Romanam quoque gentem eadem via pervenerunt, qua cum Graecis nationibus communicabantur; seu denique toto coelo a Graecis institutis fuere diversae (1).

Quapropter recte Clar. Rossius (2) : « Tout ce qui nous reste des douze Tables, si on en excepte quelques généralités, qui ne prouvent rien; car on peut les retrouver tout aussi bien à la Chine, qu'à Athènes et à Rome, n'a point l'empreinte grecque, mais le caractère Romain, le caractère national le plus prononcé ». Recte etiam Levesquius (p. 180) : « La conformité de quelques-unes des lois des XII Tables, prouve seulement, que les hommes ont les mêmes idées dans une situation semblable : c'est pour cela, que certaines lois de l'ancien code des Francs se retrouvent dans l'ancien code des Russes. Mais en général les lois des XII Tables diffèrent beaucoup de toutes celles de la Grèce ».

In quam sententiam Bonamyus quoque discedit (p. 28 sq), qui haec scribit : « En comparant les lois établies par les Décemvirs, il est impossible de ne pas y apercevoir les mœurs antiques, qui caractérisent le peuple Romain, comme le remarque Cicéron, et qui le différencient des autres peuples : ac-

(1) Cfr. Terras. p. 14, coll. clar. Dumbeckii Tabb. laudd. p. 8, column. f. g.

(2) Annales de legislat. et jurispr. 1821. p. 412.

tionum genera quaedam majorum consuetudinem vitamque declarant ». Idem fere sensit Gibbonus (p. 6) : « Dans les grands traits de la jurisprudence publique et privée, les législateurs de Rome et d'Athènes paraissent opposés les uns aux autres ». Quod ipse adeo fatetur Boulagius (pag. 25.29): « Le droit établi par les XII Tables, diffère essentiellement du droit attique dans ses bases principales, telles que le droit public, la puissance paternelle, l'ordre des successions, les tutelles et les testamens » — et alio loco : « l'esprit général et l'économie de la jurisprudence des XII Tables appartiennent entièrement aux Romains ».

Unde patet; quanto in errore versetur Aurelius Victor (1), qui leges XII Tabb. ex libris Solonis fuisse translatas refert; et pariter Symmachus (2), qui *leges de Lare Lycurgi et Solonis sumsit;* non minus Isidorus (3), qui dicere non dubitavit : « Decemviri leges ex libris Solonis in Latinum sermonem translatas in XII Tabulis exposuisse. Errat quoque Dionysius (4), dicens, *οὗτοι οἱ δέκα ἄνδρες συγγράψαντες νόμους ἔκ τε τῶν Ἑλληνικῶν νόμων πρόυθηκαν, ἐν δέκα δέλτοις* — eo magis, cum, uti probavimus, plurimae leges jam sub regibus, igitur ante Decemvirorum tempora, vigerent.

Unde patet : leges Decemvirorum solum ex antiquo jure Quiritium, ex consuetudinibus Romuleis, legibus regiis, mo-

(1) De Viris Illustr. cap. 21.
(2) Lib. III. Epist. 2.
(3) Lib. V. Origin. cap. 1.
(4) Lib. X. pag. 676.

ribus patriis, atque ex normis et regulis tralatitiis, quarum cognitio penes solos Patricios erat, repetendas esse. Quae ut penitius probemus, laudamus firmissima argumenta, quae a Celeb. Niebuhriò (II. p. 67 sq) proposita sunt: « Dass Gesetzgeber ernannt werden und zugleich als alleinige hœchste Obrigkeit gebieten sollten, ward im Jahr 300 vom Senat beschlossen; und Abgeordnete an die Griechischen Stædte Italiens und bis Athen gesandt, um die Gesetze zu sammeln, welche für die weisesten gehalten wurden, und sie für den Gebrauch der Decemvirn heimzubringen. *Eine Nachricht, deren allgemeine Wahrheit die Verzeichnung der Namen der Abgeordneten beglaubigt; die aber, was die Sendung nach Athen betrifft, verdæchtig ist; weil andre durch die Chronologie als unmœglich dargethane Erzæhlungen die Rœmischen Annalisten eines leichtsinnigen Hanges zeihen dunkle Sagen, die sich auf Griechen bezogen, an das in ihren Tagen Berühmteste dieses Volkes anzuknüpfen, unbesorgt, ob sich dieses rechtfertige. Ansich wære die Sage nicht unglaublich; denn Athen war, nicht so gar lange nachher, nicht ohne Verbindung mit Tyrrhenien: es blühte eben damals, zwischen dem Persischen und dem Peloponnesischen Kriege, im hœchsten Glanz des Ruhms und des Glücks, und wenn die Schranken gefallen waren, welche früher den Missbrauch der Volksfreyheit unmœglich machten, so waren sie doch noch immer im wesentlichen durch gute Sitte ersetzt. Die angebliche Verwandschaft Solonischer Gesetze und einiger von den Tafeln gewæhrt keinen Beweis; der egenthümliche Charackter beyder Gesetzgebungen ist so verschieden, wie der Vœlker, für die sie geshrieben wurden; und die wenigen Aehnlichkeiten, in Nebensachen, scheinen entweder zufællig, oder*

in einer allgemeineren Verwandschaft begründet, wie man andre in den Gesetzen von Vœlkern, die Rom und Griechenland ganz fremd scheinen, nachweisen kann : oder sie kœnnen aus den Gesetzen Italiotischer Stædte entnommen seyn, wo Charondas, nicht ohne Kenntniss der Solonischen Gesetze, das Thurische Volk geordnet hatte ».

CAPUT OCTAVUM.

§ CII. Posteaquam igitur sententiam nostram ipsa legum natura enucleata demonstravimus, ratiociniisque stabilivimus : addamus testimonia quoque veterum scriptorum, qui eam claris verbis confirmaverunt. Et Dionysius quidem (XI. p. 725) : « De legibus, ait, Romanis, quas in XII Tabulis scriptas reperimus, neque nihil plane dicendum fuit, cum sint adeo reverendae et *a Graecorum institutorum ratione* (τὰς Ἑλληνικὰς νομοθεσίας) *tantopere differant*, neque ultra modum progrediendum longiore de iis instituta oratione ». Idem (X. p. 68), licet XII Tabulas e Graecis legibus sumtas fuisse dicat, tamen ex altera parte mores et consuetudines patrias Romanorum in eas migrasse fatetur.

Idem (II. p. 97), ubi de lege ad patriam potestatem pertinente, et quae jure regio primum fuisset inducta, loquitur, edicit : « sublato regno, cum primum populo Romano visum est, *omnes patrios mores et leges* una cum adscititiis in foro palam omnibus prononere, Decemviri eam inter caeteras retulerunt, et exstat in quarta Duodecim Tabularum ».

Cui addamus Gellium (XVI. 10), qui « quaeri, ait, coeptum est, quid esset proletarius, atque ego aspiciens quempiam in eo circulo jus civile callentem, rogabam, ut id verbum nobis enarraret; nam, inquam, Q. Ennius verbum hoc in XII Tabulis vestris accepit; ego vero, inquit ille, dicere atque interpretari hoc deberem, *si jus Faunorum et Aboriginum didicissem* (1). Praesertim laudandus M. Tullius Cicero (Or. I. 43), qui haec disserit : « Sive quem aliena studia delectant, plurima est et in omni jure civili, et in Pontificum libris *et in XII Tabulis antiquitatis effigies*, *quod et verborum prisca vetustas cognoscitur et genera actionum quaedam majorum consuetudinem vitamque declarant* ». Cum quo consentit Pomponius (L. 2. § 24 Dig. de origine juris) scribens : « Virginius cum animadvertisset, Appium Claudium contra jus, *quod ipse ex vetere jure in XII Tabulas transtulerat*, vindicias filiae suae a se abdixisse et secundum eum, qui in servitutem ab eo suppositus petierat dixisse cet. ».

Quam illorum sententiam corroborat Ulpianus (L. 1 Dig. de curatore furios.), apud quem haec prostant : « Lege XII Tabb. prodigo interdicitur bonorum suorum administratio, *quod moribus quidem* ab initio introductum est (2) ». Cum quo confer Servium ad Virgilii Aeneida (VII, 695) referentem, jura Fecialia ex Aequis, Faliscis, in XII Tabulas translata esse. Ex Livio autem (I, 24. 32) novimus, jura

(1) BOUCH. Vol. I. pag. 150 sq. — BONAMY Vol. I. pag. 46 sq. — TERRAS. Part. II. pag. 81.

(2) GOTHOF. pag. 64. — BOUCH. Vol. I. pag. 90. — BONAMY loco laud. pag. 91 sqq.

Fecialia, desumta a Faliscis, ab Anco Marcio rege Romanis fuisse tradita (1); unde patet, leges regias in jus Decemvirorum quoque migrasse; quae res confirmatur etiam testimonio Papiniani (in Coll. Legg. Rom. et Mos. tit. 4. § 8)(2). Quapropter in summo errore versari credimus Terrassonum (P. II. § 1. p. 84), qui haec verba facit : « Quelques auteurs, comme Festus, semblent insinuer, que l'on fit entrer quelques lois royales dans les douze Tables. Mais aucun ne le dit positivement »; quam sententiam recte refutat ipse Boulagius (p. 26. 29); praeeunte Livio (III, 32), qui legem Iciliam aliasque leges Sacratas, jam ante Decemvirorum tempora latas, in Duodecim transiisse fatetur. Constat praeterea pluribus aliis locis auctorum classicorum, leges regias *ante* et *post* tempora Decemvirorum semper in civitate Romana summae fuisse auctoritatis. Sic enim, regibus exactis, quinquaginta leges Servii Tullii de contractibus et delictis, a Tarquinio Superbo sublatas, restituerunt Consules (3); sic etiam Urbe a Gallis combusta conquisitas esse leges regias testatur Livius (VI. 1.) (4). Praeprimis vero tenenda sunt, quae inveniuntur apud Ciceronem de Republica (II. 14) scribentem: « Numa propositis his legibus, *quas in monumentis habemus*, ardentes consuetudine et cupiditate bellandi religionum caeremoniis

(1) HAUBOLDUS ad *Heineccium* in Antiq. Rom. § 3. pag. 5. — CIC. De Rep. II. 17, ibique *Majus*. — GOTHOF. pag. 62. — GUNTHER p. 43. — POTH. pag. 175. — DIONYS. II. pag. 97. — BONAMY pag. 46.

(2) BOUCH. pag. 86. 88. 89. Vol. I. — Cfr. AURELIUS VICTOR cap. 5.

(3) DIONYS. V. pag. 278, et IV. pag. 218. 245. — BONAMY l. laud. pag. 45 seq. — BOUCH. Vol. I. pag. 85.

(4) Conf. BOUCH. Vol. I. p. 145.

mitigavit ». Quapropter nemo jam, credimus, negare poterit, leges regias et alios mores patrios in XII Tabulas transtulisse Decemviros (1); quod expressis fere verbis refert Cicero (II. 10) de legibus : « Non multum discrepat ista constitutio religionum a legibus Numae nostrisque moribus ». Qua data opportunitate nolumus praeterire, quae egregie disputantur a Buchaldo (Vol. I. p. 85), cujus haec verba lege : « Nous disons, que si les lois de Romulus, de Numa et de Servius Tullius n'eurent pas le frivole mérite d'être conçues en termes élégans, l'esprit de sagesse, qui les avait dictées, les rendit propres à former et à maintenir un état. Il était donc naturel, de les conserver; et nous avons un assez grand nombre d'autorités, qui ne nous permettent pas de révoquer en doute qu'on ait pris ce soin. Le jurisconsulte Pomponius fait remonter à Romulus la loi concernant la sainteté des murs (2), le rit de la *confarréation* introduit par le même prince, est regardé par les Romains comme le lien le plus respectable, subsista jusqu'au temps de Tibère (3); dans un temps, où la haine contre les rois était encore toute récente, ils remirent en vigueur (4) les cinquante lois (5) de Servius

(1) Confer Cel. WACHSMUTH, Die æltere Geschichte des Rœmichen Staates, pag. 369 sq. — FEST. s. v. *Reus*, qui haec suppeditat : « Numa in secunda tabula secunda lege in qua scriptum est : *si quid horum fuat unum judici arbitrove reove, eo die diffensus esto* ». — SERV. ad *Virg.* Aeneid. VI. 622, monente MERULA De Legg. Rom. c. 2 : « Ex Romuli lege et XII Tab. hoc venit, in quibus scriptum est : si patronus clienti fraudem faxit, sacer esto ».

(2) Lex ultim. Dig. de rer. divis.

(3) TACIT. IV. Annal. cap. 16.

(4) DIONYS. Antiquit. V. p. 278.

(5) Idem IV Antiq. pag. 218.

Tullius, concernant les contrats et les délits, quoiqu'elles eussent été abolies par Tarquin le Superbe (1). Les Romains se déterminèrent à faire revivre ces lois par le motif qu'elles étaient populaires, pleines d'humanité et subvenaient aux besoins de la vie civile. Nous avons encore deux passages des anciens, qui prouvent que depuis la rédaction de la loi des douze Tables, les lois royales furent à Rome en très-grande considération. Le premier passage est de Tite-Live. Cet historien rapporte, qu'après que Rome eut été délivrée des Gaulois, les Tribuns, revêtus de la puissance consulaire, ordonnèrent, qu'on fit une recherche des lois royales. Le second passage est du jurisconsulte Paul qui dit que Granius Flaccus écrivit un commentaire sur le droit Papyrien, lequel renfermait toutes les lois royales ».

Idem Bouchaldus; (Vol. I. pag. 87) ait : « Diverses autorités d'un assez grand poids, nous font croire, que les lois de Numa eurent pareillement le sort d'être incorporées dans la loi des douze tables. Ancus Marcius les avait d'abord fait graver sur des tables de bois de chêne, qui périrent de vetusté après l'expulsion des rois; C. Papirius, souverain Pontife, fit revivre l'usage de ces tables. Or comme Romulus et Numa jetèrent les fondemens de la république Romaine, le premier en instituant les auspices, et le second en instituant les sacrifices, les cérémonies religieuses, les ministres des autels, en un mot, tout ce qui regardait le culte divin qu'il emprunta des Etrusques; les Décemvirs, loin d'abolir les réglemens de ce prince, concernant la religion, durent au con-

(1) Idem ibid. pag. 245.

traire les confirmer, d'autant plus qu'en cette partie Numa l'emportait infiniment, selon le témoignage de Denys d'Halicarnasse (II. p. 124), sur tout état, soit grec, soit barbare, même célèbre par sa piété envers les dieux ». Cum quo confer hanc sententiam Bonamyi (p. 45 seq.): « Est-il croyable, que ce grand nombre de lois de Servius Tullius sur les contrats, sur les droits, sur les dettes, les usures, etc., que les premiers consuls avaient remises en vigueur après le bannissement de Tarquin, et qu'ils firent graver sur des tables, eussent été oubliées dans la composition des lois des 12 tables? Je dirai la même chose des lois de Numa; non-seulement de celles, qu'il fit sur les cérémonies religieuses, que tous les auteurs conviennent avoir été insérées dans les 12 tables, mais encore de celles, qu'il établit sur l'agriculture, les limites des champs et les différends qui pouvaient survenir dans cette matière. Peut-on se persuader, que les lois, qui sont dans la septième et la huitième table, sous le titre *de delictis* et de *juribus praediorum*, aient été empruntées des lois de Solon plutôt que de celles de Numa ou d'Ancus Martius? et les Romains, à qui Romulus n'avait permis que deux exercices, ceux de la guerre et ceux de l'agriculture, auraient-ils attendu jusqu'au temps des Décemvirs à avoir des lois fixes, sur ce qu'on devait observer parmi eux dans les contestations, qui pouvaient survenir au sujet des limites et des dégâts des terres »?

Quanto igitur errore decepti essent Livius et Pomponius ille (Leg. 2. § 4 Dig. de origine juris), quisque videt.

§ CIII. Novum argumentum ad sententiam nostram con-

firmandam accedit exposito statu interiori civium, qui post latas leges obtinuit. Plebei igitur, ut hinc ordiamur, conditionem meliorem nacti non sunt, quam qua antea fuerant usi. Leges enim ad jus publicum pertinentes, omnino eaedem manserunt, plenae iniquitatis: Plebes privilegiis omnibus destituta, ab honoribus publicis arcebatur; Patricii soli Consulatum reliquosque magistratus atque sacerdotia retinuerunt, soli propria sacra publica privataque habuere atque praerogativis fruebantur non paucis. Clientes vero, tanquam servi ad familias procerum adstricti, ad populum non pertinuere. Connubia inter utrumque ordinem prohibita fuisse, supra monuimus (1); et, ut verbo dicamus, omnes leges ab inde Urbis primordiis latae, quibus procerum suprema potestas, a patribus accepta, exprimebatur, legibus *scriptis* confirmatae sunt; omnia quoque instituta majorum ex dominatione ordinis sacerdotalis Etrusci, in Patriciis Romanis expressi, repetita duraverunt non solum, sed legibus constituta sunt. Sunt quidem aliquot leges, quae ad civium aequalitatem instituendam pertinere videntur; sed hae quoque non pro sanctionibus novis habendae sunt: quo pertinet, ut hoc utamur, provocatio ad populum (2), quae jam tempore regum in usu erat; de qua disserit Cicero (De Rep. II. 32): « Provocationem etiam a regibus fuisse declarant pontificii libri, significant nostri etiam augurales, itemque ab omni judicio poenaque provocare licere indicant XII Tabulae compluribus legibus ». Quod autem maximi momenti erat, ut

(1) VICO Principi di una scienza nuova pag. 75-77. — BOUCH. pag. 190.

(2) MACIEIOWSKI pag. 38 seq. — LIV. I. 26. II. 1. — DIONYS. III. 7. V. 19. — DELWARDE p. 237.

nimirum consulare imperium certis legibus circumscriberetur, id non magis a Decemviris sancitum est. Quapropter lites quoque, quae ante scriptas Tabulas ortae, tantopere turbaverant civitatem, postea quoque exardescebant denuo ita, ut paucis modo annis interjectis, Tribuni majoribus adeo clamoribus exsurgerent contra Patricios; praesertim Canuleius ille, qui Patriciam superbiam lege expugnavit (1): « *Quidquid Plebes in comitiis tributis jussisset, hoc Patres teneret*. Non secus anno CCCIX contentiones ortae sunt de connubiis vetitis, eodem Tribuno auctore, qui legem rogavit, qua illa prohibitio tolleretur; cui acriter restitere Patrici, qui tamen pariter devicti sunt atque coacti, ut gentilitatem et sacra gentilitia cum Plebe communicarent.

Eodem modo ad honores et sacerdotium pervenit Plebes (2); nec omnino conquieverunt Tribuni, donec Optimatium et Plebejorum jura omnino essent eadem. Hae vero lites, quotquot fuere, post Duodecim ortae, abunde probant, Plebem legibus non fuisse sublevatam, sed *antiqua illa postea quoque valuisse jura; igitur vetusta novis formis expressa, in jure publico nihil mutatum*.

Quae cum ita sint, absurdum sit adfirmare, Decemviros

(1) Anno CCCV. (LIV. III. 55). — MACIEJOWSKI pag. 59. — BACH. pag. 77. — BONAMY pag. 61 seq. — GUNTHER p. 82.

(2) *Quaestura* a. CCCXXXIII. LIV. IV. 43. — *Consulatus* a. CCCLXXXVII. LIV. VI. in fin. — CENSURA a. CDXVI. Idem VIII. 12. — *Praetura* a. CDXVIII. LIV. VIII. 15. — *Aedilitas* a. CCCLXXXVIII. LIV. VII. 1. — *Pontificatus* et *Auguria* a. CDLIV. LIV. X. 6. — BACH. pag. 77. — GUNTHER pag. 76. 84. — Cel. DUMBECK pag. 13. Lit. f. Tabb. I. I.

leges petiisse ab Atheniensibus, cum in singulis legibus Decemviralibus, ad jus publicum pertinentibus, superbum Patriciorum imperium, quo ab initio premebantur Plebei, legis etiam sacramento sanciretur; qua re Romana instituta *a Timocratia* Solonis penitus abhorrebant (1). Nobiscum consentit celeberrimus Vico (l. l. p. 85), quem vide.

Quodsi igitur jus publicum ita se haberet; quid de jure privato dixeris, quod certe, si quod unquam, magis etiam Romanum esse debuit. Sed hoc quoque severum priscorum Quiritium ingenium non redolet tantum, sed prorsus refert. Jura enim immitissima, quibus debitores a creditoribus in vincula conjici et secari poterant, confirmabantur; licet antea Plebei, hac crudelitate commoti, saepius in Patricios surrexissent; unde de ea quoque re, non multo post XII Tabulas, novae lites ortae sunt Tribunique petierunt, ut nexus corporum aboleretur; quod reapse obtinuere anno CDXXVIII U. C. (2). Porro dira patris familias potestas, in uxorem exercita, quae non tanquam persona, sed ut res considerabatur, ideoque usu acquirebatur; jus vitae et necis in liberos, quod perpetuum erat; jus durissimum eos ter venumdandi; facultas testamento de omnibus bonis ex sua voluntate disponendi et ex arbitrio filium exheredandi; ordo succedendi plane singularis, quo cognati ab hereditate exclude-

(1) DELFICO p. 75. 77. 81.

(2) LIV. VIII. 28. — BACH. pag. 77. — GUNTHER pag. 82 seq. — OELRICHII Thesaur. Novus Dissert. Belg. Vol. III. — BOUCH. Vol. I. pag. 459 sq. — Cfr. TERTULLIAN. Apol. cap. 4. — VARRO De Ling. Lat. VI. 51. p. 85.

bantur; vilis conditio mulierum, quae in perpetua erant adgnatorum tutela; divortium solis maritis permissum, mulieribus vero, etiam adultero conjuge usis, denegatum; dominium juris Quiritium, quod mancipatione aliisque modis acquirendi, jure civili constitutis, transferebatur; usucapio consilio plane particulari introducta et a praescriptione aliarum gentium prorsus diversa; summa poenarum in delicta severitas et crudelitas; — haec omnia argumentum praebent validissimum, rationem juris privati Romanorum, in XII Tabulis constituti, haec, dico, satis probant sola, leges non peregre advectas, sed ex moribus Quiritium repetitas fuisse (1).

§ CIV. Gratama, vir clarissimus, in Oratione, de Hermodoro, vero XII Tabularum auctore, habita, sua auctoritate nulloque innixus scriptorum testimonio, dicere non verebatur, decem Tabulas priores a Romanis non esse profectas; *sed legum Decemviralium Hermodorum veri nominis auctorem esse, qui eas composuerit, suis ordinibus disposuerit, suaque fecerit auctoritate, ut a Decemviris reciperentur.* Verum undenam hanc sententiam hauserit vir doctissimus, equidem ignoro atque, *cum non credatur referenti, nisi constet de relato*, in ejus sententiam discedere nullus possum, quippe quae nullis omnino probationibus nititur. Utitur tamen ille Epistola quadam Heracliti ad Hermodorum scripta (Epistol. Graec. divers. pag. 337), in qua leguntur

(1) De severitate juris Romanor. privati vide MERLINUM: Répertoire de jurisp. sub v. Droit Naturel § 1. Vol. IV. pag. 370. — Cfr. DELFICO p. 77. 81 sqq. — BOUCH. I. p. 163 sqq.

haec : « Visio mihi omnia orbis terrae diademata venire salutatum leges tuas et, Persarum more, ore clauso, eas adorare : illas autem perstare in statu majestatis pleno » (quam ex Hebraeo sermone verbotenus versam dixeris). De qua re primum audiatur Bouchaldus (1) : « Nous avons une lettre d'Héraclite, adressée à ce même Hermodore, où le philosophe raconte avoir vu en songe toutes les couronnes de l'univers venir s'incliner devant les lois de notre Éphésien et les adorer à la manière des Perses. Héraclite ajoute, que parmi cette foule d'oracles rendus par la Sibylle, elle prédit aux Latins, qu'il leur viendrait un sage d'une ville d'Ionie » — de qua ex nostra quidem sententia, recte judicavit clar. Bonamyus (p. 48) : « C'est une pièce manifestement supposée ». Gratama vero illud oraculum admirans, « Nescio, ait, quo jure Bonamicus id dixerit ». Cum vero probatio incumbat ei, qui dicit, non ei, qui negat (Lex. 2 Dig. de probat.), Gratama ille, qui ea epistola utebatur tanquam teste sententiae suae, inprimis probare debuisset, eam esse genuinam et scribi *potuisse*, eo tempore, ab Heraclito ad Hermodorum. Quae probatio cum desideretur, ego quoque non video, quid illud facere possit ad demonstrandam traditionis veritatem. Ut igitur nosmetipsi epistolam ad aniles fabulas, ad quas omni jure pertinet, seponamus, satis est, laudare, quae eleganter dicta sunt a celeberrimo Vico (2) : « Se non se vo-

(1) Vol. I. pag. 81 seq. — STANLEY Hist. Philosoph. Part. IX. cap. 3. pag. 832. — TERRAS. Part. II. § 1. pag. 86. — VALERIANI l. l. pag. 113 seqq. — GOTHOF. pag. 59.

(2) Principi di una scienza nuova pag. 89 seqq.

gliamo dar credito alla lettera, che scrive Eraclito ad Ermodoro; con la quale si rallegra con esso lui, di aver sognato, che tutte le altre del mondo venivano ad adorare le di lui leggi : la qual lettera veramente e sogno infino da Efeso, o dal deserto, dove Eraclito poi, per ischivare l'ingiusti odi degli Efesi, si ritirò, scritto ad un altro in Roma, per quelle poste, per le quali, come dicemmo, Pittagora aveva fatto per lo mondo i lontanissimi suoi viaggi. Lettera affatto indegna di un tanto grave filosofo, e di Ermodoro principe di tanto merito, che esso Eraclito stimò, quei di Efeso degni tutti d'essere infino all' uno strangolati, che'l cacciarono della loro città; che l'uno facesse, l'altro si dilettasse di cotanto sfacciata adulazione; che la gloria delle buone leggi debba essere di un traduttore; quanto se un dicesse, che la gloria d'una gran pace debba ridondare agl' interpreti. Perchè se tal lode conviengli, perciocché esso fu l'autore, che si mandasse in Atene per le leggi della libertà, come credette Pomponio; egli sembra affatto indegno di cotal lode : il quale essendo principalissimo cittadino di Efeso, come Diogene Laërzio il racconta, non seppe a suo costo quelle leggi di libertà; per cui cosi esso dagli Efesi, come dagli Ateniesi fu discacciato il giustissimo Aristide; ed anche senza di quelle, già pochi anni in nanzi da Roma fu mandato in esiglio il valoroso Coriolano ». Cum eodem faciunt scriptores alii, et hi quidem non contemnendi. In quorum numero est clar. Guizotus, haec notans ad Gibbonum (p. 98) : « La lettre, le songe et la prophétie d'Héraclite sont supposés ». Quae res eo etiam clarius elucescet, cum, quae in epistola continentur, accurate consideraveris. Omni enim tempore somnium — somnium erat, atque omnium scriptorum, qui illam traditionem narraverunt, nemo

tam alto somno erat consepultus, quam propheta noster Heraclitus, qui, si adhuc viveret, magnetismi anquisitoribus grata, profecto, adparitio foret. Eodem enim modo Cassandra, ore Virgilii, futuras res cecinit Aeneae, postquam quae illa praedicere instituit, jam ante saecula evenerant.

Ut autem fallacem illam scurrilitatem compleret, glossema (ad L. 2. § 4 Dig. de orig. juris) adjecit: missum a Graecis Romam fuisse sapientem, qui exploraret, utrum Romani digni essent legibus suis (1) !?!

§ CV. Antequam huic commentationi finem imponamus, non inutile ducimus, adjicere judicia scriptorum, de legibus Decemviralibus lata. Omnes autem veteres auctores eas innixe laudarunt. Sic Livius (III. 34) eas *fontem publici privatique juris appellat:* Tacitus (Annal. III. 27) *finem aequi juris* nuncupat. Gellius (XX. 1) *eleganti atque absoluta brevitate verborum scriptas esse dicit.* Diodorus (XII. p. 301) Ἡ δὲ γραφεῖσα, ait, *νομοθεσία βραχέως καὶ ἀπερίττως συγκειμένη διέμεινε θαυμαζομένη μεχρὶ τῶν καθ' ἡμᾶς καιρῶν.* Justinianus imperator (L. penult. Cod. de legit. hered.) adseverat: « Lege XII Tabularum bene humano generi prospectum est et antiquae legis reverentiam et nos anteponi novitati legum censemus ». Idem (§ 3. Inst. de legit. agnat. succes.) *Lex*, ait, *XII Tabularum simplicitatem legibus amicam amplexa est.* Dionysius vero Halicar-

(1) MARANTAE Spec. aur. pag. 3. n° 2 seqq. — HAHNIUS Or. de usu chronol. in jur. (in WIELINGII jurispr. restit. Amst. 1727. 8. Tom. II. p. 133). — BACH. pag. 27. — TERRAS. p. 11.

nassensis (XI. p. 725) : Ἀλλ' ὑπὲρ τῶν Ῥωμαιῶν νόμων, ὅυς ἐν δώδεκα δέλτοις ἀναγεγραμμένους ἔυρομεν, ὅυτε μηδένα ποιήσασθαι λόγον ἥρμοττεν, ὅυ τὰ σεμνῶν ὄντων, καὶ τοσάυτην ἐχόντων διαφορὰν παρὰ τὰς Ἑλληνικὰς νομοθεσίας, ὅτι περαιτέρω τουτοῦ δέοντος παραβαίνειν, εκμηκύναντας τήν περὶ αὐτῶν ἱστορίαν. Omnium vero, qui Duodecim summis laudibus extollunt, primum locum tenet M. Tullius Cicero (1).

Hic enim, « Admiror, ait, non *rerum* solum, sed etiam verborum elegantiam » — atque alio in loco eas mirifice laudans, haec effert (2) : « *Fremant omnes licet, dicam quod sentio : bibliothecas, mehercule, omnium philosophorum unus mihi videtur XII Tabularum libellus, si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare.* Percipietis etiam illam ex cognitione juris laetitiam et voluptatem, quod quantum praestiterint nostri majores prudentia cæteris gentibus, tum facillime intelligetis, si cum illorum Lycurgo et Dracone et Solone nostras leges conferre volueritis. Incredibile est enim, quam sit omne jus civile, praeter hoc nostrum, inconditum ac pene ridiculum : de quo multa soleo in sermonibus quotidianis dicere, cum hominum nostrorum prudentiam cæteris hominibus et maxime Graecis antepono ».

Recentioribus quidem hominibus ejusmodi laudes suspectae esse debent; quoniam legibus Decemviralibus neutiquam con-

(1) De Rep. IV. apud Non. sub. v. *Jurgium* cap. 5. — GOTHOF. pag. 72. De Laudibus XII. Tabularum conf. FLORUS I. 24. — BOUCH. Vol. I. p. 164 seqq.

(2) De Orat. I. 43, coll. 13. 57. Idem De Legg. I. 5.

sulebatur libertati universorum, sed solis Patriciis; quoniam laudatores ipsi plurimam partem sive fuerunt Patricii, seu certe Optimatibus favebant, ut Tullius ille noster (1), qui (De Rep. I. 34) haec perhibet: « Difficultas ineundi consilii rem a rege ad plures.... transtulit. Sic inter infirmitatem unius, temeritatemque multorum medium Optimates posséderunt locum, quo *nihil potest esse moderatius*, *quibus rempublicam tuentibus*, *beatissimos esse populos necesse est*, *vacuos omni cura et cogitatione* ». Ad hunc Optimatium fautorem accessit Cicero *orator*, et is quidem eo tempore, quo res novae, a Plebeis excitatae, omnem rem publicam turbaverant, quam etiam non multo post reapse evertebant (2). Atque hac ratione habita nemo erit, quin in ejus sententiam discedat.

Ex eodem capite repetendum est Taciti quoque judicium, a nobis supra exhibitum. Si vero ab his quoque turbatis temporibus in eam aetatem recedamus, qua ipsae leges latae fuerant, tamen rite judicasse Ciceronem nobis quidem est persuasum; ut ne hoc quidem concedamus, quod ille de prohibitis inter Patres etPlebem matrimoniis improbavit (De Rep. II. 37); ubi haec leguntur: « Ex Decemvirorum injustitia subito exorta est maxima perturbatio et totius commutatio rei publicae: qui *duabus tabulis* INIQUARUM LEGUM additis, quibus

(1) CIC. ad Fam. I. 9. VIII. 16; ad Attic. I, 18. 20. II, 3. V. 15. VIII. 3. X. 9; ad Quintum Frat. I. 1; pro Sextio 9; Acad. Qu. IV. 40. — QUINTUS de petit. cons. ad frat. cap. 1.

(2) CIC. De Legg. III. 8. 9. — BACH. pag. 76.

etiam quae disjunctis populis tribui solent, connubia, haec illi, ut ne Plebei cum Patribus essent, *inhumanissima* lege sanxerunt; quae postea plebiscito Canuleio abrogata est » — atque recte nobis sensisse Bouchaldus videtur (1); cujus sententia penitus probatur defensione ipsorum Patrum in propria causa, a nobis supra allata; parumque nobis placet, quod contra Bouchaldi opinionem, sagaciter quidem, sed absque rerum antiquarum respectu, protulit Clar. Delfico (2) atque dubitator ille severus, Beaufortius.

Non minus dissentimus illis viris, qui de dominatu iniquo Patriciorum queruntur, in Plebem lege sancito (3). Fatemur etiam, Decemviros nihil constituisse circa rationes, quibus tenerentur in una re publica varii populi ordines, subditi et magistratus, magistratus denique inter se invicem. Non minus concedimus, jus quoque privatum non mitius factum esse a Decemviris, quam fuisset ante eorum imperium. Illis quoque non succensemus, qui bellis continuis, ab Optimatibus excitatis, rem Plebejorum familiarem exhaustam fuisse dicant. Sed negamus iterum iterumque, hanc constitutionem, illius aetatis habita ratione, injustam fuisse legesque Decemvirorum rei publicae non fuisse salutares.

(1) Vol. I. pag. 190.

(2) L. l. pag. 75. — Beaufort p. 409.

(3) Cic. in Verr. 70 seq. — Aelianus Histor. XIV. 36. — Machiavel. I. 39. — Montesquieu Esprit des lois V. 8. 33. — Cfr. Cic. De Rep. I. 34. III. 22. — Dionys. V. pag. 331. — Xenophon. in Atheniens. Repub. init. — Delwarde De Formis rer. pub. pag. 23. n° 7. — Delfico p. 81. — Merlin sub v. *Droit Naturel*, Tom. IV. pag. 369.

Illud quoque non negamus, constitutionem Decemvirorum causam continuisse querelarum et altercationum; legesque in delicta latas Draconis legibus non fuisse absimiles (1). Sed negamus, tempora Duodecim Tabularum e statu rerum nostrarum aestimanda, Romanos autem Gallos fuisse et Aristocratiam Patriciorum vetusti temporis esse cum Aristocratia quadam hodierna comparandam. Et hoc quidem facimus auctoritate diversi diversarum aetatum et gentium ingenii, duce vero celeb. Dumbeckio, qui tibi per totam orationem, a nobis laudatam, argumenta sententiae nostrae suppeditabit luculentissima.

(1) DIONYS. IV. 3. V. 13. VI. 3-6. — ARISTOT. Polit. II. 10. 12. — PLUT. in Solone p. 87. — BARTHEL. I. p. 70. — GELL. I. 18. — PETIT. VII. tit. 5. p. 634 sq. — Cfr. GIBBON l. l. p. 71. Dictionn. de l'Encycl. T. XV. p. 880.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 8. *lin.* 8. poterint *pro* potuerint.
Pag. 10. — 12. fortibus sanatibus *pro* fortibus, sanatibus.
Ibid. — 23. falsibus *pro* falsis.
Pag. 15. — 6. σεμοὺς *pro* σεμνούς.
Pag. 18. — 1. observant *pro* observat.
Pag. 20. — 10. *post* Athenarum *lege* profert.
Pag. 22. — 9. Heinneccius *pro* Heineccius.
Ibid. — 15. *post* extraneas *lege* : habere placuit missique legati.
Pag. 24. — 21. les gestes *pro* le geste.
Ibid. — 19. quelle *pro* quel.
Ibid. — 25. de de *pro* de.
Pag. 26. — 24. suffissent *pro* suffisent.
Pag. 27. — 16. impetrari *pro* impetrare.
Ibid. — 21. adamus *pro* addamus
Pag. 28. — 9. συγκύσεως *lege* συγχύσεως.
Pag. 30. — 6. fiorissero *lege* florissero.
Ibid. — 13. niuno *pro* niuna.
Ibid. — 14. tantes *pro* tante.
Ibid. — 17. pui *pro* qui.
Pag. 31. — 6. *ante* regarder *lege* les.
Pag. 32. — 23. frenmmato *pro* frammento.
Pag. 34. — 8. obhorreant *pro* abhorreant.

Pag. 41. *lin.* 7. testimonum *pro* testimonium.
Pag. 46. — 14. aeque *pro* aequae.
Pag. 47. — 1. Delphici *pro* Delfici.
Pag. 47. — 4. inguiste *pro* ingiuste.
Ibid. — 8. riguardo *pro* riguarda.
Pag. 48. — 1. *post* patria *lege* potesta.
Ibid. — 2. campeggia *pro* campeggio.
Pag. 54. — 13. eam *pro* eum.
Pag. 55. — 15. transsiliret *pro* transiliret.
Pag. 56. — 20. delineatur *pro* delineetur.
Pag. 62. — 11. educeret *pro* educaret.
Pag. 63. — 3. possit *pro* posset.
Pag. 78. — 14. *post* paucos *lege* XXVIII.
Ibid. — 25. cretentes *pro* cretenses.
Pag. 80. — 12. babuere *pro* habuere.
Pag. 81. — 16 et 21. arrian *pro* avrian.
Pag. 83. — 14. ceux mêmes *pro* ceux-ci mêmes.
Pag. 84. — 5. *ουτος pro ουτος.*
Ibid. — 6. *ἀγήρ γόμους pro ἀνήρ νόμους.*
Pag. 88. — 3. le cercle *pro* les cercles.
Pag. 89. — 8. 725 *pro* 275.
Pag. 91. — 17. *γρί pro γρὺ.*
Pag. 92. — 19. ineptat *pro* ineptiat.
Pag. 95. — 11. *ante* Diodore *lege* aussi.
Pag. 99. — 13. proalata *pro* prolata.
Pag. 102. — 25. fait *pro* faite.
Pag. 103. — 18. licentia, limatissima libertate *pro* licentia limatissima, libertati.
Pag. 104. — 7. pussent *lege* ne pussent.
Pag. 106. — 5. totius *pro* totus.

46*

Pag. 107. *lin.* 21. næris *pro* naevis.
Pag. 121. — 24. oberata *pro* obaerata.
Pag. 122. — 6. debitoribus *pro* creditoribus.
Ibid. — 20. quorum *pro* quarum.
Ibid. — 22. accrevit *pro* accreverunt.
Pag. 128. — 18. neque *pro* ne quis.
Pag. 132. — 8. *post* ordonnances *lege* conformes.
Ibid. — 11. des choses, jugées *pro* choses jugées.
Ibid. — 12. Curiés et Centuriés *lege* Curies et Centuries.
Pag. 133. — 9. d'établir *lege* d'abolir.
Pag. 136. — 19. none *pro* nonne.
Pag. 142. — 13. latum *pro* latam.
Pag. 143. — 13. eaedem *pro* eadem.
Pag. 150. — 2. omnio *pro* omnino.
Pag. 153. — 5. *post* sancitam *lege* dixisse.
Pag. 156. — 7. ipomet *pro* ipsomet.
Pag. 160. — 13. genere. Catilinam *pro* genere Catilinam.
Pag. 162. — 3. poenam *pro* poena.
Pag. 163. — 8. scels *pro* scelus.
Ibid. — 15. puibus *pro* quibus.
Pag. 164. — 10. culum *pro* culeum.
Pag. 165. — *ult.* morte *pro* morti.
Pag. 167. — 6. *ἀπολείνοντα pro ἀποκλείνοντα.*
Pag. 168. — 19. constituant *lege* constituunt.
Pag. 170. — 14 et 15. interpretatio, ne *lege* interpretatione.
Pag. 172. — 1. Perriot *pro* Berriat.
Pag. 174. — *ult.* le- *pro* legi-
Pag. 175. — 8. leurs *pro* leur.
Ibid. — 9. en la *pro* en ne la.
Ibid. — 9. point des *pro* point à des.

Pag. 178. *lin.* 15. derniers *pro* Décemvirs.
Pag. 181. — *ult.* Graeciae *pro* Graecia.
Pag. 182. — 12. mulctabatur *pro* mulctabantur.
Pag. 189. — 1. Heneccius *pro* Heineccius.
Pag. 192. — 9. si « luci *pro* « si luci.
Pag. 193. — 1. *ante* essent *lege* ingenui ne.
Pag. 194. — 11. Spartanos *lege* Athenienses.
Ibid. — 11 et 12. *pro* apud Athenienses *lege* ex lege vero Solonis.
Pag. 195. — 5. filias *pro* filios.
Ibid. — 7 et 8. Draconicis *lege* Laconicis.
Pag. 199. — 18. qui *lege* quae.
Pag. 203. — 3. une *pro* un.
Ibid. — 3. tout *pro* tous.
Pag. 214. — 17. *ante* d'enterrer *lege* l'usage.
Pag. 221. — 16. *post* et *lege* vinculis purpurae et decem.
Pag. 222. — 4. lequelles *pro* lesquelles.
Pag. 227. — 3. I *pro* II.
Pag. 230. — 10. id genus *pro* id ejus.
Ibid. — 13. quae *pro* quo.
Pag. 234. — 4. *deleatur* non.
Pag. 235. — 10. premiers *lege* premières.
Pag. 236. — 11. quam *lege* qua.
Pag. 238. — 8. abligare *pro* ablegare.
Pag. 239. — 24. auroit *pro* avoit.
Pag. 240. — 20. legislatore *pro* legislatori.
Pag. 243. — 6. ancilae *pro* ancillae.
Ibid. — 11. egregi *pro* egregie.
Ibid. — 16. elles . . . . elles *pro* elle . . . . elle.
Pag. 245. — *ult.* ἠναγκάζοντο, πωλεῖν *lege* ἠναγκάζοντο πωλεῖν. οὐδείς.

Pag. 245.	*lin. ult.*		νόμος *pro* νόμος.
Pag. 246.	—	8.	audiret *pro* adiret.
Pag. 248.	—	6.	Ἰράπων *lege* πράπων.
Pag. 253.	—	12.	hebraei *pro* hebraeos.
Pag. 255.	—	2.	ὀργέων *pro* ὀργίων.
Ibid.	—		ὁ *pro* ἤ.
Pag. 257.	—	4.	Ἰειχίαν *pro* τειχίον.
Ibid.	—	6.	ἀπολείπειν *pro* ἀπολίπειν.
Ibid.	—	7.	*post* ἄλλα *lege* δένδρα.
Pag. 259.	—	14.	ὁρισμουστῶν *pro* ὁρισμους τῶν.
Ibid.	—		νυμοθεσία *pro* νομοθεσία.
Pag. 260.	—	12.	celle *pro* celles.
Pag. 260.	—	16.	fixées *pro* fixes.
Ibid.	—		doit *pour* devoit.
Pag. 262.	—	9.	possessionem *lege* possessorem.
Pag. 263.	—	4.	*ante* sancire *lege* potius.
Pag. 269.	—	4 et 5.	*loco* vicesimum *lege* decimum quartum.
Pag. 271.	—	13.	conjunctas *pro* conjunctos.
Pag. 273.	—	3.	appeloit *lege* s'appeloit.
Pag. 274.	—	17 et 18.	fraterni *lege* paterni.
Pag. 281.	—	10.	aliena *pro* alienae.
Pag. 282.	—	14 et 15.	*loco* quod.... accidit *lege:* Sophoclem enim a filiis in judicium vocatum fuisse ut ipsi tanquam desipienti bonis interdiceretur, legimus.
Pag. 284.	—	18.	convenire *pro* conveniri.
Ibid.	—	22.	eto *pro* esto.
Pag. 286.	—	13.	erat *pro* erant.
Pag. 287.	—	4.	ea *pro* in ea.
Pag. 293.	—	10.	quand *lege* quant.

Pag. 293. *lin.* 12. personnes *pro* personne.
Ibid. — 14. le *pro* la.
Pag. 297. — 4. qui *pro* quae.
Ibid. — 10. haec *pro* hic enim.
Ibid. — 12. 444 *pro* 404.
Pag. 303. — 16. de chose *pro* des choses.
Ibid. — de *pro* des.
Pag. 314. — 19 et 20. la lois *pro* la loi.
Ibid. — 19. d'autre *pro* d'autres.
Pag. 317. — 8. foenore *pro* foenebre.
Pag. 318. — 9. legen *pro* legem.
Ibid. — 16. crudelissime *pro* crudelissimas.
Ibid. — usuriam *pro* usurariam.
Pag. 323. — 12. testimonio *pro* testimonia.
Pag. 324. — 2. offundere *pro* effundere.
Ibid. — 6. *ante* pluribus *lege* sit.
Pag. 329. — 9 et 10. *δικαστηριοίς pro δικαστηρίοις.*
Ibid. — 10. *ἄρκε pro ἄγκε.*
Pag. 334. — 18. *loco* non magis *lege* maxime etiam.
Pag. 336. — 8. sisterent *pro* sisteret.
Pag. 338. — 9. reddere *pro* reddi.
Pag. 341. — 11. alterius utrius *pro* alterutrius.
Pag. 343. — 16. Decemviri *pro* Decemviros.
Pag. 345. — 15. 68 *pro* 681.
Ibid. — 23. prononere *pro* proponere.
Pag. 348. — 17. est *pro* et.

Reliquis erroribus facile indulgebit Lector B.

